



V.D. Scotus
S. Ildephonsus
S. Anselmus
D. A. Alensis
Arbor sine Verme
Mare sine salsedine.
Columba sine felle
Ouis sine errore
Eua sine Væ.
Quies sine tædio
Granum sine palea.
Speculum sine macula
Vinea sine labrusca
Imago sine nævo.
Balsamum sine mixtura.
Nauis sine naufragio.
Domus sine ruina
Prima sine secunda.
Facies sine ruga
Rosa sine spinis
Thronus sine terrore
Hortus sine Vrtica
Xenium sine defectu
Luna sine eclypsi
ALPHABETVM
Immaculatæ Conceptionis
SS. Virginis MARIÆ
Seu
DISCVRSVS CONCIONATORII
per Titulos à literis Alphab. initiales.
In quibus
præmissâ congruâ moralitate,
Scripturaliter, Figuraliter, Doctora-
liter, Miraculosè Scholasticè, idq;
Theologicè, Philosophicè, Symbolicè
Poeticè, Anagrammaticè, atq; Historicè
SS. DEIPARÆ
Conceptio sine labe
ELVCIDATVR.
Auctore
F. Antonio Wegrzynouio Polono
Ord: FF. Minor. Reform. S. Theol.
Lectore, Prou: Min: Polon. Patre.
Zabulon sine tributo
inuenit delin: Author operis.
J. Tscherning sculp Brigæ

Eremitarum Camaldul. M. Eremi Argent: ad Cracoviam 1715

ALPHABETUM
Immaculatæ Conceptionis
SS. VIRGINIS
MARIÆ,
SEU
DISCVRSVS CONCIONATORII,
Per Titulos à literis Alphabeti initiales.

In quibus

præmissâ congruâ moralitate,

Scripturaliter, Figuraliter, Doctoraliter, Miraculosè, Scholasticè; idq; Theologicè, Philosophicè, Symbolicè, Pòëticè, Anagrammaticè, atq; Historicè,

SS. DEIPARÆ

Author gratis offerens Librum, petit ab accipiente, unam Missam celebrari vel celebrandam curari, pro Benefactore sumptus Typographicos ponente.

1709.

... labe

... TVR.

AUCTORE,

F. ANTONIO WEGRZYNOVIO Polono, Ord: FF. Min: Reformat: S. Th: Lectore, Provinc: Minoris Poloniæ Patre.

Anno Domini MDCCX.

1715

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in Te.

Cant: 4. ℣. 7

TIBI

Immaculatè Concepta

M A R I A,

Per augustum Divinorum consiliorum *Triclinium*![a]

Scientia Sanctarum scientiarum,[b]

Magistra Magistrorum,[c]

Schola eruditissima paracleti Spiritûs:[d]

Veriùs dicam,

Universitas omnium Scientiarum Facultatumq;

& antonomasticè (vel ut alij volunt) emphaticè[e]

Sapientia totius Orbis.

Q U Æ

clamitas in plateis[f]

ut parvuli veniant ad Te:

C U J U S,

frequentare Scholam, virgamq; supportare, non gravat tuos filios.[g]

C U J U S

Portæ, nimirum Conceptio[h] plùs cæteris DEO dilectæ,[i]

Portæ sunt Sion; s. Studiosorum;[k]

qui student deprædicandæ primæ post DEUM, CHRISTUMQ; ejus,

Puritati Tuæ.

C U I

nec sua Sceptra, nec Cathedræ desunt.

Te etenim Alexandrinus Præsul Cyrillus[l]

Sceptrum rectæ doctrinæ salutavit.

Cathedram verò Summi Regis,

unde Cælestis Sapientiæ edicta proponuntur,[m]

deprædicat alius.

Ad Q U A M

dum omnes, qui sitiunt veram sapientiam, currunt;

a Rup: Abb. l. de divin. Offic. c. 11.

b Bernar. s. Salve. S. l.

c Rup. l. 1. in Can

d Ioan. Picus l. in Cant. cap. 4.

e Richar. Laur. d laud. V. lib. 2.

f Proverb. 8. & 9.

g B. Ioseph. Steinfelden. opusc. 46

h Sylveir. in Evang. l. 1. c. 3. num. 15.

i Psal. 86.

k Chaldæa versio

l hom. 6. contra Nestor.

m Adam e Persenia in Mariale fragmen. 3. vixit circa A. D. 1180.

ut suam diligentiam in studiis MARIANIS comprobent, singuli varia, & in omni penè Facultate, in devotionis suæ erga Te argumentum, ingenij sui specimina, pro Pensis, deportant.

Scripsêre aliqui cum Theologis,

n *Marianam Theologiam:*

Alij cum Juristis, pro Ortu Tuo, compilant

o *Iura & Canones.*

Nonnulli cum Astrologis, pro eodem Ortu

p *Prædictiones Astronomicas*

investigant.

aut cum Mathematicis ad calculum reducunt

q *Kalendaria seu Ephemerides Marianas.*

vel cum Geometris, accuratissimè delineant

r MARIÆ-graphias.

Aliqui demum cum Philosophis in medium prodeunt;

nunc ut Medici,

s cum *Anatomia Nominis MARIÆ:*

nunc ut Historici,

cum Annalibus MARIANIS:

Nec etiam desunt Artistæ:

Aliqui tanquam Musici

u cum *Citharis Decachordisq; Marianis.*

Pòëtarum,

cum modulatissimis de MARIA carminibus in omni lingua & natione, innumera penè agmina: inter quæ Polonum agmen ducit

x Regius Princeps Casimirus;

y quod cæcus Academicus claudit;

uterq; Polonus.

Rhetores demum *Oratoresq;* integras planè Concionũ Marialium Tomis, complent bibliothecas.

Gram-

n *Chrystoph: Vega Theolog: Mariana A. D. 1653.*

o *Zonara Constantinop: A.D. 1118.* Ioan: Brevetij Paris: *Concepti probatio ex triplice iure. A. D. 1612.* Ioan: Navarro Hisp. *A. D. 1651.*

p *Iosephi Malvij Ital: Prædictio Astrolo: de Ortu* MARIÆ *A. D. 1646.*

q *Antonij de Leon: Hisp: Kalend: Marianum A.D. 1651.*

r Franc. Carolus ap Hypp: *Maraccium in Append: Biblio.*

s *S. Ioachim: à Iesu Maria Car: Disc: Anatomia Nominis B.V.M. Venet: A. D. 1689.*

t *Anton: de Leon: cit: sup: Annales Imm: Concep: B.V. ab Orbe condito.*

u *Alexan: de Calamato Cithara mystyca.* Bonau. Theuli Ital: *Decachord. Scoticum puritatis* MARIÆ.

x *Canticum: Omni die. circa A. D. 1498.*

y *M. Ioseph: Biezanouius Univers. Crac: Academicus iam cæcus, scripsit carmine Delicias Oliduanas in Cant: Cant. Epigrammata in Anagrammata Ioan: Bapt. Agnensis Romani Item in Anagrammata A. R. P. Chrystophori Klimecij Ref: Min. Polonia pro nunc Ministri. Obijt iste Poëta 1693.*

Grammatici tandem
tam felici conatu, licet immenso labore,
in ipso Nomine MARIÆ, & aliquot Angelicæ salutationis verbis,
miris constructionibus literarum luserunt; ut nonnullius
ad sex millia [z]
purissimorum *Anagrammatum*
in purissimæ Conceptionis laudem,
excreverint
Syntaxes literarum.
Jam tandem
Ad Abecedarios ventum est:
qui ex ipsis literarum omnium elementis, principiisq; sine fine
piâ adinventione, arcana per Titulos eruentes elogia,
MARIANA quàm plurima recitant
Alphabeta.
QUIBUS
cùm imparem me sentiam, etiam recitandis:
Vir enim pollutis labiis ego sum, & loqui nescio;
pensum tamen Marianum debeo.
Ergò
TIBI.
O Magistra, studiosorum honoris Tui;
In signum devinctissimæ nunquam dissolvendæ servitutis,
& quantæcunq; devotionis meæ,
Alphabetaria Pensa
tantùm in tabulis porto.
Neq; in sacratiora & magis arcana Scholæ Tuæ abdita
ingredi præsumo.
Nonnisi ad Portam, seu Introitûs Tui in vitam
immaculatissimum Punctum
sisto me, cum Tabulis hisce.

z Chrystoph. Kh. mecius Polonus: immediate citatus

in quibus, pauculas Notas, rudesq; aliquot Alphabeti characteres, in laudem Immaculatæ Conceptionis Tuæ, pro modulo gratiæ & devotionis, quam à teneris vilissimo clientum tuorum instillasti,

delineatos repræsento.

Clementissima, etiam idiotarum Pædagoga, suscipe exigua studia & conatus Abecedarij Scholarisq; tui, ex ultimis infimi, nedum ingenio & stylo, sed (quod magis gravat) eâ puritate, quam (monente Basilio Seleuc:) laudatores Tuos oportet habere.

Rudia quidem sunt, sed & hæc Scholæ debentur Tuæ, quæ Parvulorum quoq; Magisterium non respuis. Proverb. 8.

Et quæ

Ut humilis Mater (ut ait tuus Kempensis) parva obsequia non aspernaris, modica oblata pia, nunquam non libenter acceptas: & quia nosti, quòd magna dare non possumus, impossibilia non exigis à servulis tuis, misericors Domina, mansuetaq; Regina.

Denique,

etsi Magna à Magnis semper sperare liceat;

A TE

o Præses Cœlestis Sapientiæ!

In præmium tam exigui persoluti Pensi mei, magna expostulare non audeo.

unum est quod desidero:

nimirum; ut Albo Universitatis Studiosorum, Clientumq; Tuorum, nomen infimi Alphabetarij tui adscribas, adscriptumq; retineas.

Et ne tandem in Portu vitæ fortè naufragari ipsi contingat, pro tabulis hisce, tabulam præpotentis Protectionis Tuæ periclitanti tunc porrige; atq; Portui felicis æternitatis, securum redde.

Ita

In visceribus immensæ pietatis

Pijssimæ Magistræ,

Optat, Sperat, & deprecatur.

Alphabetarius tuus
P. A. W. R.

EMINENTISSIMO
Atq; REVERENDISSIMO DOMINO,
D. FABRITIO
SPADA,
S. R. E. CARDINALI,
EPISCOPO PRÆNESTINO,
Signaturæ Justitiæ Præfecto; ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. FRANCISCI apud S. Sedem
PROTECTORI.

EMINENTISSIME ac REVERENDISSIME PRINCEPS.



E Pusillo grege Seraphici Patris Nostri minimus, non sublimes conceptus, sed ALPHABETUM duntaxat MARIANUM, altissimo judicio, limatissimo ingenio, vastissimo intellectui Tuo offerre potui. *Eminentissime & Reverendissime Domine*, Protector Ordinis Nostri Clementissime. Quippe Mysterium immaculati Conceptûs MARIANI à seculis absconditum, opus Altissi-

tissimi, cui non est simile Privilegium, quod post Christum Servatorem, Agnum immaculatum, nemini mortalium concessum, etiam Summis Doctorum culminibus & summitatibus Theologorum admirabile æquè ac venerabile, Deo nostris temporibus annuente, ex præservante gratia ac Dignitate Maternitatis Dei, comprehensibile & triumphale; meo tamen humili & imbecilli ingenio, nonnisi primum Literarum rudimentis contingit exprimendum.

Equidem ego indignissimum suppedaneum Triumphalium plantarum Augustissimæ Cælorum Imperatricis, Immaculatè Conceptæ Genitricis DEI MARIÆ; ego inquam Vir pollutus labiis, prælusi paulo ante, tantæ Majestati, ex Angelico Divi Casimiri Principis Poloniarum Concentu, formatis vernaculâ linguâ sacris sermonibus; cæterùm altiorem hujus Mysterii, & Augustissimi Nominis Oceanum, imbecillioris intellectûs carinâ verebar ingredi: ne scilicet in magnitudine Maris demersus, novum agerem Palinurum. Porrò post prolixam animi luctam, tandem sub augusta protectione *Eminentiæ Vestræ*, tanquam sub gratiori Favonio, Zephiroq; votis meis aspirante, solvendam duxi navem à littore.

Fiduciæ meæ vela, expandi annuerunt uti antiquissimæ in Europa, ità Mariano, semper intaminato honori, per tot seculorum tractus devotissimæ Prosapiæ Tuæ, posita anathemata, dicatæ Basilicæ, instauratæ Aræ, oblata homagia, omnibus conatibus auctus Deiparæ honor. His suavissimè occinentibus

bus

bus Oloribus, graculis accinere ausus sum; ita tamen, ut ad hoc altare Dei animatum consistens, tanquam Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram obmutescerem, & cum sanctiori Vate, meritò mutirem, a. a. a. nesciò loqui. Vnde non priùs hoc MARIANæ Conceptionis Alphabetum, luci publicæ, authoritate Majorum, manifestare decrevi, quàm ut exosculatus Sacram Purpuram tuam, non Tyrio murice, sed sanguineo sudore, pro sartis tectisq; Sanctæ Matris Eccclesiæ rebus tinctam, protectionis Ejus asylum venerabundus adirem.

Tu nempe o Princeps S. R. E. Protector & Cardo pauperculæ Seraphicæ Familiæ, quæ imitatione, imò ordinatione Patris sui, peculiarem ac post DEVM unicam Patronam & Matrem suam colit, Immaculatè Conceptam Deiparam Virginem: Tu inquam, inter prima id anhelas, & solicito pectore circumfers vota, ut hæc LILIA Conceptûs MARIANI, inter variarum opinionum antehàc spinas crescentia, in Paradiso Vniversalis Ecclesiæ, in omnium cordibus, originalem suum candorem, & prîmævam innocentiam, absq; ulla deinceps punctura auctam habeant, servatamq; retineant in æternum. Orientalis hæc Porta, quæ soli Domino exercituum patens est, tenebrionibus autem Erebi omnino clausa: Paradisus novus, in quo ad meridiem gratiarum Dominus spatiatur, in quo originalis noxæ auspicatus interitus, SPADIANÆ utiq; custodiæ, ut pote non uno versatili, sed triplici in stemmate gladio armatæ, tanquam novo Cherubino destinatus.

Prodiit iste vigor mentis Tuæ, & diffusus est longè lateq; in latepatentia Europæ Regna, Provincias, Vrbes, imò totum Orbem. Ipsæ Sabaudiæ Rupes, cùm primùm apud Serenissimum Principem Savojæ Legatione Apostolicâ gloriosissimè fungereris, hoc oleo MARIANI Nominis delibutæ, novarum incrementa virtutum, & nobile ac opulentum germen devotionis produxêre. Hoc effecisti verior Orthodoxus Amphion, ut dulcissimo concentu MARIANI immaculati Conceptûs, montes illi, mentes scilicet fidelium, exultarent sicut arietes. Tandem quando cum eadem functione, in Regnum LILIORUM auspicatissimè translatus, Christianissimo Tryumphali Monarchæ, totus MARIANUS visus es, adeoq; apprimè dilectus, ut ex Galliis non tantùm te Candidum & Liliatum, sed etiam Rubicundum, Cardinalitiâ purpurâ, redire decuerit.

Mox salutavêre Vrbanissimum Sanctæ Ecclesiæ Principem Vrbinates, gavisi vehementer, se à tanto viro gubernari, cujus amplissimo pectori, ex æquo scientia & conscientia, authoritas & moderatio animi, rigor justitiæ, & perpetuum animi serenum, fidei robur inconcussum, & publici boni amor zelosissimus, amussis prudentiæ in omnibus agendis exactissima, verbo, omnium virtutum corona, ex asse insederunt. Columna & Columba innocentiæ, vere sui Nominis Pontifex, INNOCENTIUS XII. ex altissima Apostolici culminis Specula conspiciens, tantis Te virtutum ornamentis cælitùs indutum, non cessavit amplioribus cumulare in Sancta Vrbe muneribus Arduum

duum ſanè, pulchrum proinde, Secretarii Statûs Officium, hoc difficili tempore, ita geſſiſti, ut perſpicacitatem, prudentiæ Tuæ, & rectè agendorum regulam omnes mirari, pauci imitari potuerint.

Non invidemus jactabundæ antiquitati, ſuos Areopagitas, & ponderoſis ſententiis graves Colophones; cùm Te in Sacro Signaturæ juſtitiæ Tribunali, jura & reſponſa dantem populis, in Vrbe Orbis Principe novum extra Athenas Ariſtidem venerari licuerit. Coram te integerrimo Iudice, Sacrorum Canonum Legumq; Oraculo, vel ipſe erubeſceret Cato, Indoluerit ſanè quiſpiam, titubantem & corruentem juſtitiam in plateis, & diviniorem Aſtræam, pertæſam humanæ iniquitatis, atq; ſeculi nequam nefandorum ſcelerum, liquiſſe terras, & proſpexiſſe duntaxat de Cælo: Tu iterum reducem Divinam hanc univerſalem Mundi gubernatricem, in Throno purpureo, paludatam fixiſti. Nimirum tota vita Tua, ô Princeps! juſtitiæ cultura eſt, quâ zelas pro Domo Domini exercituum, quâ defendis innocentes, quâ fontes corrigis, vitia extirpas, virtutes implantas. Signabit poſteritas, imò æternitas tota, hanc Encyclopædiam virtutum & ſapientiæ Tuæ, quibus Te ectypum & exemplum exhibes univerſis.

Iam verò, quàm proſperum fauſtumq; auſpicium, ex Tua Protectione ſumpſerit Minoriticus Ordo noſter? in aprico eſt Vniverſali Matri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; Decus Morum, Dux Minorum, Seraphicus Pater Meus FRANCISCVS,

 grande

grande augmentum sortitur accidentalis gaudii, cùm post eximios illos à prima Ordinis sui plantatione, ex peraugusto Purpuratorum Patrum Senatu, creatos desuper Protectores, supparem, Te omnigenâ probitate, & rarâ prudentia, videat in VERBO, Minoritarum Protectorem, Patronum, & Promomotorem. Grande mihi hic & potissimum esset laudationis Tuæ argumentum; ut pote illi, cui licuit, volupeq; fuit, sub Anno Iubilei ad Capitulum Generale Aracælitanum pro tunc Vocali, *Eminentiæ Vestræ*, tunc Vice-Protectoris & Præsidis illius Capituli, Sacram ipsius exosculari fimbriam, & emicantes inde eximiarum dotum vel per transennam delibare radios: sed & modestia Tua id non permittit, & gloria, quam apud omnes immortalibus meritis quæsisti, limites imbecillitatis meæ longè excedit. Tibi rectè fecisse, summum culmen adoreæ. Cui nonnisi hoc addere præsumo, & Tu fortè auscultare non dedignaberis; Te esse peculiarem immaculatè Conceptæ DEIparæ Cultorem, ejusq; primævæ innocentiæ Assertorem.

Ex hac igitur animata DEI viventis Arca, prodeant Tibi inexhausti thesauri sapientiæ & scientiæ DEI, ad gravissima quæ geris munera necessarii. Ex hac Turri, mille clypeis armata & ornata; (quibus Tua quoq; gentilitia accumulas arma, dum protectionis tuæ contra insultus, si qui fortè huic MARIANO opusculo ingruerent à Zoilis, perquàm clementer indulges) sit Tibi decus perenne ac tutamen. Ex hoc

Ligno

Ligno vitæ, longiſſima annorum ſeries, nullis interpolata infirmitatibus, ſed firmiſſimo valetudinis ſtipata robore, provehat Tibi vitam, uſq; in provectum ſenium, ſerumq; in Cælos reditum.

Hæc Auguſtiſſima Vniverſi Imperatrix, ſub cujus Protectione Eccleſia militans, avernales vincit Eumen des, & Petri Navis, quæ licet quandoq; fluctuare videatur, nunquam tamen mergitur, Tibi quoq; Protectori Noſtro Vigilantiſſimo, hoc gratiæ ſuæ impertiatur Privilegium, & chariſmatum diploma; ut aſcenſus Tuus ad geminos Cardinalitiæ dignitatis Titulos, nullam Tibi gratiarum & honorum præfigat metam, ſed Tu ipſe ô Princeps! omnis eminentiæ & prærogativæ, in myſtico perfectionis gradu, & Eccleſiaſtica Hierarchia meta exiſtas. Proſperè ergo intende, procede & regna. Quod vovet & medullitus precatur.

Eminentiæ Tuæ.

cliens devinctiſſimus
& exorator.

Fr. ANTONIUS WEGRZYNOVIUS
Reformatus, Polonus.

AD LECTOREM.

AB infimo in laudibus MARIÆ abecedario, non alia Tibi (Lector Candide) omninò speranda erant, nisi Alphabeta: quæ tamen opinor non displicitura, vel ex eo saltem, quia MARIANA sunt. Placuisse olim (legò) Deo T. O. M. cujusdam rusticani Idiotæ, pium quoddam devotionis inventum: qui dum modum orandi alium non calleret, quotidie semel recitans integras Alphabeti literas, ita inquiebat. Tu DEUS sapientissime, Tibi ipsi ex hisce literis syllabas, ex syllabis verba, ex verbis periodos, & orationem illam dispone, quam tibi gratissimam, mihiq; magis proficuam esse noveris. Quodsi infinito Fonti Sapientiæ, hujuscemodi pia non displicuerê Alphabeta; nam miraculis ille rusticanus inclaruerat; tu quoq; etsi sublimiora de MARIÆ laudibus sapias, etiam hæc elementa literarum, quæ tibi Idiota ego subministro, precor ne spernito: sint tibi veluti artificiosum Compendium laudum, & occasio novorum semper & novorum Titulorum, Modorum exaltandæ, elucidandæ immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ. Et quamvis principale objectum hujus Tractatûs, sint laudes MARIANÆ immaculatæ Conceptionis, nihilominùs præmitto in prima cujusq; Discursûs parte, doctrinam aliquam moralem; tum majoris luminis capiendi gratiâ in elucidando mysterio, tum quia hoc jam reperiò fecisse ante me alios non sine commodo Concionatorum: ex quibus materiis compilavi tibi Indiculum Concionatorium per Dominicas post Pentecostales, ad finem operis. Stylum autem in hoc Opusculo, sublimem & cum floribus Rethoricis, non invenies, nisi fortè rarissimè: non enim pro Scholasticis Panegyricos, sed pro Ecclesiasticis Oratoribus, Discursus prædicabiles suggerere,

Pintus Ramires: Escobar. de Concept.

mens

mens mihi fuit: quamvis etiam in gratiam Scholasticorum, ex Symbolis, Poësi, Mathesi, & similibus, subtexuerim aliqua. In hoc tamen cautum te habere volo; primò ne lij Probatur, quod toties hic repetetur, capias nimium scholasticè, & strictè: non enim qualibet probationum mearum, demonstrativè intendit concludere, sed alicubi probabiliter, alibi autem nonnisi per allusionem; idq facilioris & jucundioris elucidationis gratiâ, in tam abscondito à sæculis Mysterio. Allegorias frequenter hic invenies; imò totus Tractatus, Allegoricus est; non tamen eas nimium coactas & violentas, & jam plerumq ab alijs Authoribus usitatas; quos ubiq cito. Novas si proposui aliquas, debitis eas adminiculis & interpretationibus fulcire conatus sum: idq juxta Regulas traditas à S. Hieronymo: qui docet non semper omnia opus esse, quæ in Historia referuntur, minutatim ad allegoriam deducere. Nec te etiam moveat (bone Lector) quòd sub Historica probatione, interdum substituatur Apopthegma vel Apologus; hæc enim & similia (juxta Ierem: Drexel: Aurifod: p: 3. 2.) ad Syllabum pertinent historicum. In Assertores oppositæ sententiæ (non immemor Constitutionum Apostolicarum, hac in parte emanatarum) quàm modestissime me gessi; utpote discipulus aliquando Scholæ Thomisticæ: & ideo ex proposito calamum retraxi à nonnullis historiis; quas licuisset citare ex vetustis & toties approbatis Authoribus. Ad ultimum te sanæ mentis Lectorem salutabo, illa Aelredi Abb: Reivall. precatione: In hujus ergò voluminis lectione, si quis profecerit, Deo gratias agat, & pro peccatis meis apud CHRISTI misericordiam intercedat: si quis autem superfluum aut inutile putat esse, quod scripsimus: parcat infidelitati meæ, quæ fluxum cogitationum mearum, hujus meditationis meæ compulit occupatione constringere.

cit: ap: Syl: alleg: in Præf.

Prologo l. 1 de spir: amicitia.

LICENTIA REVERENDISSIMI

Fr: ANTONIUS à MONTEBUFO, Seraphicæ Reformatæ Provinciæ Lector Theol: Ex-Provincialis, ac olim Diffinitor Generalis, nunc verò, Divinâ & Apostolicâ voluntate, totius Cismontanæ Nostræ Reformatæ Familiæ Vice-Cõmissari⁹ Generalis, Discret⁹ perpetu⁹ Ordinis, & Servus.

Dilecto Nobis in Christo R. P. Fratri ANTONIO WEGRZYNOVIO, Theologo, Ex-Custodi, Ex-Provinciali, atq; in præsentiarũ Guardiano Conventûs Vielicensis, Nostræ Reformatæ Provinciæ S. MARIÆ Angelorum in Minori Polonia, salutẽ in Domino sempiternam.

CUm juxta Apostolicas, Nostriq; Ordinis Constitutiones per idoneos Censores ad mentem Patris Ministri Provincialis revisum fuerit Opus quoddam à Te compositum, cujus Titulus est ALPHABETUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ, seu Conciones per Titulos à Literis Alphabeti initiales, in quibus &c. tenore Præsentium ad salutaris Obedientiæ meritum facultatem Tibi R. P. ANTONIO WEGRZYNOVIO, Nostræ Reformatæ Provinciæ Minoris Poloniæ Ex-Ministro Provinciali impertimur, quatenus servatis servandis, illud Typis mandare valeas. Datum Romæ in Conventu S. FRANCISCI Transtyberim die 9. Junii 1708.

Regest: Tit Provinc.

L. S.

Fr: ANTONIVS de MONTE BVFO, Vice-Commissarius Generalis.

APPROBATIONES THEOLOGORUM.

PArendo mandatis A. R. P. Nostri Provincialis Reformatæ Provinciæ Nostræ Minoris Poloniæ, à Reverendissimo Nostro Vice-Commissario Generali ad hoc delegati, vidi, & legi cum maturâ diligentique atten-

atten-

attentione Librum, cui titulus est ALPHABETUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ, ab A. R. P. ANTONIO WEGRZYNOVIO, Provinciæ Nostræ Reformatæ Minoris Poloniæ Patre, S. Theologiæ Lectore & Prædicatore Clarissimo compositum: nec inveni aliquid, quod sit Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus dissonum; imò reperi subtilibus Conceptibus, doctissimis Eruditionibus, moventibus moralitatibus plenum, novis adinventionibus refertum, nova & singulari Methodo dispositum. Unde illud censuratum dignum censeo, ut quamprimùm aspiciat publicam lucem, ad promovendam Majorem Dei gloriam, & ad augendum cultum Virginis Immaculatè Conceptæ, in cordibus fidelium zelatorum hujus Mysterij. In cujus rei fidem me subscribo. Datum in Conventu Nostro Wielicensi ad Sanctum FRANCISCUM. Die 28. Iunij. 1709.

Fr: SIGISMUNDUS BABSCIUS,
Prov: Pater, Guardianus Wielicensis, Th: Lect.
mpp.

OPus, cui Titulus est ALPHABETUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. V. M. à R. P. ANTONIO WEGRZYNOVIO Provinciæ Nostræ Patre ex commissione mihi facta, ab A. R. Patre Nostro Ministro Provinciali, legi accuratè. In quo, sive cùm mores Christianè informat, in prima Parte; sive cùm vario argumento probat & propugnat Sanctissimam Virginem DEI Matrem MARIAM absq; Originali labe Conceptam, nihil inveni, quod S. Fidei, bonis moribus sit dissonum, sed omnia consona. Ideò censeo dignum, quòd luci publicæ donetur. Dedi in Conventu Nostro Wielicensi ad S. P. FRANCISCUM. Anno Domini 1709. Die 23. Maj.

Fr: FELIX FILIPOVIUS,
Olim S. Th: Lector, nunc Provinc: Custos.
mpp.

AUthoritate, & jussu, Adm: Rndi Patris Nostri Provincialis Ministri, vidi, & matura cum attentione, ac diligenti discussione legi Opus, quod inscribitur. ALPHABETUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, &c. *ab Adm: Rndo Patre* ANTONIO WEGRZYNOVIO, *Ordinis Minorum Reformatorum, Minoris Poloniæ S.* MARIAE *Angelorum, Provinciæ Patre, Sacræ Theologiæ Lectore & Prædicatore Emerito compositum; nec inveni aliquid, quod sit ab Orthodoxa fide, & bonis moribus, alienum; imò reperi hoc Alphabetum, non vulgare sed eruditum, quia subtilibus Conceptibus, doctissimis Eruditionibus, excellentibus Moralitatibus refertum, in Sacra Scriptura fundatum, Authoritatibus Sanctorum Patrum, & aliorum Scholasticorum Doctorum roboratum, & pulcherrimis inventionibus ornatum, ac singulari Methodo dispositum. Unde illud, ad promovendam Majorem Gloriam Illius, Qui de se toties, in Apocalypsi ait.* Ego sum Alpha & Omega. *& ad augendum promovendumq; Cultum Immaculatè Conceptæ Virginis, Ejusdem Sanctissimæ Matris* MARIAE, *proximorum quoq; saluti, ac Prædicatorum utilitati, commodum futurum esse censeo. Nec dubito, ab iis avidè hoc Alphabetum exspectari, qui jam gustarunt Melodiam Sancti Casimiri, seu Canticum.* Omni die dic Mariæ &c. *Concionibus Mariano-Moralibus illustratum, & alia duo Opera superioribus annis, vernaculâ linguâ in Concionibus ab eodem Authore edita (utinam Deus ipsum sanum conservet; ut mundum etiam aliis Operibus, quæ jam ad imprimendum parat, illuminare, & accendere ad Divinum amorem possit.) Hinc & præsens Opus dignissimum judico, ut pro bono communi lucem accipiat, & quantociùs prælo mandetur. In cujus rei fidem, & testimonium me subscripsi. In Conventu nostro Becensi ad Sanctam Annam: hac die 26. Martii 1709.*

Fr: HILARIUS BARCIKOWSCIUS,
ejusdem Ord: & Prov: Diffinitor & S.T. Lect: Actualis. *mpp.*

Fr: CHRISTOPHORUS KLIMECCIUS, Ord: Min: S. P. FRANCISCI Reformatorum, Provinciæ S. MARIAE Angelorum, Minoris Poloniæ Minister Provincialis & Servus.

Admodum Rendo in CHRISTO Patri, Fr ANTONIO WEGRZYNOVIO, Theologo, Concionatori, Provinciæ Nostræ Patri, & Guardiano Conventus Wielicienſis Salutem in Domino.

Plus cultus, cultaq; in Beatiſſimam Virginem MARIAM pietas, nil menti, animoq; noſtro nil tam volupe ſuaderi ſinit, & hærere, quàm ut tantæ Matris ac Dominæ laudibus immorando nedum ipſi immori cupiamus, verùm totum Orbem, omnes linguas, ingenia univerſa, in ejus conſpirantia panegyres, ſuper novis ipſius encomiis deſudare audiamus. Quare cùm Paternitas Veſtra Reverenda jam alterum in laudem hujus Magnæ Matris & Virginis nova Methodo, labore inſigni, eruditione omnigenâ, conceptu ſublimi, Opus cui titulus eſt, ALPHABETUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS &c. conſcripſerit, illudq; Nobis præſentaverit, adeò vota noſtra labore ſuo æquavit, ut nec Tullianæ nec Tertullianæ nobis tam benè placeant voces, quam ſui de Virgine Immaculatè Concepta ſolidè ſtabiliti conceptus: de quibus cum Poëta auſim dicere: *Hic dulcis miſtura bonorum. Et ſemper varium plùs micat artis opus.* Ut ergò tanti ingenii & tantæ pietatis labor in lucem publicam prodeat, etiam ex parte noſtra Admodum Rndæ Paternitati in meritum ſalutaris obedientiæ id concedimus, imò mandamus. Dabam in Conventu Caſimirienſi ad S. MARIAM Annuntiatam. Die 8. Octobris 1709.

(L.S.)

Fr: CHRISTOPHORUS KLIMECCIUS,
Miniſter Provincialis. mppa.

APPROBATIO. DIOECESANA.

ALPHABETUM ſeu Diſcurſus Concionatorios, Honori Immaculatæ Conceptionis Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ dicatos, per Religioſum & Adm̃ Rndum̃ Patrem ANTONIUM WĘGRZYNOVIUM Ord: Fratrum Minorum Reformatorum Theologum ac Provinciæ Polonæ Patrem, docto labore conſcriptos, legi, cùmq; tanti Myſterii veritatem, teſtimoniis Sacræ Scripturæ, Authoritatibus SS. Patrum, Theologicâ doctrinâ, omniq; eruditione clarè elucident; dignos approbavi, qui propter Gloriam DEI & Matris ejus Sanctiſſimæ majorem laudem prælo imprimantur. Datum in Collegio Majori Univerſitatis Cracovienſis. Die 19. Menſis Januarij. Anno Domini 1710.

M. PETRUS PRACZLEWICZ,
S. Th: Doctor & Profeſſor, Canonicus Cathedralis Cracovienſis, & per eandem Diœceſim Librorum Cenſor.
mpp.

AR-



ARBOR, sine Verme, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

Liber Generationis JESU Christi. Matt: 1. I.
Produxit Dominus Lignum vitæ in medio Paradisi. Gen: 2.

A.litera, ubi & quando nata.

ALphabetum laudum, & prærogátivarum Immaculatissimæ Conceptionis Sanctissimæ MARIÆ prælecturus, ab illa ordior litera, quæ prima communiter in linguarum Alphabetis ponitur; A. videlicet; facilè Princeps aliarum dicenda: non enim viliter, quia in paradiso, eodem quasi partu, cum Adamo nata. NN. Ab ARBORE quoq; initium Allegoriarum assumo; siquidem solemne erat Germanorum populis, olim Ethnicis (ut scribit Aventinus) ab ARBORE quadam, initia omnium Sacrorum auspicari; quam illi opinabantur, jacto de Cælis semine, ab ipsis Dijs fuisse plantatam: nulla proinde offerebatur hostia, nisi ramo hujuscemodi ARBORIS redimita.

Arbor, initium Sacrorum.

2. Non fabulam sequor, sed Sacrum Codicem, certam veritatis Regulam; ubi invenio ARBOREM ab ipso Creatore plantatam, à qua intendo Sacrificium laudum Imm: Conceptûs SS. MARIÆ inchoare. *Produxit* (inquit textus) *Dominus lignum vitæ in medio Paradisi. Gen: 29.* Plurimi Patrum censent

Gen.

id symbolicè scriptum esse de illa ARBORE, sive Matre, cujus carni implantari, seu inoculari debuit ille, qui de se dixit: Matt. Joan: 14. 6. *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Unigenitus nempe Filius DEI.

3. Verùmenimverò, si jam nunc universa terra sub anathemate manet, & si ad Paradisum vigil ille, qui nunquam dormitat, accessum perquàm solicitè arcet, quæ ergò tam felix gleba? quis hortus erit ille? ubi inveniatur, tam diu, à tot gen- Arbor, Genealogia Christi. tibus desiderata ARBOR, Mater s. vera Filij DEI. ARBOREM ergò Generationis JESU Christi repræsentat hodiernum Evangelium s. Genealogiam ejus: quam magìs putarem dicendam deliciosissimum hortum: paucis enim exceptis, tot Sanctissimos Viros, regiâ vel Patriarchali dignitate eximios in ea recenseri audio; qui secùs decursus aquarũ gratiæ plantati tanquam Lignũ, in spe & fide futuri Messiæ, dederunt fructus in tempore suo. Cæterùm, cùm & istæ plantationes maledicto mortis, & putri atq; verme originalis culpæ infectæ fuere, ARBORES vitæ nullo modo appellari queunt.

4. Nihilominùs, in ista Genethliaca Salvatoris nostri ARBORE, unum observavi surculum, qui quamvis de stipite Adæ, per Abra- MARIA, surculus arboris. am, & David prodijt, nullo tamen verme vel putri Adamicæ noxæ infectus, crevit in ARBOREM vitæ: per quam intelligo Personam destinatam in Matrem, incarnando Filio DEI; quem quidem surculum, ex ipsa quasi summitate istius Genethliacæ ARBORIS reverenter decerpo: hoc est ex ultimis sed principa- MARIA, arbor paradisi. libus quoad Mysterium, verbis Evangelij. *Virum MARIÆ, de qua natus est JESUS*, videlicet SS. Virginem MARIAM. Hanc etenim B. Amadæus hom. 1. de fructu B. V. ARBOREM paradi- Amad. si appellat. *Ipsa* (inquit) *Virgo Virginum vernans in floribus, & fructuum suavitate delicians, apparet media; & velut plantata in medio paradisi, attollit verticem in altitudinem Cæli.*

5. Transeo hìc plurima, quæ de excellentia ARBORIS hujus dici possent, taceo de expansis sat patulè ramis ipsius, sileo de suavissimis fructibus, atq; de umbra ejus salvifica. Sed quia dies Imm: Conceptionis ejus, est quasi dies plantationis ARBORIS hujus, seu creationis animæ SS. V. MARIÆ, hinc commenda-

bo eam, & multifariè probabo, quòd cùm omnes filij Adæ, simus stipites verme originalis peccati infecti atq; putridi, ipsa SS. V. MARIA, statim in prima sui plantatione, prodierit veluti ARBOR viva, sine putri, sine verme, seu teredine originalis noxæ: præmissâ morali doctrinâ de verme & tinea animarum. Interea brevi rythmo saluto Neo-Conceptam. Propositio.

Ave Virgo, vitæ lignum: Quæ perenni laude dignum,
Fructum mundo attulisti: Salvo voto, quod vovisti.

PARS I.

De verme animæ s. de fomite peccati. 6.

INgeniosa Antiquitas, Verbo & facto tradidit posteris, inter hominem & ARBOREM, quandam intervenire Analogiam. Docuit nempè id facto; cùm moris ipsi fuerit, in cujusq; infantis nativitate, novam implantare ARBOREM. Verbo autem hoc idem promovit: nam præcipui illius sæculi Sapientes, Plato & Aristoteles docuerunt, hominem esse inversam ARBOREM: quod forsitan dixêre de homine ratione sitûs: nam caput cum crinibus, quod est radix sensationis, per modum radicum, cætera inferiora membra, ad modum expansorum imaginabantur ramorum. Sed rudes nimiùm erant istæ de creatione hominis, Ethnicorum imaginationes: alia nobis Orthodoxis, ex S. Scriptura, occurrit hujus Analogiæ ratio. Inquit enim Sapiens, Eccl: 7. 30. *DEUS creavit hominem rectum.* Rectitudo autem ista, juxta D. Thomam, consistebat in eo, quòd ratio subderetur DEO, rationi verò aliæ inferiores vires animæ & corporis. Ex qua fortè ratione Clem: Alex: c. 47. in Gen: Hominem appellavit plantam Cælestem, natam ad DEI contemplationem. Homo arbor apud Platonicos. Eccles. Clem.

Tamen deliciosa hæc ARBOR, cum tota sui propagine turbine illo primævæ tentationis in paradiso cecidit, & inversa est per Adam, in quo omnes peccavimus. De quo, ipsum dolenter simulq; zelotè arguerat *Esdras* l. 4. c. 8. *Si enim tu peccasti, non est factus solus tuus casus, sed & noster, qui ex te advenimus.* Itaq; sicut ARBORI succisæ, præsertim flante Austro, nil tam pro- 7. Ruinæ hominis, per peccatum effectus, vermis seu fomes peccati.

pinquum, quàm putredo, & vermis ille, qui teredo dicitur: sic & plantationi generis humani per peccatum originale ruinatæ, quasi congenita est, derivata olim ex Adamo putredo & vermis; nedùm ille, in quem ultimò resolvitur homo, secundùm mortale corpus; sed quòd miserabilius est, nobiliorem, quia immortalem portionem hominis s. animam, invadit quidam vermis, qui usq; ad intima hominis penetrat, eaq; indesinenter rodit, torquet, terebrat, ac sævè depascitur. Hanc putredinem existimo esse ipsum originale peccatum; vermem autem aut teredinem, primum genuinumq; illius originalis putredinis fætum, fomitem peccati appellabo. Hunc etenim Theologus sic definit: *Fomes peccati, est animi propensio in malum, ex peccato in nobis relicta.*

8. *Fomes peccati unde sic dicitur.* Ideo autem fomes dicitur, quia sicut fomes facilè concipit ignem, ita etiam hæc animi propensio, semper veluti in promptu est, ut à peccato ceu ab igne quodam celeriter corripiatur. De quo Gen: 8. 21. *Sensus autem & cogitatio hominis, prona sunt ad malum, ab adolescentia sua.* Cujus permolestæ teredinis morsus & stimulos, Viri etiam perfectissimi experti, dolenter quandoq; ingemuerunt. Inter quos Apostolus Paulus inquit: Rom: 7. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi.* Quia tamen latitare, suoq; pabulo involvi, proprium est vermium, ideò ut cuiq; nostrûm, perniciosi hujus animarum vermis s. fomitis origo, & qualitates pateant, primum lumen capio ex S. Scriptura.

Gen. *Rom.*

Probatur Scripturaliter.

9. Illuminatissimus ille Jobtes, & quarumlibet miseriarum hominis optimè expertus, originem hominis, entitatem, innatasq; eidem proprietates describere volens, plerumq; utitur similitudine vermis. Ita enim fatur c. 25. 6. *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Quod M. Gregorius Moral. 17. 9. illustrare volens, taliter fatur. *Sicut ex homine filius hominis, ita ex putredine nascitur vermis. Unde rectè homo putredo, filius verò hominis, vermis vocatur. Primus quippe homo putredo non vermis: quia etsi per mortem putruit, non tamen ex putredine per nativitatem*

Job. *Greg.* *Homo vermis, cur?*

tem venit. Qui autem hominis est filius, vermis dicitur, quia jam ex mortalium corporum corruptione propagatur. Et rursus alio in loco, idem Job ait: *Dixi, Mater mea & Soror mea, vermibus.* Ecce, quod proprium est vermium, ex uno verme, multiplex & subitanea progerminatio vermium: id est, in homine per peccatum originale corrupto, tot stimuli & morsus, innati fomitis; concupiscentiæ nempe & propensiones, ad malum solicitantes rationalem portionem animæ: ut dicit Gloss. Ord. *Mater & Soror vermes sunt, natura & consuetudo; quia ex natura corruptibili & consuetudine perversa cogimur, ut quasi quibusdam vermibus, inquietis cogitationibus fatigemur.* Gloss.

10. Tandem idem Job: c. 24. 20. dixit de homine: *Dulcedo ipsius vermes.* Ex quibus verbis colligo, causam, originem, & nidum, hujus corruptæ generationis non aliam fuisse, nisi pulchrum illud & suave paradisi pomum, cujus degustata dulcedine, tota plantatio generis humani ex infecta radice Protoplastorum pullulans, tot miseriarum in anima & in corpore concepit vermina. Vulgaris experientia docet, arboribus succisis in plenilunio, vel Sole manente in Cancro, faciliter innasci teredinem. Profecto si observemus menses & tempora, quando cecidit primum illud lignum s. primus homo, Martius quidem (juxta nonnullorum Ephemerides) fuit, qui peridoneus lignis cædendis, ne verminent, esse perhibetur; nostræ tamen, primæ ARBORI valdè fatalis; & ideo non tam Martius, sed Mortius fortè appellandus à morte, quæ tunc primò nata, per unum hominem (ut ait Paulus) intravit in mundum. Insuper, steterat nobilis illa ARBOR, primus videlicet homo, in plenilunio originalis justitiæ sibi concreatæ, & effulserat ut Sol in decore suo, ille Protoplastorum animus, lustrans cuncta, s. omnes inferiores potentias, & sensus, quos bene sibi subditos habens, facillimè moderabatur: verùm ubi stetit in Horoscopo Cancri, hoc est, retrocessit à lege sibi data, & prævaricatus est mandatum Creatoris sui, instantaneè succisus, cecidit unà nobiscum: & ecce illicò hæreditavit illum putredo & vermis ille, s. rebellio inferiorum potentiarum, fomesq; peccati.

Job. Vermes in arboribus seu lignis succisis. unde? Martius, dicendus esse Mortius. cur?

Probatur **Figuraliter.**

11\. Jam habemus nidum & originem hujus vermis: videamus ulteriùs Qualitates vel potiùs vitia & damna ipsius, sub Figura S. Scripturæ. Notanda non leviter est illa Legatio & Stylus orationis, cum qua olim expediebatur Propheta Joel: ad

Ibid. domum Israel: Joel: 1. 1. *Audite hoc senes, & auribus percipite universi habitatores terræ &c. Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ, comedit bruchus, & residuum bruchi, comedit rubigo.* Quatuor hic genera, sive species vermium numeravit Propheta, qui protunc & in futurum, signabant superventuras plagas, contra gentem apostatricem, domûs Israel; in præterito verò, juxta S. Hier: symbolicè exprimebant quatuor ægritudines, & passiones animi, quæ ex originali peccato in paradiso prognatæ, nunc quoq; discruciant & torquent animas nostras: gaudium videlicet, tristitiam, spem, & metum; quibus plerumq; homo propellitur ad illicita; quo fit, ut gaudeat & delectetur abominandis, tristetur de salutiferis, confidat in caducis, & metuat ea, quæ minùs timenda sunt. Hinc S. Doctor contra hos passionum vermes aliqualem suggerendo medelam, ita scribit. *Cavendum est igitur, ne ægritudo quasi eruca nos comedat, ut locusta vastet in gaudio, huc illucq; volitans, & gestiente lætitiâ per diversa se jactans: ne bruchus, id est pavor, & futurorum metus, radices sapientiæ devoret: ne rubigo, & desiderium futurorum res inutiles concupiscat, & nos perferat ad ruinam.*

Vermes hominis quatuor explicantur.

Hieron.

Hieron.

12\. Joan: à S. Genimian: observavit, quòd vermis ligni, qui teredo dicitur, sit mollis dum tangitur; unde à Davide dicitur, tenerrimus ligni vermiculus: durissimus tamen est, dum ipse tangit; nempè rodendo lignum. Præterea, vermis iste est inquietus; nunquam enim cessat à rodendo quacunq; ex parte ligno. Tandem non emoritur, nisi toto consumpto ligno. Quæ tria perbellè explicant Qualitates, interni nostri vermis s. fomitis peccati, & propensionis ad malum. Primò etenim tenerrimè tangit animam præfatum malum; nam quasi insensibiliter allicit illam ad consensum in vetitum, & lentè mellita diffundit aconita illicitarum delectationum: re ipsâ tamen durissi-

Teredo vermis, mollis & durus; fomitis symbolum.

rissimè tangit animam, nova & nova superfætando passionum vermina. De quo audiamus sensum S. Hier: *Ego reor, erucam esse insipientem in animo passionem; quæ tarda est & discurrere non potest, & morâ ipsâ ac pertinaciâ ebibit & exsugit omnem vigorem; quam si non occiderimus, in nobis crescit & avolat, & nunc devorat quidquid attigerit, nunc semiesa dimittens pergit ad alia, revertensq; ad propriam sedem, bruchus efficitur; ut non solùm fruges & folia & cortices, sed & ipsam medullam devoret tarditate.* Hier.

Deinde, fomes peccati, est vermis & malum inquietum; quod Mellifluus Doctor in se ipso expertus, dilucidè fateri non erubuit, in Matt: 19. dum ita ait: *Nihil in me sedet, sed cuncta in motu sunt, omnia nutant, fluctuant universa. O si unquam sedero totus! cujus modò nec minima quidem portio sedet; in quo nihil tranquillum, nihil quietum, sedatum nihil, nihil unquam in eodem permanens statu. Anima fluctuat jugiter, donec peccati corpus inhabitat, ascendens usq; ad cælos, & descendens usq; ad abyssos, tabescens in malis, & ad bona nihilominus inardescens.* Accedit his malis duobus, tertium; quia s. vermis iste seu fomes non emoritur, nisi consumpto & simul cum illo deficiente pabulo; hoc est nonnisi mortuo homine; quippe nec decrepitis senibus, imò nec morituríentibus parcit: quod ipsum palàm confessus quidam multorum annorum Asceta; qui dum proximus agoniæ, advertisset ministrantem circa infirmi lectulum fæminam, increpans eam dixit: *Recede, adhuc enim in me vivit igniculus, à quo muliebris palea submovenda.* O vermem Tigride sæviorem! ô deplorandam Filiorum Adæ plantationem, tantis animi tempestatibus propter originale peccatum obnoxiam! 13.

Bern. Fomes, inquietum malum.

Fomes, etiam agonizantes turbat.

Probatur

Historicè.

Cæca licet Ethnicaq; Antiquitas, bene advertens has propensiones in homine ad malum, non absimilem formavit conceptum de homine. Plato etenim pinxerat stipitem quendam profundè radicatum in terra, è cujus medio prorumpebat & enascebatur figura quædam hominis clavam manu tenentis: hinc verò & illinc de ipsis radicibus pullulabant effigies ferarum: ut Leonis, Ursi, & Tigridis, &c. Homo ergo ille cla- 14.

vâ

Platonis mira Idæa de homine.

va armatus, nimiùm attentus erat, ut vix advertisset pullulare illa spectra, protinùs ea aggrederetur & perimeret; quòd si fortè somno vel alijs distractus id neglexisset, enata succrescebant monstra, factaq; validiora, difficiliùs postea vinci & confici poterant.

15. O quàm adæquatùm corruptæ originali peccato, & inde fomite malo infectæ, naturæ humanæ schema! Facta est natura nostra, tanquam truncus profundissimè radicatus in terra: ut ait Job: 5. 3. *Vidi stultum firmâ radice*. Et Regius Psaltes Psal. 43. 25. *Conglutinatus est in terra venter noster*. Quò autem profundiùs mittit in terram radices suas, iste miserabilis truncus, tantò plures & ferociores erumpunt inde bestiæ: quia quò magis terrenis afficimur, aut delectamur, tantò ampliùs fomes peccati, & pronitas ad malum in nobis excrescit: hinc enim prodit superbiæ Leo, luxuriæ Aper, Tigris iracundiæ &c. sed eminùs de stipite conspicitur homo cum clava; nam DEUS posuit illum in manu consilij sui, ad comprimenda ista nefaria monstra, inimica menti & legi: inquiens Gen: 4. 7. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*.

Job: Psal: Gen.

16. Et quidem, si vigilanter, si studiosè quis se gerat, ferarumq; illarum, s. motuum illicitorum conterat & suffocet capita, hic qualitercunq; succurrit corruptæ suæ naturæ, eamq; saltem à majori præservat ruina. Secùs verò contingit in illis, qui ferinis his motibus adblandiuntur, huncq; innatum fomitem ad malum, delectationibus illicitis & pravis desiderijs adaugent, nutriunt, fovent. fit enim, ut pessima ista progenies, tantò magis venenoso suo afflatu inficiat naturam: adeò, ut ille homo continuis motibus, morsibusq; passionum, sibi ipsi intolerabilis, proximo gravis, DEO abominabilis, distorqueatur vivens adhuc, à verme illo, qui nunquam moritur, cum sceleratissimo Rege Achab, aut miserabiliùs fortè; quia ille in corpore, hic autem in anima. Et tandem tanquam verminosum atq; putridum lignum, subitò manu ferientis DEI succidatur, ac in ignem mittatur æternum. O miseram propaginem naturæ humanæ! ô maledictam plantationem Protoplastorum post peccatum! quæ à planta usq; ad verticem, propagines ejus: adeò

Fomes peccati crescit pravis actibus.

into-

intoxicavit; in qua omne caput languidum præ putredine culpæ originalis, & omne cor mærens, ob edacem teredinem innati fomitis video: utinam Protoparentum planta seu pes stetisset nunquam, sub illa planta seu vetito paradisi ligno, profectò prima illa nostra plantatio originalis, taliter non verminasset.

PARS. II.

SS. MARIA, sine verme originali. 17.

PRima in terris veritatum Magistra, Ecclesia Orthodoxa, hoc singulare de summo Creatore observavit, quòd propter prævaricationem Adæ, terræ cunctisq; germinibus ejus maledicturus, ARBOREM illam, in qua progressu sæculorum Filius DEI in carne, pretium peccati exsoluturus erat, ne ex maledictione communi, putredini & vermi subjacuisset, eam diligenter notaverit: sic enim canit Brev. Rom: Hym: Dom: Pass: *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.* Quod à fortiori censeo dicendum de mystica ARBORE; hoc est, de SS. V. MARIA, cujus pretiosus fructus, in redemptionem peccati destinabatur: eam nimirum à communi illa infectione & ruina plantationis generis humani, quam supra spectavimus s. à maledictione exceptam, cadente Adamo, non cecidisse: adeoq; nec putredini originalis peccati, aut vermi fomitis pravi ullo modo subjacuisse. Sed à conjecturis, veniamus ad alios fontes solidiorum rationum.

Crucis lignum ex paradiso.

Brev.

Probatur **Scripturaliter.**

Ex primo fonte rationum, Sacra videlicet Litera, triplex occurrit asserti nostri probatio, nempe ex parte nominis, plantationis, & fructûs ARBORIS hujus mysticæ. Nomen primùm & plantationem ipsius habeo ex verbis illis Gen: 2. 1. assumptis pro Themate: *Produxit (inquit) Dominus lignum vitæ, in medio paradisi.* Dixi jam supra ex sensu Patrum, symbolicè id asseri de SS. V. MARIA Matre DEI. Nomen ergò ipsius erit, quòd dicatur ARBOR vitæ: sic etenim salutatur à S. Ephrem Serm. de laud: V. *Ave Paradise deliciarum, totiusq; amœnitatis, ave* 18.

Gen.

Ephr. MARIA Arbor vitæ cur?

lignum vitæ. Dicitur autem ARBOR vitæ; quia nobis protulit fructum vitæ, ad sananda in nobis vulnera mortis: dulcissimum f. JESUM, Redemptorem nostrum. Item, dicitur ARBOR vitæ, quia ipsa est totius generis humani vita: quod in dies fatetur Ecclesia, dùm canit: *Salve Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve.* Unde S. German: Constantinop: ait: *Non tantùm dolet anima cùm à corpore avellitur, quantus dolor, Te Immaculatâ privari.* Sed præcipuè & ad præsens, DEIpara ARBOR vitæ dicenda, ex eo, quia nunquam peccato mortua, nunquam putrida, nunquam verminosa: quæ etenim conventio morti cum fonte vitæ, aut vermi putrediniq; cum ligno, quod statim quasi in paradiso cum vita, quia ut ARBOR vitæ, plantatum fuit.

Hymn. Serm. MARIA, nunquam non viva.

19. Secundò observemus primam plantationem hujus ARBORIS. *Produxit* (*inquit textus*) *Dominus in medio paradisi lignum vitæ.* Paradisum symbolicè puto, nobiliores plantas Spiritus S. videlicet rationales creaturas, nimirùm Angelicam & humanam; idq; secundùm prærogativas, privilegia & perfectiones gratiæ. Medium autem, ubi ipse apex & medulla virtutis residere solet: juxta illud vulgare. *In medio virtus;* intelligo cum Gloss: statum supremum perfectionis gratiæ: qui non alius erit, quàm ipsa justitia originalis; & quidem excellentissima; id est, connotans etiam inamissibilitatem. In hoc ergò medio paradisi, dum plantata dicitur ARBOR vitæ mystica, B. V. MARIA, eo innuitur creatam fuisse, in excellentissima illa gratia originali, respectivè ad Angelos & homines; quibus quidem concreata fuit gratia, sed cum amissibilitate. Unde non frustra usurpat sibi B. Virgo illa Sapientiæ verba: Eccl: 24. 16. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Tigur: vertit. *Radicatio mea.* In quæ verba sic scribit Sebast: Barrad: in Cant: Moys: l. 3. Serm: 8 n. 343. *B. Virginis laus plenitudinem in qua gradum figat non habet, nisi dicamus ultra Sanctorum omnium merita concessam illi fuisse ab originali peccato immunitatem. In hac assertione, sita est plenitudo Sanctorum, in qua detinetur.*

Gloss. MARIA plãtata in medio & plenitudine Sanctorum. Eccl. Barrad.

20. Notanter autem addidit textus. *Produxit Dominus lignum vitæ.* Dixerat ante: *Creavit DEUS cælum & terram,* &c. *Creavit hominem:*

minem: dum autem creationem ARBORIS vitæ describit, mutat tantisper stylum, dicens: *Produxit Dominus*: non autem dicit, *Produxit DEVS*. Ex quo ipso non contemnendum pro immunitate ARBORIS vitæ, Almæ s. Matris DEI, à verme originalis peccati & fomitis, possumus formare argumentum, in simili conceptu, qualem doctissimus *Labata* ex illis Salutationis Angelicæ verbis; *Dominus tecum*, suggerit; qui satis ingeniosè observat, terminum *Dominus* appellare aliquid plus, id est, cõnotare absolutam & extraordinariam potentiam DEI: non ita autem terminũ *DEVS*. & inde pro immunitate Ortûs MARIÆ à peccato, hujuscemodi paraphrasim apponit. *Dominus* (inquit) *tecum*: *id est, quamvis vt filia Adæ in peccatum originale incidere debuisses; tamen in quantùm Dominus est, te à peccato præservavit.* Atq; sic à pari, cum lego Dominum produxisse Lignum vitæ, Almam s. Matrem DEI, statim quasi subaudio DEUM absolutæ suæ Potentiæ manu, ab illa Sanctissima & vitali plantatione, procul abegisse omnem putredinem & vermem originalis noxæ.

Labata.

Vox Dominus, plus significat, quã Vox DEVS.

21\. Tertiam tandem ad probandum rationem ex fructibus ipsius ARBORIS, depromo ab ipsius Salvatoris doctrina: qui Matt: 7. 16. docuit: ex fructibus ARBORUM, cognoscendas esse qualitates earum: item quòd ARBOR mala non possit facere fructus bonos: & quidem ipsâ quoq; attestante experientiâ, quâ videmus ex verminoso ac putrido ligno, non prodire nisi putridos & verminosos fructus. Fructûm porrò ARBORIS nostræ, Almæ s. Matris DEI, duplicem considero; vel illum benedictum fructum ventris ipsius virginalis, Salvatorem nostrum JESUM: vel fructus morales: id est, opera, passiones, actiones vitæ ejus. Primus fructus ejus, qui est ventris, est superbenedictus & Sanctissimus, ab omniq; rubigine peccati remotissimus. Nam de illo scriptum est. 1. Pet. 2. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* In fructibus etiam mentis s. in operationibus omnibus vitæ DEIparæ, nulla actio verminosa cernitur; siquidem, etiam juxta eos, qui oppositam Imm: Conceptioni tuentur opinionem, à veniali quoq; minimo absolutè immunis fuit B. V. MARIA; & quod plùs, ab ipsoq; verme originali, id est, à fomite seu propensione ad peccatum: ut mox infra

Matt.

MARIAE Conc. Imm. ex fructibus ejus probatur.

Petr.

probabitur. Itaq; ex illo assumpto Salvatoris: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* & simul ex his tam sanctissimis ventris ac mentis fructibus, quos protulit ARBOR MARIA, liquidò concluditur, eam statim in prima plantatione seu creatione sui, fuisse ARBOREM vitæ sine verme originalis peccati, & fomitis ad malum.

Probatur

Figuraliter.

22. A litera Scripturæ veniamus ad Typum. Egregia quædam Figura, hujus intactæ à verme originali ARBORIS, DEIparæ Imma: Conceptæ, se insinuat, in illa visione, quæ describitur apud Prophetam Danielem. Viderat inquam Rex ille Nabuchodonozor in somnis ARBOREM quandam immensam, in medio terræ plantatam, fortem, vigorosam, & validam: quæ vertice tangebat cælos; ramos verò folijs adornatos, fructibusq; copiosissimis onustos, quàquà versùm extendebat per terram, habitabantq; sub ipsa animalia varia, volucres autem ramos circumvolitabant. Et protinùs audita fuit vox, dicentis: *Succidite arborem, præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus, &c.* Dan. 4. 11. etiam additum. *Verumtamen germen radicum ejus in terram sinite.*

Arbor Nabuchod: Symbolum naturæ humanæ.

Dan.

23. Porrò per hanc proceram ARBOREM & elegantem, quidam recentiorum, inter quos *Jos: Mansi*, intelligunt primum Parentem nostrum. Hæc ARBOR vertice suo olim Cælos tangebat, quia anima ipsi infusa ad beatitudinem consequendam creata, nec non cælestibus donorum & gratiarum thesauris locupletata fuerat. Per ramos autem in varias se partes protendentes, numerosissimam humani generis stirpem & propagationem interpretantur: quæ se per universam terram quàquàversùm extendit. Per fructus & frondes ARBOREM adornantes, intelligunt virtutes, merita, dona, quibus in statu felici innocentiæ adornata fuit. Animalia verò, quæ sub ingenti hac ARBORE habitabant, perfectum horum denotabant dominium: at verò ubi primùm primus Parens noster, post Divini præcepti prævaricationem, DEO factus est rebellis, statim terribilem illam audivit sententiam. *Succidite ARBOREM &c.* experientaliter jam sentiens in se, illud comminativè ante prolatum, Gen. 2. 17. *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris.*

Gen.

Factum

Factum ergò est, quòd tam procera, tam pulchra ARBOR (primus videlicet homo) confestim in terram, unà cum suis ramis, id est, posteris corruit, computruit, & data est in escam vermium, igniq; adjudicata. Nihilominùs advertendum est, decreto Supremi illius vigilis, intactum ut relinqueretur quoddam germen ARBORIS illius mandatum fuisse. *Verumtamen* (inquit) *germen radicum ejus in terram sinite.* At verò nostisne dicere, quid nam per radicem hanc intelligatur? Non aliud certè, nisi ipsam B. V. MARIAM juxta Prophetiam Isaiæ II. I. *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Ipsam ergò MARIAM, hinc patet, in illa Adamicæ ARBORIS ruina, veluti singulare germen, & quæ deinde crescere debebat in ARBOREM, hoc est, fieri Mater DEI, conservatam fuisse à casu, neq; nobiscum morte peccati succisam; adeoq; immunem à putredine & verme illo originali, nobis qui in Adam cecidimus, communi. 24.

MARIÆ germen radicum intactum.

Isa.

Hanc originalem imputribilitatem ARBORIS vitæ MARIÆ, 25. iterum figurâsse videtur materia Arcæ illius Moysaicæ, quæ & dicebatur Arca sanctificationis: hæc enim materia, erant ligna Setim imputribilia tantoperè celebrata, nullum vermem, nullam cariem, nullum vetustatis vitium gnara pati. Communis enim est sensus Patrum, Arcam illam Testamenti, typum fuisse B. V. MARIÆ; cujus aliquot rationes dat S. Ambros. inquiens: *Arcam verò, quid nisi S. MARIAM dixerimus: siquidem Arca intrinsecùs portabat testamenti tabulas; MARIA autem ipsum testamenti portabat Hæredem. Illa intra se legem, hæc Evangelium retinebat. Illa DEI vocem habebat, hæc Verbum. Arca intùs forisq; auri nitore radiabat; sed & S. MARIA, intùs forisq; splendore Virginitatis fulgebat: illa terreno ornabatur auro, ista cælesti.* Imputribilitas ergò & immunitas à verme, Arcæ illius testamenti, Arcæ Sanctificationis, optimè repræsentat, imo arguit; quòd cùm sibi DEUS B. V. MARIAM in Domum, thalamum, habitaculum speciale, nempe in Matrem elegerit, absq; dubio exornare & donare eam debuit originalis imputribilitatis seu impeccabilitatis privilegio; & quia futura ipsi erat in Arcam Sanctificationis, in qua reconderetur Sanctus Sanctorum, vel ut alij legunt, Arcam forti-

MARIæ Imm: Conc: typus, Arca testamenti.

Ambr.

Arca testamenti, fuit immunis à verme.

fortitudinis, propterea justum fuit, ut Præpotens DEUS in fortitudine absoluta manûs suæ, abegisset procul ab illa, quidquid sanctitati contrarium esset, atq; ut omne verminosum de semine Adæ prorumpens, totaliter ab illa exterminasset: quatenus ita Alma DEI Mater prodiret in Conceptione sua, velut ARBOR seu Lignum sine tinea, sine verme.

Probatur **Doctoraliter.**

26. Vermem illum ex putri originalis noxæ prognatum s. fomitem peccati, alienum fuisse ab hac ARBORE vitæ Alma s. DEI Matre, sat clarè fatentur Patres. Crysippus Presb: hom: 2. de laud: ait: *MARIA Adamum comminatione liberavit, audaciam draconis abscidit; quam concupiscentiæ fumus non attigit, neq; vermis voluptatis eam læsit.* Rich: à S. Laur: l. 3 de laud. V. *Si ipsi pars est quædam cum verme, jam non credam, quòd sit plena gratiâ.* Et alius Rich. Victor. l. 2. de Emanuele c. 29. illa verba Psalmi explicando: *Auferens bella usq; ad finem terræ, dicit: Quæ est ista terra, de qua bella omnia finetenus auferuntur? nisi illa, de qua idem Propheta alibi testatur. Veritas de terra orta est. De hac itaq; terra omnis pugna tollitur, in hac terra pax plena reparatur, &c. Attende itaq; in quantæ securitatis arcem te erexit, ad quam nec violenta, nec fraudulenta tentatio, de cætero accessum habere potuit.*

27. Pet: Bles. Archid: in Ser: de M. Magdal. sic de B. V. ait. *Sed quia non novit peccatum, sensit in se fomitem extinctum, nec experimento scivit, quàm intolerabile est certamen, cùm accingitur homo contra seipsum, quàm difficilis victoria, ubi idem vincit & vincitur.* S. Bernard. Sen. T. 1 Ser: 52. a. 1. c. 1. *Fuit B. Virgo sine tyranno concupiscentiæ originalis, quia sine eo concepta est.* Quod conformiter dixit ad illud S. Damasc. l. 3. de Orthod: fid: c. 2. *Nequaquam admittenda in illa* (Virgine) *carnalis concupiscentia, in qua nullum fuit actuale peccatum, nec originale: adeoq; nullus fuit fomes peccati, nec stimulus ad malum; utpotè quæ in suæ substantiæ & Conceptionis exordio, culpæ originalis immunis fuit.*

Probatur **Miraculosè.**

28. Greg. D. Gregorius reddendo rationem hom: 2. sup. Lucam. quare nam Christus D. ad fidem suam stabiliendam miracula induxerit?

rit? inquit: *Quia carnales adhuc erant discipuli, nullo modo volebant capere verba mysterij, venitur ad miraculum.* Sic & in proposito. quia multi vacillant, alij increduli sunt circa Immac: Virginis Conceptionem; ideò post rationes, ad miracula quoq; & nobis descendere visum est: quæ pro comprobando Immac: Ortu Virginis, & immunitate ipsius ad originalis peccati verme ubertim patrasse placuit Altissimo: cùm autem miracula non possint fieri in testimonium falsitatis, ingens & herculeum robur subministrabunt piæ sententiæ in sequentibus discursibus. Illud hîc interea memoro ex Carthagena, quòd insignis Doctor Joann: Americus in Concione coram Sacr: Concilio Triden, perorávit & asseruit; plures videlicet Prædicatores, qui vermem ori ginalis labis, Conceptioni B. Virginis adstruere conabantur, in graves incidisse morbos: & aliquos illorum pertinaciores, turpi aut subitaneâ morte occubuisse; vel revocatâ suâ opinione, sensuq; mutato, miraculosè & instantaneè perfectæ sanitati fuisse restitutos. Specialiter id adnotavit Pelbart: l. 4. Stellarij p. 1. a. 3. & Bern: de Busto Ser. de Concept. de Alexandro Alensi Doctore irrefragabili. Is enim dum juxta leges humanæ prudentiæ, Imm: Conceptionem B. Virginis, ipso illius Festo, impugnare conaretur, mox in Magistrali cathedra, tantos repentè cæpit sentire dolores, & tormina, ut omnibus admirantibus & condolentibus, semimortuus fuerit extractus. Qui paulò sui factus compos, emisit votum scribendi librum pro Imm: Conceptione, ac palinodiam canendi de eis, quæ aliquando contra originalem puritatem DEIparæ dictaverat in Schola: en protinùs convaluit, desijtq; malè torqueri tum, quando vermem peccati torquentem Conceptionem MARIÆ negavit.

Marianam Concep. impugnantes, miraculosè puniti.

Alex. Alensis quomodo sapuit sentire de Imm: Concept.

Probatur

Scholasticè.

THEOL: Non contemnenda turba Theologorum stat pro abigendo hoc turpi fomitis verme, & simul putri originalis culpæ, à Conceptione Almæ DEI Matris: ut potè Thomas de Argent: Marsilius, Corduba, Vasques, Suares, Canisius, Barradias citati à Salazar, Tract. de Concept. c. 28. quos & ille sequitur. Qui parùm putantes, cum communi sententia asserere, in B. Virgine 29.

gine

gine, fomitem peccati fuisse tantummodo ligatum, aut constrictum; ulteriùs validis rationibus probant, fomitem hunc in illa prorsùs extinctum & suffocatum fuisse. Ex quorum rationibus unam nonnisi hîc pono. Fomes peccati dicitur à S. Paulo sup. cit. lex peccati; imò ipsum peccatum; & quidem non in eo sensu, in quo dicitur Christus D. factus esse peccatum pro nobis: sed magis propriè & à causa. Ut observat S. Aug: l. 1. de Nupt. c. 23. inquiens: *Concupiscentia sic vocatur peccatum, quia à peccato facta est, sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; & manus, scriptura, quam facit manus. Itemq; sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit facit; sicut vocatur frigus pigrum, quòd pigros facit.* Cum qua S. Doctoris Sententia coincidit doctrina Conc: Trid: ubi ait: *Concupiscentia peccati nomen fert, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Sess. 5. num. 5. Præterea, idem peccati fomes appellatur à S. Basilio *Innatus dæmon.* à Magistro Senten: *Tyrannus.* Atqui SS. Patres universaliter dicunt, à Beatis. Virgine, procul fuisse omne peccatum. Item implicat, illam, quam dicitur statim ab initio possedisse DEUS, fuisse aliquando simul & semel subditam legi & servituti peccati, atq; dominationi, tyrannidiq; innati dæmonis. Ergò in B. Virgine, in ipso puncto Conceptionis illius, fuit prorsùs extinctus fomes peccati, & propulsus pestifer ille vermis Adæ. *Confirmatur.* Ipsum vocabulum *Fomes.* qui facillimè aptus est concipere ignem, valdè dedecorum videtur honori Mariano. Nam SS. DEIparam, ita fuisse dispositam ad peccatum & promptam ad malum, sicut fomes ad ignem, mens pia de illa eximia puritate, etiam vel imaginari abhorret.

Aug.

MARIA extinctum habuit fomitē.

Trid.

30. PHILOS: Etiam Philosophus adest, decertaturus pro puritate Ortûs MARIÆ. Hic communiter docet, quòd generatio viventis ex putri, non sit generatio univoca, sed æquivoca: quia non est viventis ex vivente in similitudinem naturæ: & talem generationem esse ipsorum animalium imperfectorum. Unde rectè infert, perfecta animalia v. g. Hominem, Leonem, &c. non posse gigni ex putri. Quomodo ergo (ego infero ex prædicto Philosophorum principio) ille perfectissimus hominum, & primogenitus omnis creaturæ, Homo DEUS; ille Victor Leo de tribu Juda; quomodo verus & univocus Filius MARIÆ, quomo-

Animalia perfecta ex putri generari nequeunt, hinc argumētum pro Im: Concept.

quomodo perfectè Matri simillimus: præsertim quòd Aug. Tract. ad Fratr: Serm: 20. dicat: *In Cœlo qualis est Pater, talis est Filius: & in terra, qualis est Mater, talis & secundùm carnem Filius.* Quomodò (inquam) CHRISTUS JESUS, ex MARIA condignè gigni potuisset, fieriq; benedictus fructus ventris ejus, si illa quandocunq; putre lignum, verminosumq; fuisset? ipsâ huic reclamante sanâ Philosophiâ. Aug.

SYMB: Sed etiam ex Schola Emblematum videamus, quid ad 31.
nostrum propositum proferant Symbolistæ; quorum est signis rebusq; non vocibus loqui. Pinxerat quidam eximium Sculptorem, qui numinis cujusdam statuam elaboraturus, stabat inter variorum lignorum truncos, magis idoneum suo operi delecturus: apposito pro Lemmate, illo vulgari: *Non ex omni ligno Mercurius.* Mos enim erat antiquis, statuas deorum suorum, ex selectioribus (quæ imputribilia essent) fabricare lignis. Faber ille significabat summum Opificem universi; lignis verò & truncis, omnes puri homines de stipite prognati Adæ, denotabantur. Cælestis hic Artifex, ab æterno accinxerat se operi inter cætera perfectissimo: erigenda scilicet erat statua, non jam falsi alicujus Deastri, sed ipse Filius DEI, in nostræ naturæ similitudinem: cæterùm non ex omni ligno, sc. non ex quacunq; Matre, prodire potuit hæc cælestis Imago. Tot ergo sæculis (nostro loquendi modo) deliberavit infinita Artificis Sapientia, in deligenda Matre: vidit quidem mille millia lignorum, nempe filiarum Adæ, sed cuncta advertit putrida ac verminosa, saltem ob originale peccatum, & fomitem malum: de quibus propterea prodire decenter non potuit ille Cælestis Mercurius, Legatus & Mediator salutis nostræ, Filius DEI in carne. Unam tandem designavit S. V. MARIAM, quæ esset idonea Mater tanti Filij; Lignum omninò imputre, ARBOREM à verme originalis peccati immunē.

Mercurius non ex omni ligno.

Deorum statuæ fiebant ex lignis imputribilibus.

CHRISTUS Mercurius, ex ligno sc. Matre imputri.

POES: Accurrit ad tuendam in Ortu suo SS. MARIAM, cum 32.
pedibus suis Poëta, atq; sic pedibus manibusq; nititur exturbare vermem originalem à nostra ARBORE vitæ, dum in quasdā ex adductis adducendisq; rationibus, ludit luditq; carmine.

Si quibus à terris venit absq; teredine Lignum:
A paradisiacis plantula, Mater ego.

Nam mea primævæ culpæ Conceptio vermem
Ignorat penitus, putreq; crimen Adæ.

33\. Nec sagacior, tersiorisq; ingenij in numeris literarum Arithmeticus, ab hoc pio Scholasticorum pro Imm: Ortu MARIÆ Zelo, excludi se patitur: profert enim ingeniosa quædam, ex illo in mille millia multiplicabili Programmate: Ave MARIA &c. aliqua Anagrammata

PROGR: *Ave MARIA gratiâ plena, Dominus tecum.*
ANAG: O vere imputride Lignum, ac sana amata.
Lignum sine verme; at cui parata? Adamo.
Lignum sine verme, citò adamata parva.
Notes Adam: Lignum vitæ, pulchra MARIA.

Probatur Historicè.

34\. Fabulam magis censeo, quàm Historiam, quod ex traditionibus Hebræorum refert Author Thet: Vit: hum: Verb: Sepult: quòd videlicet, dum jam Adam senio confectus morti appropinquaret, recordatus fortè selectiorũ, quæ olim viderat in paradiso, lignorũ, miserit unum ex filijs suis ad Cherub vigilem Paradisi, petendo ut aliquid de fructu aut succo ARBORIS, quæ appellabatur *Misericordia* mitteret illi pro cōsolatione. Denegatum id quidem ab Angelo; fertur tamen dedisse illi Nuntio tria grana ex fructu prænominatæ arboris, & dixisse: vade, jam defunctus est Pater tuus: hæc tria grana dũ ipsum sepelies, imponito ori ejus; cùm autem germinaverint, prodibit ARBOR, & tunc Parens tuus salvus fiet. Executus est fideliter ille Nuntius mandatum: & tractu temporum ex consepultis granis, tria pullularunt germina; quæ successivè creverunt in ARBORES: ex quarum postea lignis, opinantur multi, fabricatam fuisse Crucem: in qua Salvator noster mortuus, Adæ & posteris ejus, morte suâ vitam attulit & salutem.

Adam cum tribus granis sepultum & inde prodisse lignum Crucis, putant aliqui.

35\. Sit sanè hæc fabula & figmentum Rabbinorum, in re tamen significata apud me veritas est genuina. Mortuo enim & sepulto Protoparenti Adæ, inexhausta Altissimi bonitas, tria grana in ore ejus quasi recondidit: quæ non alia interpretor, nisi Trium SS. TRINITATIS Personarum beneficia, generi humano quandoq; exhibenda: nimirùm, Misericordiam æterni Patris,

Trinitatis beneficia in hominem.

tris, clementiam immensam Filii, & gratiam Spiritûs S. Hæ ergo grana misericordiæ in Adæ mortui propagine abscondita erant: quia quamvis DEUS, ut justus, pœnæ addixerit hominem mandati sui prævaricatorem, tamen ut clementissimus, finaliter eum non abjecit, relinquens ipsum in spe veniæ: tandem post aliquot millia annorum, germinarunt hæc tria grana, & creverunt in tres ARBORES vitæ, seu misericordiæ. Unam harum existimo, hanc quam ante nominavi S. V. MARIAM; alteram, quæ veluti surculus priori insitus crevit in ARBOREM, & sub cujus umbra requievit omnis caro, intelligo Filium ejus, dilectum JESUM: tertiam (non deviabo forte) si dixero ipsum lignum, in quo salus mundi pependit. Arbores tres misericordiæ; quæ?

36. Præclaræ sanè & ter benedictæ trinæ istæ ARBORES, & meritò nuncupandæ Ligna salutis & misericordiæ: quod specialiter asserendum puto de S. Genitrice DEI MARIA. Dicit enim Dion: Carthus: l. 1. de laud: V. *Per Virginem universum genus humanum à servitute peccati, à jugo, & subjectione diaboli liberatum est.* Dion. Quod si ita est: quomodo ergo originalis peccati putredo aut vermis eam attingere potuit, quæ ex grano vitæ, salutis & misericordiæ, quia ex prævisis meritis Christi Salvatoris, ab illo præservata, hodie prodit seu concipitur; utpote illa, quæ destinato tempore, eundem Salvatorem tanquam benedictum fructum in salutem totius generis humani est progerminatura. Ait enim idem Dion: *Si verè liberi sunt, quos Filius liberavit, quantò magis verè est libera, quæ Mater esse meruit tanti Liberatoris.* MARIA Arbor ex grano vitæ pullulans: hinc Imm: Concepta.

37. Herodotus l. 7. refert Xerxem Regem Persarum cùm iter faceret, invenisse valde speciosam Platanum; cui ornamenta appendit, torques, annulos, chlamydes, & ne ipsis spoliaretur, in discessu, de suis immortalibus (sic appellabat eos, quorum numerum semper completum conservabat) unum addidisse militem, pro ipsius custodia. Porro ex illo Eccl: 24. 19. *Quasi Platanus exaltata sum &c.* B. V. MARIA Platanus à PP. appellatur. Non ergò Xerxes sed Rex Regum, in hac ARBORE plusquam in cæteris ab æterno complacuit, eamq; suis delicijs utpotè sub cujus umbra Incarnatus requieturus erat, consecravit: ideò omnem Cælestium divitiarum splendorem, totamq; gratiarum Xerxi in amoribus Platanus. MARIA Platanus ornatissima.

Offic: Assūp: suppellectilem ut illam exornaret, exposuit. Prout canit Ecclesia: *Ornatam monilibus Filiam Jerusalem, Dominus concupivit.* Quid plura? Duo observo de Platano; unum commune quòd umbra ipsius pellat venenata: alterum singulare illius Platani, quæ (ut dixi) adamata à Xerxe, pro custodia sui non vulgarem, sed immortalē militem accepit. Vtrumq; hoc stat quàm bellè pro immunitate ARBORIS nostræ, MARIÆ, à verme originalis culpæ: hic enim venenatus, si umbram etiam ARBORIS hujus refugit, quæ prætereà ab immortali, & qui nunquam dormitat vigili, à Potentissimo videlicet Creatore speciali privilegio præcustodita fuit, quomodo illam invadere & inficere potuit?

Platanum fugiunt venenata.

EPILOGUS.

38. Vidimus jam sub lumine tot rationum, B. V. MARIAM in sua Conceptione veluti ARBOREM vitæ, sine tinea, sine verme, & putri originalis noxæ: ergò exultanti animo de excellentia ipsius, exclamemus cum B. Amadæo: hom 18. *O decus! ô gloria! ô magnificentia ARBORIS hujus! cujus fructu indeficienti, cujus pastu immortali, cœligenis atq; terrigenis fit jugis epulatio, continua exultatio, felix & sempiterna laudatio.* Dixit aliquando Habac: 2. 11. *Clamabit de ligno vermis:* juxta Versionem Sept: S. Hieron: *Scarabæus:* legit pro verme. Hic locus paulò aliter in vulgata legitur: *Clamabit de pariete lapis.* Vermis iste pro tunc denotet nos miseros homines, ex putri ligno s. Adamo prognatos, qui veluti Scarabæi fimo originalis noxæ innascimur, fatemus fomite concupiscentiarum, propriorumq; peccatorum pascimur & oblectamur sordibus. Clamare itaq; nos vult Propheta. *Clamabit* (inquit) *de ligno vermis.* Respondebo Prophetæ, alterius Prophetæ verbis: *Quid clamabo?* & ad quem? Scio tamen ad quem: Ad Te, ô semper virens, & expers omnis putredinis aut vermis, ARBOR vitæ, Immaculatè Concepta V. MARIA: sed quid clamabo?

Amad. Habac. Vermis de ligno clamans. Isa. 40.

39. D. Pet. Damian. l. 2. c. 18. scribit ARBOREM esse in Indijs columbarum amicam: quia umbra ejus fugat draconem factū columbarum insidiantem: unde circa illam multæ nidificant columbæ. ARBOR hæc, typus tuus est ô MARIA! quæ columbas ARBORI tuæ s. Imm: Conceptioni devotas animas specialiter foves. Nos ergo miseri & despicabiles vermes; imo quoq; columbæ Tuæ, quia Tibi devoti; facti quidem cum Ephraim sicut columba non habens cor, nisi tabidum à putredine originalis culpæ, & continuis morsibus concupiscentiarum exesum, quibus prætereà stygius insidiatur draco. Nos (inquam) ad Te, ô ARBOR vitæ clamamus: Ramos tuæ protectionis expande, complectere nos, defende, & fac, ne pereant omnes qui Te amant, qui deprædicant, Te esse ARBOREM sine verme, s. sine originali peccato conceptam: & dicunt:

Arbor columbarum amica, draconi infesta.

Io! vivat Sanctissimæ DEIparæ Immaculata Conceptio.



BALSAMUM, sine Mixtura, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

Isaac genuit Iacob. Matt: 1.
Quasi Balsamum non mixtum odor meus. Eccl: 24.

SUavem fragrantiam odorum, excellentis boniq; Viri stigma 1
ac vestigium fuisse, ex Sacris, profanisq; literis, satis compertum est. NN. Diodorus notavit, morem fuisse Ægyptijs, quòd filij Regum, ut faciliùs à plebeis ipso etiam olfactu dignoscerentur, semper gestarint in capitibus suis pixides plenas fragrantissimorum unguentorum. In sacris etiam legimus; Regium illum Sponsum, non aliter à Sulamitide sua cognitum, nisi ex fragrantia unguentorum ejus: ut ipsa Cant: 1. fatetur: *Trahe me (inquit) curremus in odorem unguentorum tuorum.* In novo itidem testamento, ut Regis Regum filij s. Christiani faciliùs cognoscantur, ideò uncti dicuntur: asserente S. Paulo 2. Cor. 1. *Unxit nos, & signavit nos, ut Christi odor bonus essemus.*

Odor stigma boni Viri.

Cant.

Cor.

Prodit hodie primò in medium Ecclesiæ Christi, Magni Regis, 2
quia æterni Patris; peramantissima Filia, SS. V. MARIA; dum primùm in utero dignissimæ Parentis suæ Annæ concipitur secundùm carnem, eiq; mundissima infunditur anima. En opportunè, & præ-

Jacobus Patria pigmentarius: cur?

Gen.

sto undiq; latepatenter spargi video præstantissimorum aromatum fragrantiam, suavissimaq; fragrare thymiamata. Imprimis ipsum Evangelium, quod universalis Ecclesia in hodierno prælegit Festo, eximium providit Pigmentarium; Jacobum nempe Patriarcham. *Isaac (inquit) genuit Jacob:* cujus vestimentorum fragrantia, jam jam moribundum Isaac, vitalibus olim refecerat spiritibus: cujusq; odores in benedictionibus: *Ecce odor filij mei (ait Isaac) sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen: 27. 18.

3. MARIA Balsamum.

Eccl.

Sed vulgare quid, agri odor, fortè cui videbitur, minùsq; congruum Filiæ tanti Regis; quales BALSAMA quibus unguntur Reges, non rudes agri odores decent? Igitur ipsa SS. Virgo, hodie Imm: Concepta, profert quoq; pretiosissimum suum & non vulgare BALSAMUM; dum ex communi sensu Interpretum de seipsa dicit: *Quasi* BALSAMUM *aromatizans, dedi suavitatem odoris.* Eccl: 24. 20. *Quasi* BALSAMUM *non mixtum odor meus.* 24. 21. O novam (*cum Rich: Vict: loquar*) Apothecam, Christi Medici! ô novos odores, nova & olim incognita thymiamata mundi, quibus cælum & terra in immaculato Ortu SS. DEIparæ reficitur, recreatur.

4. Gratia, balsamum animæ.

Mellifluus Bernardus S. 54. in Cant: Gratiam Sanctificantem vocat pretiosum BALSAMUM. Porrò præpotentis Conditoris dextera hocce pretioso & puro gratiæ BALSAMO inunxerat Protoparentes nostros in ipsorum creatione; sed infelices, prævaricati mandatum Cõditoris, citò satis in illo dederê mixturam, cujus fæx non est hucusq; exinanita in natis ipsorum. Ungimur quippe BALSAMO gratiæ, dum baptizamur, vel alio modo justificamur; sed BALSAMO gratiæ quasi non puro, & non sine mixtura; quia vitiati jam antecedenter originali noxâ, aut proprijs toties repetitis actualibus peccatis. Dum ergo hodie SS. DEIpara asserit se BALSAMUM fuisse sine mixtura, eò ipso innuit, se omninò in Conceptione sua, ignorasse pessimam illam mixturã Adæ f. originale peccatum. Quod ego luculentiùs explicare

Propositio.

intendo: præmisso Morali de BALSAMO animarum nostrarum, f. de gratia sanctificante. Interim implorando immaculatè Neo Conceptæ Virginis patrocinium, Rythmicè eandem saluto.

Ave

Ave Balsamum non mixtum Recreasti JESUM Christum.
Cujus virtus non decrescit. Neq; odor evanescit.

PARS I.

De Balsamo Gratiæ, pretio, & mixtura ejus.

DUdum jam non sola virtus, sed grata quoq; BALSAMA, indivisum sibi acquisivêre comitem, Invidiam. Notant enim Historici, infâmem illam Antonij pellicem Cleopatram, dum inviseret Judæam, & in hortis Herodis Regis, speciosam hanc Arbusculam advertisset, invidiâ ductam, fretamq; potentiâ Amasij sui, etiam invito Regi eam abstulisse, in Ægypto transplantandam. Non absimile factum visum est invidiâ diaboli contigisse, in Mystico BALSAMO justificantis gratiæ, quo unxerat DEUS Protoparentes nostros, ungitq; nunc animas nostras, eas justificando. Invidus enim rebellium Angelorum oculus, hanc felicitatem hominum sustinere nec potuit, nec potest: hinc salvifico frutici & unguento huic, hostis factus, à condito orbe, totus in eo laborat, ut illum vel eradicet per peccatum, vel ad summum inficiat, adulteret, varijs imperfectionum mixturis; bonumq; ejus odorem, quem debet habere in Christo, pessimè vitiet & corrumpat. Hinc videamus primò hujus salutaris BALSAMI gratiæ pretium, ut illud æstimemus; tandem mixturam in eo Sathanæ, ut ab ea caveamus. 5.

Cleopatra, Balsamum transportavit in AEgyptum.

Diabolus invidet homini gratiam.

Probatur **Scripturaliter.**

Quantùm ad pretium BALSAMI animarum nostrarum s. Gratiæ; S. Scriptura omnia ad libram diligentiùs examinando, determinare circa illud non audet: cùm de casta anima præfato BALSAMO gratiæ delibuta, taliter ait: *Non est digna ponderatio continentis animæ.* Prov: 26. 20. Pretia verò rerum plerumq; ex tribus solent crescere & pensari: 1. ex Origine, comparatione sui ad alias res, & tandem ex suis effectibus. Originem ergo, & fruticem, qui nobis BALSAMUM gratiæ stillavit, inquiramus. Hunc eadem S. Scriptura non alium ostendit, quàm nobilissimum illum surculum seu virgam ger- 6.

Prov:

mina-

minatam de radice Jesse, quem Virgo peperit; Salvatorem s. no-
Rom. strum JESUM Christum, asserente Paulo: Rom: 5. 21. *Ubi abunda-
vit peccatum, superabundavit & gratia; ut sicut regnavit peccatum
Balsami gratiæ, origo ex Christo. in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per
JESUM Christum Dominum nostrum.* De quo & Joannes Aposto-
lus. *Lex per Moysen data est, gratia per JESUM Christum.* 1. Joan. 17.
Non aliter prodit & stillat è frutice gutta BALSAMI, nisi ex incisi
corticis vulnere: nec pretiosa BALSAMA gratiæ & Sacramenta causa-
tiva ipsius, aliter nobis stillarunt, nisi ex Vulneribus Salvatoris; dum
unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Notavit inStyloEvangelistæ
Aug. S. Augustinus hoc mysterium: dum ita Tract: 120. scribit. *Non di-
xit percussit aut vulneravit, sed aperuit; ut illic quodammodo Ostium
vitæ panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manarunt; sine quibus
ad veram vitam non intratur.* Unde meritò idem S. Doctor ali-
bi gratiam vocat, *Unguentum ex confracto vase effusum:* id est, ex
aperto Vulnere Salvatoris.

7. Habemus pretium BALSAMI Gratiæ ex origine; jam perpendamus
illud ex comparatione illiusmet ad alia. Ad quod opportunè oc-
Prov. currit sapientissimus Salomon, cum illis verbis: Prov: 22. 1. *Super
argentum & aurum gratia bona.* Loquitur hic sapiens ut observat
Gratiæ pretium quantum. (Ven: Beda) de augmento gratiæ sanctificantis & de meritis: Sic
enim verba prædicta perpendens scribit: *Super argentum & au-
rum gratia bona: illam significat gratiam; cùm quis pro bono opere
laudatur à bonis, imò pro collatis ei donis meritorum glorificatur ab
eo, qui in cælis est.* Sed & Angelicus Doctor, parùm ducens uni
glebæ, griseæ vel albicantis terræ, pretium comparare gratiæ, con-
fert illam cum toto universo, pretiumq; ipsius in immensum auget;
Thom. dum ita docet. 1. 2. q. 113. a. 9. *Bonum gratiæ unius, majus est,
quàm bonum naturæ universi.* Idq; docuit conformiter ad mentem
August. S. Augustini l. 2. ad Bonif. c. 6. dicentis: *DEI gratia, non solùm
omnia sydera, & omnes cælos, verùm etiam omnes Angelos super-
greditur.* Ascendit adhuc ampliùs in pretio gratiæ idem Angelicus Do-
ctor; ipsi gloriæ beatorum eandem anteponendo. Sic enim ibi-
dem

dem ratiocinatur. *Donum gratiæ justificantis impium, est majus, quàm donum gloriæ beatificantis justum: quia plùs excedit donum gratiæ dignitatem impij, qui dignus erat pænâ, quàm donum gloriæ dignitatem justi; qui ex hoc ipso, quòd justificatur, est dignus gloriâ.*

Hinc jam facilè ab effectibus gratiæ, venire erit in pretium BALSAMI hujus mystici; de quibus nobis benè constat pariter ex S. Scriptura. Sanat enim vulnera animæ nostræ, inflicta per peccatum, juxta illud: Luc: 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Ungit signatq; homines in Filios, Amicos Regis cælestis; ut S. Joan: testatus est 1. Joan: 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur & simus*: Consequenter dat nobis jus ad vitam æternam: ut dicitur: *Si Filij, & hæredes.* Rom: 8. Item dat vitam animæ; quia facit, quòd omnia opera ejus sint viva, meritoria vitæ æternæ; ipso Salvatore asserente Joan: 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Cùm autem omnes præfati effectus Gratiæ, sint supernaturales, hinc est, quòd minima portio gratiæ sanctificantis pretiosior sit, quàm sint quæq; alia Entia ordinis naturalis, etiamsi perfectissima. Utinam hîc malè sanæ nonnullorum mentes sapiant & intelligant! qui vel levi illecti tentatione aut exiguo lucro, plerumq; resolvunt se ad jacturam rei, tam inæstimabilis pretij; s. ad amittendam gratiam per peccatum: quorum anima, hoc salutifero gratiæ destituta BALSAMO, languescit, fætet, & miserè emortua, damnationis æternæ rea manet. 8.

Luc.

Gratiæ sanctificatis effectus.

Rom.

Joan.

Probatur

Figuraliter.

Vulgò dicitur: Quò magis pretiosa, eò minùs tuta. Pretiosum hoc Gratiæ sanctificantis BALSAMUM, etiam apud magis solicitos circa curam animæ suæ, plerumq; minùs tutum est: nam quamvis tales conservent se à jactura totali ipsius; fragilitas tamen nostra veternosi serpentis sufflata spiritibus, miscet, agitat, deturpat frequenter illud, & veluti adulterat: & quidem multipliciter. Primum modum fraudulentæ hujus mixturæ notavit Sapiens Eccle: 10. 1. dum inquit: *Muscæ morientes, perdunt suavitatem unguenti*: Sensum 9.

Eccl.

Musca unguentis perniciosa.

porrò literalem horum verborum ipsa declarat experientia: nam ut advertit *Dyon: Carthus:* Dum musca cadit in unguentum suave, manendo & moriendo in illo, destruit ejus valorem, atq; odorem. Unguentum hoc moraliter significat unctionem gratiæ sanctificantis in anima. Per muscas inficientes, deturpantes animam, hoc unguẽto gratiæ delibutam, intelligit S. Bernardus concupiscentias inquietantes animam: ait enim: *Hæ concupiscentiæ prorsùs muscæ sordidæ & pungentes, quæ in nobis decorem naturæ fædant, mentem curis & solicitudinibus lacerãt, socialis gratiæ suavitatem exterminant.* Lyran: & Dyon: Carthus: per muscas corrumpentes unguentum gratiæ, intelligunt ipsum peccatum mortale: eò, quia unicum etiam, omnia præterita merita inficit & mortificat. Cæterùm idem Dionysius conformiter ad mentem S. Gregorij l. 18. Moral: c: 18. opportunam valdè proposito nostro adducit Expositionem; in qua per hasce muscas, peccata levia, & negligentias voluntarias intelligit, inquiens. *Spiritualiter muscæ morientes sunt cogitationes vanæ, inutiles, affectiones illicitæ, distractiones morosæ, quæ perdunt suavitatem unguenti; id est, experimentalem dulcedinem spiritualium exercitiorum.* Appositè servit hîc illud S. Patriarchæ Nostri, quod frequenter in ore habebat: dum enim quẽpiam languidũ in servitio Dei, & otiosum Fratrem adverteret, Muscam nominandum censebat.

Concupiscẽtiæ, muscæ sunt animæ.

Veniale peccatum, musca animæ.

S. P. N. Franc.

10. Tria mala infert Musca unguento, quod invadit: maculat, fæces relinquendo; minuit fragrantiam, & attenuat virtutem naturalem unguenti, cadaveribus suis, quamvis minutis, illud implendo. Tria pariter mala ex peccatis venialibus experitur unguentum gratiæ in anima justi, vel potiùs patitur ipsa anima: juxta doctrinam D. Anton: 1. p. tit: 10. c. 1. qui inquit: *Effectûs peccati venialis, nocumentum est multiplex: Primum est macula animæ; id est, impeditio exterioris fulgoris & nitoris actualis bonorum operum: secundò, minuit fervorem: tertiò, potestas animæ in bonis operibus lassatur.* Hinc est, quod de nonnullis venialibus peccatis, quæ quandoq; accidunt, etiam pientioribus, in laudibus Divinis, dixerit Hugo Card: *Qui Muscas istas ab unguento & Sacrificio Orationis, prout potest, non abigit; DEO cui offert, ipsam abominabilem reddit.* Vel-

Anton.

Venialis peccati, effectus.

Hugo.

Vulgare est illud S. Bonaventuræ: *Ollæ ferventi, muscæ non insident.* Nihilominùs impudens hæc venialium imperfectionum musca frequenter nec ferventioribus in charitate parcit; & si semel abigatur, iterùm advolat, infestat & molestat: ut olim in Figura cōtigerat devotissimo illi Patriarchæ Abrahæ cum volucribus Gen: 15. in quibus abigendis, ne infestarent Sacrificium, totus occupatus fuerat. Unde sat clarè de hac etiam justorum miseria, innuit Sapiens: dum Prov: 24. 16. ait: *Septies* (addunt aliqui ultra vulgatam *in die*) *justus cadit.* Hæ ergò sunt emissariæ muscæ, ab invidioso infernali Beelzebub, qui interpretatur Deus muscarum, in perniciem nostram destinatæ: & ex his fit prima, sed abominanda mixtura; quâ plerumq; adulteratur, deturpatur, quasi, Balsamum gratiæ, in animabus nostris. Sed quia bene novi, nonnullos mortalium speciali præventos gratiâ, à fœda hac muscarum s. venialium mixtura, Balsamum gratiæ in manibus suis conservasse: hoc enim non impossibile censuit S. Chrysost: dum sic hom: 20. in Matt: scribit. *Est possibile, ut in terrarum adhuc regione degentes, quasi in cœlis habitent, ita cuncta perficiant.* Cæterùm & hujusmodi privilegiatas animas, saltem unam mixturam, quam posteris suis miscuit Adam, originalem s. maculam non evasisse, de fide compertum est. Sed magis elucidandæ rei gratiâ, accipiamus aliquid à profanis Scriptoribus.

11. Bonav. Prov. Chrysost.

Probatur

Historicè.

Avarorum quorundā Pharmacopolarū scribitur esse inventū, quòd turpis & iniqui lucri gratiâ, pura Balsama fraudulenter adulterent: id autē perficere tradūtur admixtione aut olei, aut mellis. Sanè dū cunctos posteros Adæ diligentiùs circumspicio, etiam illos, qui Balsamo gratiæ inuncti studiosiùs in sanctitate & justitia ābularunt, vel ambulant coram Domino; velim nolimvè, fateri cogor, illorum quoq; animas cum Balsamo gratiæ pari fraude & artificio esse, vel fuisse aliquando adulteratas; mixturâ videlicet olei & mellis. *Oleum autem peccatoris* (inquit David) *non impinguet caput meum.* Ps. 140. 5. Arias legit: *Oleum Capitis.* Hieronym 9. *Oleum amaritudinis.* S. Aug.

12. Balsamum adulteratur oleo & melle. Psal. Hier. Aug.

Peccatum originale, oleum capitis amaritudinis. per oleum intelligit adulationem. Componamus jam hæc omnia ad invicem, & appositè satis hoc oleum, significabit peccatum originale. Illud enim est oleum Capitis nostri s. Adæ, in quo omnes peccavimus: est oleum amaritudinis; unusquisq; enim nostrum querulus de primo Parente ingemiscit cum Propheta, dicens identidé: *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.* Thren: 3. 15. Est quoq; oleum adulationis; utpotè illius Stygij Oratoris, malignâ arte confectum, plenis dolo & mendacio verbis: *Nequaquam moriemini, Eritis sicut Dij.*

13. Mel præterea, siquidem secundùm S. Ambrosium Ser: 36. est quædam mundi voluptas; benè poterit significare voluptuosi illius pomi de ligno scientiæ decerpti succum; cujus dulcedo gustata, originalis gratiæ BALSAMUM in Protoparentibus nostris ita miscuit & alteravit; ut quamvis ex meritis Redemptoris nostri, per virtutem Sacramentorum, pretiosum hoc unguentum gratiæ descendat liberaliter in animas nostras; tamen dici nequit, absolutè illud esse sine mixtura; eo sensu, quatenùs contaminatis jam peccato originali vasis, s. animabus nostris infunditur, & læsa jam in capite nostro originalis gratia, quasi restituitur nobis. Atq; sic fit, ut etiam sanctissimi quiq;, licetsi immunes à peccato veniali, sint quidem BALSAMUM mysticum, ratione sanctificantis gratiæ, sed non sine mixtura.

Peccatum originale, fœdavit gratiā originalem.

P A R S. II.

SS. MARIA sine mixtura originali.

14. EXtra omnem quæstionem habetur apud Doctores SS. Commentatoresq; Scripturæ S; è quibus nonnullorum verba infra dabimus, BALSAMUM, esse genuinum Symbolum SS. V. MARIÆ. Hìc tantummodo nōnullas hujus similitudinis insinuo rationes, ex Corn: à lap. in Eccl: 24. Primò, quia BALSAMUM fuit proprium Judææ; sed inde delatum & celebratum per totum orbem: similiter B. Virgo nata, educata, vivens, & defuncta in Judæa, sui odorem & famam sparsit per totum mundum. Secundò, unguentum hoc, cæteris latiùs

MARIAE ad Balsamum qualis similitudo.

tiùs

tiùs & vigorosiùs diffundit fragrantiam suam: id quoq; omninò asserit S. Bernard: de B. Virgine; tractans enim phrasticè verba illa: *Spiritus S. superveniet in te,* ait: *Pretiosum illud* BALSAMUM *tantâ Tibi copiâ, tantâq; plenitudine influet, ut copiosissimè effluat circumquaq;* Tertiò, BALSAMUM habet virtutem masculam & fortem: & ideò ipsorum Virorum propria Unctio erat: juxta illud Mart: l. 14. epig: 54. Serbo

Balsama me capiunt, hæc sunt unguenta Virorum,
Delicias Nini, vos redolete nurus.

Nonnè verò, de Alma DEIpara dictum est illud. Prov: 31. 10. *Mulierem fortem, quis inveniet.* Et iterum Cant: 6. 3. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Quòd autem hoc BALSAMUM pretiosum sit purissimum, & sine illa mixtura Adæ, s. peccato originali, jam

Probatur **Scripturaliter.**

Nullum in tota S. Scriptura asserti nostri evidentius habere possumus testimonium, quàm allegata in ipso Themate Discursûs istius, verba Spiritûs S. in Persona SS. DEIparæ prolata. Eccl: 24. 21. *Et quasi* BALSAMUM *non mixtum, odor meus.* Intelligo id de mixturis Adæ, omnibus nobis communibus: Anima nempè SS. V. MARIÆ in sui creatione, recepit pretiosum BALSAMUM gratiæ, tanquam mundissimum vas, nullis unquam fæcibus peccati, sive originalis, sive personalis, in ante, aut posthac, contaminatum. Cui meæ interpretationi facilè fidem dabis; si BALSAMI illius, quod præstantius, puriusq; cæteris esse dicitur, originem, culturamq; indagando, immaculato Ortui Almæ DEI Matris, eadem adæquatè applicaveris. 15. Eccl.

Illud ergò BALSAMUM ut notat Corn: in Ezech: 47. 10. cæteris præstantius, odoratius, & purius esse censetur, quod nascitur in Judæa, in vineis Engaddi. Pro quo stat etiam S. Scriptura, Cant: 1. 13. Ubi ex fertilitate BALSAMI, plurimùm commendantur Vineæ Engaddi. *Botrus Cypri* (aliqui putant.) BALSAMI, *dilectus meus in Vineis Engaddi.* Locus iste Engaddi est situs ad mare mortuum, proximè ad fluvium Jordanis exonerantis se in mare. Pulchrè etsi mysteriosè hæc omnia conveniunt primæ plantationi mystici BALSAMI, s. hodi- 16. Cant. Vineæ Engaddi balsami fertilissimæ.

ternæ Conceptioni SS. DEI Matris, eamq; hoc ipso probant, in sui Ortu, fuisse præstantissimum BALSAMUM sine mixtura labis originalis.

17. Mare mortuum, intelligo totam massam generis humani mortuam in Adam. Per Jordanem fluvium, cum Origene, interpretor ipsum Salvatorem nostrum, & fluēta meritorum Passionis ejus: quem etiam fortè figurabat ille in Apoc: 22. 1. fluvius, qui videbatur egredi de Sede DEI. Decreverat sanè infinita Conditoris bonitas, ut ad vivificandum mortuum mare generis humani, fluvius iste, Filius s. DEI è Throno Majestatis suæ descenderet. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Joan: 3. 16. refert ipse Salvator. Et quia Christum, qui dicitur Unctus, unctam quoq; habere Matrem decebat, ideò DEUS providit ab æterno, propè ad mare mortuum, Vineam Engaddi cum perfectissimo BALSAMO: s. ex mortuis per originale peccatum Parentibus natam, SS. V. MARIAM, omni absolutè instanti vivam, virentem, feracem, imò plenam unctione gratiæ.

Christus Jordanis fluvius. *Apoc.* *Joan.* *MARIA, vinea Engaddi.*

18. Engaddi ap: Sylv: Alleg: interpretationē habet: *Oculus tentationis.* Profectò, dûm æterna Sapientia, incomprehensibili suâ notitiâ futurorum, prævideret futuram illam Protoparentum sub Arbore paradisi tentationem, tantô studiosiùs suum Divinum reflexit Oculum, in futuram Filij DEI Matrem, ne communi illâ includeretur tentatione. Imò ut statim in ortu, & plantatione creationis suæ, Vinea hæc, perfectissimæ gratiæ abundaret BALSAMO, præcipuos alveos Jordanis, s. prævisæ Passionis Christi merita nobiliora, & copiosiora ad hoc direxit: ut eorū intuitu, Mater Filij sui ab originali peccato præservaretur. Ad quod servit illud S. Ambros: in Lucam. *Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit à Matre; ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.*

MARIA præservata à tentatione Protoparentum ex meritis Passionis Christi. *Ambr.*

19. Habemus locum originemq; BALSAMI Gratiæ Marianæ, in sui Conceptione: Culturam ejus jam videamus. Spinell: de DEIp: c: 21. annotavit: quod ut odoratius, & præstantius BALSAMUM habeatur, peritior hortulanus, non ferreo, sed lapideo, vel osseo cultello, valde mo-

Balsami frutex ferro non tangendus.

de moderatâ manu, ne stipitem lædat, corticem fruticis diffindit; idq; ab ea parte, quæ à Sole meliùs illuminatur: & sic fluit liquor candidus, qui deinde rubescit & durescit. Lapis & Petra, in S. Scriptura, dicitur ipse Christus. Ferrum autem, quod pertransivit animam Protoparentis, ausim dicere, primum peccatum ipsius; quod etiam posteris ejus, aurea illa sæcula statûs innocentiæ, mutavit in ferrea miseriarum tempora. Atq; sic, si teneo opinionem illorum, qui dicunt decretum fuisse adventum Christi, antequam peccasset Adam, saltem abstrahendo à carne passibili; sat convenienter cogito, quòd dùm peritissimi Conditoris manu, à statu possibilium creaturarum, ad statum existentiæ, Alma Mater JESU præcidenda seu educenda esset per creationem, antequam Adam cum suo ferali primi peccati ferro comparuisset, amantissimum Filium MARIÆ, in illis prævisionibus æternis, cum suo lapideo cultello, meritorum suorum, quæ omninò habiturus erat, (præscindendo etiam à carne passibili) occurrisse, & in anima ejus, pretiosum originalis justitiæ, providisse BALSAMUM. Quod ipsum sat ingeniosè ex jure relationis Filii ad Matrem, deducit Salazar de Conc: c. 30. pensando illa verba Scripturæ 3. Reg: 3. *Surrexit Rex in occursum ejus, &c.* Sic enim citata verba applicat: *Virgo, cùm propter Christum condita & formata sit, non ante futura, hoc quasi jure Materno à Filio suo obsequij refert, ut ipso procedente, & quasi in occursum præcurrente, ipsa respectet; atq; inde factum, ut nec originis peccatum, nec aliquam legem, aut debitum subierit.*

MARIAM non tetigit ferrum, quod pertrãsijt animam Adæ.

Salaz.

MARIAE occurrit Christus, in æternis prævisionibus.

20.

Quod si etiam sequar opinionem illorum, qui præsupponunt peccatum Adæ, Decreto Incarnationis, præsertim in carne passibili, opportunè, in gratiam SS. Matris ad eliciendum ex stipite Crucis & Passionis fructu, BALSAMUM originalis gratiæ, invenio osseum quid: idq; in immaculato illo Agno Crucifixo, cujus omnia ossa etsi dinumeraverint inimici, non tamen ea fregisse leguntur: nec puto sine mysterio; fortè ut in gratiam MARIÆ integra remanerent. Exultaverunt ergò ossa hæc in DEUM vivum, pro ortu immaculato MARIÆ; cùm Agnus ille crucifixus, cujus passionis copiosa est redemptio,

Pro MARIAE Imm: Conceptione, ossa Christi exultant.

demptio, credendus sit reservâsse Matri suæ, & obtulisse pro ea, quoddam præstantius cæteris, Passionis suæ meritum, ad comparandum BALSAMUM gratiæ præservantis illam à noxa Adæ.

21. Advertendum & illud quod diximus supra: ad radium Solis, præstantius & copiosius stillare è cortice BALSAMUM. Quis inficias ibit? quod pro omni instanti existentiæ Marianæ, Sol justitiæ Filius DEI, piùs direxerit radios influentiarum suarum in Matrem, quàm in quãcunq; aliam Creaturam: unde à nõnullis dicitur ipsa fuisse *Filia Solis*, *Filia lucis*, etiam in Conceptione sua: cui propterea festivè Ecclesia DEI cum Angelis occinit hodie, illud Cant: 6. 9. *Quæ est ista quæ progreditur pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Nec quoq; sine mysterio Apocalipticus Propheta eam viderat amictam Sole. Quod si ergo tantis radijs à Sole suo illuminata fulsit Conceptio MARIÆ; necessum est admittere, quòd dum ũgenda esset anima ipsius, BALSAMO gratiæ, illud non vulgare erupisse, sed præstantissimum & tale, quô perfectius non daretur, s. originalis justitiæ; adeoq; sequitur fuisse illud BALSAMUM sine Adæ mixtura s. sine prævio originali peccato.

Balsamum nobilius, ad radios Solis fluit.

Cant.

MARIÆ Conceptio sub radio Solis.

Probatur Figuraliter.

22. Frequenter S. Mater Ecclesia Orthodoxa, in laudibus Marianis usurpat & applicat SS. DEIparæ, illa verba Sponsæ ad Sponsum ex Canticis. *Oleum effusum nomen tuum.* Cant: 1. 2. Id habet Officium speciale de Imm: Conceptione in Breviario Fratrum Minorum, approbatum à Sixto IV. cum magnis Indulgentijs, ut patet l. 1. Extravagant: communium Tit: de Reliquijs & Venerat: Sanctorum: & præterea olim insertum etiam Romano Breviario; utpotè compositum à quodam Leonardo Nogarolis, Sedis Apostolicæ Notario: quod Pius V. postea restrinxit, ex quibusdam privatis rationibus, ad solum Breviarium Franciscanum. In hoc ergò Officio canendo Almæ Matri jubilationes, utimur Minores præfatis verbis; quamvis juxta aliam versionem, dicentes: *Unguentum effusum exinanitũ, evacuatũ, MARIA nomen tuum.* Idq; puto hanc versionem, potiùs fuisse assumptam, quàm illam aliam, quæ in vulgata legitur, propter faciliùs elucidandum Mysterium Imm: Concept: B. V. MARIÆ. Por-

Officium Im: Cõceptionis à quo compositum & approbatum

Brev: Franc.

Porrò nomen MARIÆ prægnans mysteriorum est; sic enim de illo lego apud S. Chrysol: Ser: 146. *Nomen hoc Prophetiæ germanum est: hoc renascentibus salutare, hoc Virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc DEI Sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc Collegium Sanctitatis.* Dum ergo nomen hoc admirandum, Unguentum exinanitum, evacuatum dicitur, per hoc non obscurè innuitur (ut quidam observat) SS. MARIAM fuisse Unguentum depuratissimum, & ab omni fæce, cujuscunq; peccati, etiam in Conceptione sua, evacuatum; adeoq; odoratissimum. Hoc enim cujuscunq; odoriferi unguenti, & præsertim BALSAMI proprium est, quòd primò ex pixide sua reclusum vel effusum, suaviùs oleat. 23. *Chrysol.* MARIAE nomen, elucidat Immac Concept.

Hinc ego novam & curiosam excito Quæstionem: Quandonam, & a quo, primò fuerit impositum SS. DEIparæ, nomen MARIA? Adnotarunt quidem SS. Evangelistæ, Salvatori nostro nomen fuisse impositum ab Angelo annunciante, promulgatum verò in circumcisione. *Factum est autem ut circumcideretur Puer & vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo priusquam in Utero conciperetur.* Luc: 2. 21. Scio quoq; ex iisdem, Joannem Baptistam, nomen suum in sui nativitate accepisse miraculosè à muto Parente. *Et postulans pugillarem scripsit: Joannes est nomen ejus.* Luc: 1. 5. De nomine MARIÆ nil tale apud Evangelistas adnotatum lego. Alibi tamen invenio, Nomenclatorem & promulgatorem primum tanti nominis, non alium fuisse, nisi ipsam SS. Trinitatem. Ita enim alloquitur Beatissimam, devotus Idiota: *Dedit tibi ô MARIA tota Trinitas nomen, quod est post nomen Filij tui, super omne nomen.* Tempus verò nominationis MARIÆ, puto fuisse illud instans quò decernebatur aut fiebat Conceptio Almæ Matris, futuri Messiæ. De quo sic audio innuentem S. Petrum Damiani: *Init DEUS consilium de redemptione hominum, & statim ex thesauro Divinitatis, nomen MARIÆ evolvitur.* Unde benè notavit S. Vinc: Ferrerius S. 2. de Nativ: *Angelos statim in Conceptione seu in creatione animæ DEIparæ, Festum solemne in cælo celebrasse:* ad quod celebrandum proculdubiò necessarium erat, ipsis tum MARIÆ nomen innotuisse. 24. *Luc.* MARIAE, nomen quando, & a quo impositum. *Idiot.* *Damian.* *Ferrer.* Angeli Festum Immac Conceptionis celebrarunt.

Si ergò MARIÆ nomen venerandum, semper odoriferum, exi- 25.

exinanitum, purgatissimum ab omni fæce, peccati dicitur; & tum maximè, dū primò ipsi imponeretur; hoc est, in primo Creationis puncto, ter benedictæ illius Animæ; liquidò id ipsum demonstrat, MARIAM bajulam nominis hujus, pro illo instanti fuisse Unguētum, purissimū ab omni mixtura peccati: aliàs enim tam grande nomen nunquam sortita fuisset. Quod benè advertit Centu-
Niesporki. riatus ævi nostri Marianus Encomiastes; P. Ambr: Nieszpork: Polonus, Cent: I. Emblem: d. 1. n. 82. Ubi sic ratiocinatur:
Nomina pulchra, mancipijs non imponenda. *Si ita in rebus humanis comparatum est, quòd à servis pulchra nomina infamentur, & quodammodo profanentur, ausim dicere, tanto nomine MARIAM insigniri non potuisse, si aliquando in primæ captivitatis & servitutis nota fuisset; si stigma characteremq; diabolici mācipatûs invenisset.*

26. Verùm ut tantò evidentiùs constet SS. DEIparam in Immac: suo Ortu, fuisse exinanitum à mixtura labis Adamicæ, BALSAMUM,
Balsamum an purum, quomodo explorandum? liceat illud ulteriùs explorare. Peritiores utiq; Pharmacopolæ duplici modo dicuntur explorare BALSAMUM; purumne, an mixturâ aliquâ adulteratum sit: si scilicet effusum in vestem, nullam in illa relinquit maculam; & iterum, si lacti effusum, colore suo statim lactescit. Quoad primum modum explorandi: Benè scio ex SS. Patribus SS. DEIparam appellari Vestimentum DEI; quam inter cæteros hoc Rythmo salutabat Seraph: Noster Doctor.

Ave Virgo, quæ decorem induisti, Creatorem præcinxisti
Pulchrè, carne DEUM, mundâ velans eum.

27. Vestimentum hoc DEI oportebat esse unctum odoriferis: sic
Psal: enim Ps: 44. 9. Matri futuri Messiæ occinit David. *Myrrha & gutta à Vestimentis tuis.* Et Salomon similiter de illa typicè in suis
Cant. Canticis ait: 4. 11. *Odor Vestimentorum, sicut odor thuris.* Atq;
MARIA, Vestimentum DEI odoriferum. sic purissima hæc, fragrantissimaq; gratiarum thymiamata atq; BALSAMA, nullam unquam in vestimento isto, s. in Anima SS. DEIparæ, pati poterant peccati maculam; ut sic faciliùs è cælo attraxissent in Uterum ejus immaculatissimum, splendorem illum Patris, Filium DEI. De quo sat venustè ævi nostri cæcus, lynceus tamen in laudibus Marianis Poëta, Joseph: Biezanovius Acad: Crac: cecinit in Cant:

Epigr: 169. *Ex te dum nostræ tulit indumenta Salutis,*
Nonne tuo fuerat, tractus odore DEUS.

Thure

Thure DEUM vicit, fragrantia nescia culpæ
Vestis ei de te Virgine pura caro.

Secundò, verum & non mixtum BALSAMUM (ut dixi) proditur, dum statim lactescit in lacte. Porro lac, est Symbolum, partim puritatis ob candorem, partim Maternitatis; quia videlicet, est prolis recenter natæ, naturale nutrimentum. Ex quo collige, perfectissimum candorem BALSAMI gratiæ infusæ in animam SS. DEIparæ ipso puncto Conceptionis, ad illam contra peccatum Adæ præservandam, quasi quid debitum ipsi fuisse ratione Maternitatis prævisæ, & lactis illius, quod ubere è cælo pleno præbitura erat aliquando, Filio DEI in carne. Cui mysterio pulchrè allusit jam citatus Poëta. 28. Balsamum verum in lacte, lactescit.

Quod mea delegit, quæ sugeret Ubera JESUS.
Hoc in me culpam terruit atq; stygem.

Probatur

Doctoraliter.

Jam superiùs insinuavi, usitatum esse apud Patres, DEIparam SS. appellare BALSAMUM præstantissimum; idq; ex causis supra etiam allegatis. Duos hic tantùm Patres audire placeat. S. Bernardus, super illud: *Spiritus S. superveniet in te*, ita scribit: *O verè dives! quæ tam plena fuit odorifero Spiritûs S. BALSAMO.* S. Bonavent: in speculo B. V. ait: *BALSAMUM MARIÆ, est Unctio gratiæ, quæ MARIÆ copiosissimè est infusa.* 29.

Quod autem hoc BALSAMUM fuerit sine omni mixtura, ratione gratiæ illi collatæ, nullum peccatum compatientis, etiam præsuppositivè in anima: hoc omnes illi Doctores probant, quorum authoritates magis pia sententia pro Immaculato Ortu MARIÆ solet adducere: quas & hîc sparsim invenies. Aliquas interea propono, in quibus sub præsenti Allegoria BALSAMI vel Unguenti, hoc testantur. S. Bonav: in Spec: c. 5. in verba nostri Thematis scribens, ait sic: *Balsamum misceri solet & vitiari melle aut oleo: sed certè BALSAMUM Spiritûs S. in MARIA non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis, & mundanæ consolationis, nec oleo vanæ laudis & adulationis fuit vitiatum, sed vera & pura MARIÆ gratia fuit.* Richard: à S. Laur: l. 12. de laud: V. *MARIA signatur per BALSAMUM, quia*

odores excedit, omnium Angelorum & Sanctorum, sicut BALSAMUM odores omnium aromatum: non mixtum sed purissimum; quia nullam habuit contrarietatis admixtionem. Nam per eam & in ea facta est exclusio totius maledictionis, quam Eva induxit in mundum.

Non nimiùm deflexit ab eadem Allegoria B. Amad: dũ hom. 7. de laud: V. ait: *Eva infecta veneno letali, quod transfudit ad posteros: MARIA infusa vitali antidoto (intellige gratiæ) quod transfudit ad universos. Corruit illa malè credula Serpenti, surrexit ista; & juxta verbum quod dixerat DEUS in Genesi, contrivit caput Serpentis.*

Probatur Miraculosè.

30\. *In annalibus* PP. Capucinorum ad Annum 1586. n. 15. legitur, quòd cùm Urbs Genuensis in Italia, anno eodem, lue Epidemiæ ad interitum miserè laboraret, nocte quadam magno DEI servo Bernardino à Chierio Capucino in oratione pernoctanti, & enixè supplicanti, ut Divina Misericordia afflictæ Reipublicæ dignaretur fieri propitia; revelatum ei fuit, fore ut ira DEI placaretur, si Senatus voto se adstringeret ad cultum honoremq; Imm: Concep: B. V. MARIÆ. Quibus relatis, & Senatu Divinis monitis acquiescente, Urbs tota sic repentè convaluit, ut creditum fuerit Imm: Virginis ope, divinum hunc obtinuisse favorem. Et quia contra contagia pestis præsentaneum antidotum à Medicis asseritur esse BALSAMUM illud, quod est purissimum: jam inde habes pie Lector, vel hoc ipso prodigioso effectu, SS. DEIparam sat benè comprobâsse, se in suiOrtu prodiisse veluti præstãtissimum BALSAMUM, nullà mixturà peccati vitiatum.

Pestis sedata ob devotionem ad Immac: Conceptionem B. V. M.

Probatur Scholasticè.

31\. THEOL: Certum est, quòd SS. DEIpara, etiam in primo instanti suæ existentiæ, quantùm ad dona gratiæ, excelluit super omnem rationalem creaturam; utpotè illa, quæ fuit Domina, Regina, Mediatrix hominum & Angelorum: aut ad minimùm, quòd non fuit inferioris ordinis. Certum item est, Angelis in ipsorum creatione, sicut & Protoparentibus nostris, infusam fuisse gratiam sine mixtura; s. sine peccato præcedente in subjecto.

Marianæ gratiæ excellentia, infert Imm: Concept:

jecto. Ergo SS DEipara, pro illo istanti accepit gratiam sine mixtura, s. sine præsuppositione peccati originalis, in anima sua: alias, quomodo, quoad gratiam, diceretur esse perfectior, aut æquè perfecta, sicut fuerunt Angeli & Protoparentes nostri in sui creatione. Quod ipsum missio illa Angeli ex excellentiori Hierarchia ad annuntiandum MARIÆ, optimè confirmat: ut advertit Greg: Thau: qui Ser: 3. de Annunt: ita inquit: *Missus est servus incorporeus ad Virginem inviolatam; missus est à peccato liber; ad corruptionis sive labis expertem.* Greg.

PHILOS: Multi Philosophorum contendunt & probant: Entia non mixta seu simplicia, esse perfectiora, quàm mixta seu composita: hinc concludunt, corpora cælestia perfectiora esse, quàm sublunaria; tuentur enim aliqui Cælos non esse compositos ex materia & forma: sed tantum constare solâ simplici formâ totali. Ut, ut, sit: nobis certum est, Almam DEI Matrem in ordine gratiæ esse Ens perfectissimum. Sic enim ait de ipsa S. Germ: apud Umb: Novar: r: 970. *Si palmo metiri possum terram, ac funiculo mare circumscribere. Si cubitis cælum contineretur & stellarum copia numerari potest: si guttæ pluviæ, tellurisq; glebæ, & ventorum impetus atq; arena comprehenduntur; certè facilè quod in manibus est argumentum comprehendi queat; nimirum Genitricis DEI festus hic conventus, & Ortus admirandæ ejus Virginis, perfectio.* Ex quo sequitur omnem gratiam & tantò magis primam, destinatam MARIÆ, fuisse simplicem, purissimam, ab omni mixtura & fæce antecedentis peccati alienam. 32. Germ: MARIA inter res creatas, Ens perfectissimum.

SYMBOL: Ingeniosus quispiam delineavit Pixidem plenam odoriferi BALSAMI: hinc & inde animalia venenata, quæ odorem BALSAMI non tolerant, quasi diffugientia; cum inscriptione: *Procul venenatæ.* Porrò S. Andr: Creten: Orat: 3. de dormit: Virg: MARIAM vocat: *Pixidem novam unguentariam inexhausti unguenti.* Hoc ergo Symbolo significare voluit, præcellentem gratiam, quâ SS. Mater impleta fuit, in sui Concept:, tantæ vigorositatis fuisse, ut venenatum illum Serpetem paradisi, cum originali peccato procul ab ipsa abegerit, eumq; deterruerit ab accessu. 33. Balsamum pellit venenata.

POES: BALSAMA pura gerens, mixturam nescio culpæ,
Miscuit hanc cunctis; non mihi primus Adam.

Non oleum, nec mel, mea BALSAMA falsificâre.
Dulcia non blandum, non nocuere stygis.
Ad radium cæli stillant hæc stipite sacro.
Dum nati numerant tensaq; membra mei.

PROG: *Ave Maria gratia plena Dominus tecum.*

ANAG: Dimana magè nivea, mistura procul à Te.
Unguentaria res, apta mî Adamum Cœli.
Eja MARIA ad prima Unguenta, Sol tecum.
E prima olea, MARIA cum unguentis data.

Probatur Historicè.

Inter cætera devotionalia, quæ Romæ fidelibus à Summ: Pontifice distribui solent, reperiuntur quædam ceræ ab illo benedictæ; quæ dicuntur, *Agnus DEI:* harum confectionem, inter alia ingreditur purum BALSAMUM: de quo Poeta:

Balsama cera munda, cum chrismate & unda.
Conficiunt Agnum; quod munus do tibi magnum.

35. Cera hæc benedicta, quæ à Virgine Ape elaboratur, nonne benè signat benedictam, & Virgineam carnem SS. Virginis? in qua, & ex qua, formam suam, seu carnem accepit salvificus ille Agnus DEI, qui tollit peccata mundi; BALSAMUM autem denotat animã ejus Sanctissimam, Unguento gratiæ delibutam: quæ gratia, si non fuisset originalis, jam nõ fuisset purum sed permixtum BALSAMUM Alma Mater JESU; adeoq; minùs idoneum quid, ad confecturam illius immaculatissimi Agni f. ad Incarnationem Filij DEI.

MARIA cera: Christus apis.

Pierius Hierogliph: lib: 57. c. 2. memorat, apud Ægyptios olim fuisse in magna reverentia quasdam odoriferas Umbras: habebant enim illi nonnullos ævi sui & superstitionis Ethnicæ Eremitas; dicendos potiùs, Martyres diaboli: qui toti immersi contemplationi siderum, nunquam cognatis & consanguineis commiscebantur; à carne, alijsq; cibis delicatioribus abstinentes; quorum propterea emaciata corpora, ob insuetam quãdam temperiem qualitatum, suavem exhalabant odorem: hinc tales appellabantur, umbræ odoriferæ. Nimis credulis Ægyptijs, maneãt suæ superstitiones & evanidæ umbræ, Inter primas veritates ego reputo, Almam DEI Matrem, Umbram meritò dici, sed nõ

Umbræ odoratæ Ægyptiorum.

MARIA, Umbra DEI.

van am

vanam; quia sub illa requievit æterni Patris Filius; & cui umbræ ipsa virtus Altissimi obumbravit. Umbram hanc, censeo esse honoratissimã, quia odoratissimam propter non mixtũ, sed purissimũ originalis gratiæ BALSAMUM; nec mirum: ab instanti enim suæ creationis mens ejus cælestib⁹ immersa, imò secundùm nonnullos, visione beatificâ occupata, exsors quoq; societatis Protoparentum, abstinuit ab esu delicatissimi cibi, pomi s. vetiti in paradiso.

EPILOGUS.

Jam ergo sat clarè probatum esse arbitror, SS. MARIAM in suo immaculatissimo Exortu, fuisse BALSAMUM sine ulla originalis noxæ mixtura. Plinius tradit l. 11. quòd tempore belli Judaici, dum gens illa vastaretur à Romanis, Judæi invidiâ ducti, ne famosus ille juxta Jericho hortulus, præstantioris BALSAMI feracissimus, veniret in manus hostium, nitebantur funditùs illum demoliri: sed fortiter restitêre Romani, ut tuerentur hortulum illum à ruina; hinc factum fuit inter partes cruentum prælium: Haud dissimile certamen geri video, pro nostro mystico BALSAMO, s. pro Imm: Conceptione SS. DEIparæ: oppugnatur hoc pretiosum & fragrantissimum BALSAMUM, à nonnullis Scholasticorum, saltem (piè credo) speculativè: sed præstò sunt Castra DEI, ut illud defendant & tueantur. Et quidem odore non mixto BALSAMI hujus attracta, accurrit primò ipsa Omnipotens TRINITAS; ut hoc ipso Imm: in Concept: tueatur fuisse MARIAM: quod benè vidit ille Poëta Academicus, taliter ludens in illa verba Cant: *Curremus in odorem &c.*

36. De horto balsami cruentum prælium.

Sacrum bellum, pro Immac: Conc.

Non tamen unius est vox hæc, curremus ad unam
Matrem, non unus currere poscit amor.
Tantus odor, concepta sibi sine crimine Virgo:
Ad te, quòd cupiat currere tota TRIAS.

Adest quoq; pio huic pro immaculato Ortu MARIÆ certamini, exercitus Angelorum; qui (ut supra dixi) eo ipso instanti, Festum Imm: Conceptionis devotè celebrarunt. Adsunt tot myriades Pontificum, Doctorum, piorumq; Scriptorum; Adsunt tot milliones per totum Orbem populorum, quotidie n. 24.

Imma-

Votum Autheris. Immac: Conceptionem ejus deprædicantium. Convolemus proinde & nos, ad hæc pientissima Mariana Castra, quotquot pij in MARIAM censemur; stemus in acie, si oportuerit usq; ad sanguinem, pro pio hoc asserto; quòd s. SS. DEIpara in sua Conceptione fuerit BALSAMUM sine mixtura originalis noxæ. Ad te jam sunt oculi nostri, ô MARIA! ô BALSAMUM sine mixtura Adæ! veniet utiq; tandem hora illa, quâ rigebunt metu instantis mortis pectora nostra, stringentur facies, cum ultimo fatiscentes exspirio: recordare quæso tum Athletarum & pugilum Immaculati Ortûs tui; adsis tùm salvifico cum antidoto & BALSAMO gratiæ. *Descendat & nunc* (cum S. Ambrosio de instit: Virg: c. 13. loquor) *istud Unguentum in præcordia animi, viscerumq; secreta: quo non deliciarum, S MARIA, sed Divinæ gratiæ spiramenta redolebat.* Ambr. Ut sic confortati gratiâ, respiremus in felicem æternitatem, & tandem in Cælo victoriosum illud Ortui tuo acclamemus Canticum:

Io! vivat Immaculata SS. DEIparæ Conceptio.



CO-



COLUMBA,
sine Felle,
SS. Virgo MARIA,
sine labe Concepta.

De qua natus est JESUS, qui vocatur Christus. Matt: 1.
Una est Columba mea. Cant: 6.

INgens quoddam abstrusiorum arcanorum DEI, in ipso capite Codicis Evangelistæ Matthæi, adverto latere Mysterium; quod s. DEUS ille, cujus omnis gloria ab intùs, mortalitatis trabeam induturus, Matrem sibi elegerit, Virginem, tot insignium, Ducum, atq; Regum, quos recenseri audivistis, prosapiâ ortam. NN. Quid etenim illi, qui servilem assumpturus erat personam, cum Ducum purpuris? aut cum Coronis, Sceptrisq; regalibus ei, qui vitam quandam neglectam, & ignotam omnibus ducere, atq; in oculis omnium despicabilis apparere voluit: quod in Persona ejus profitetur Divinus Psaltes: Psal: 22. *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Quid deniq; tali, qui eo potissimùm fine in hanc veniebat terram, ut nos humilitatem, nostriq; ipsius contemptum, suo sanctissimo exemplo perfectè edoceret; quid, inquam huic cum illustribus Majorum Ceris? I.

Christus humilis, è Regibus nasci voluit: cur?

Psal:

Sed noveris quæso pientissime Lector; quod personatus ille servus, essentialiter Rex fuerat: *Principatum enim ejus super hume-* 2.

rum ejus, de poplite veneratus est in spiritu Propheta Isa: 9. 6. Et qui vermis atq; opprobrium reputabatur ab hominibus, à cælestibus Dominus Dominantium adorabatur; atq; humilitatis magisterium professus, omnem potestatem in cælo, & in terra à Patre sibi traditam minimè abdicârat. Rex ergò meritò, etiam ut homo, nasci debuit; nec vanè à Magis dum inquiritur, Rex natus dicitur. *Ubi est* (inquiunt) *qui natus est Rex Judæorum*. Math: 2. Fiunt cæteri Reges dum unguntur, soli⁹ Christi proprium, nasci Regem; & quidem non vulgariter, sed de Regia Matre Virgine: *De qua natus est JESUS. &c.*

Imperium & potestas Christi.

Solus Christus Rex nascitur.

3. Oleum Unctionis Columba portavit.

Insigne (apud Majolum in dieb: Canic:) lego Regum Galliæ non citra miraculum Privilegium; ipsos videlicet ungi in Reges non vulgari, sed cælitùs dato chrismate: dum enim primus illorum Rex Catholicus Clodoveus dictus, ungendus esset in Baptismo, Diaconusq; præ turba tardaret cum unctionis chrismate; protinùs advolans COLUMBA, vasculum plenum Oleo, ore suo deportavit ad Episcopum; quo deinceps conservato, ungi dicuntur Reges Galliæ, dum creantur. Simile quid cogitare liceat in proposito.

4. Cant:

Præcipuum simulq; elegantissimum SS. MARIA sortita est in S. Scriptura elogium, dum non infrequenter appellatur COLUMBA. *Una est* (ait de illa Sponsus) *Columba mea, Amica mea.* Cant: 6. 8. & pluries alibi. Hæc ergo unica, & ter benedicta COLUMBA MARIA, ad hoc, ut Christus tanquam Rex etiam inter homines nasceretur, ocyus cæteris, quotquot Duces & Reges recensentur in Genealogia ejus, Dignitatis Regiæ Unctionem Christo attulit; nam quòd participatâ quoq; dignitate à Regia Matre, Christus Rex nasceretur, ad hoc, immediatiùs alijs MARIA concurrit. De quo Bernard: Senen: Tom: I. Ser: 60. art: I. c. I. sic fatur: *Patet, quòd D. JESUS Christus, qui sine Matre fuit in Cælis, & absq; Patre in terris, totam à Virgine humanitatem recepit, atq; dignitatem.* Multa præclara & eximia habentur, quæ à SS. Patribus, de hac Regia prædicantur COLUMBA: unum pro tunc, sed præcipuum, ad hodiernæ Festivitatis Immac: Conceptionis MARIÆ alludendo mysterium, premere volo: quòd COLUMBA hæc s. SS. DEIpara MARIA, sit sine felle, id est, sine labe

à MARIA habet Christus, quòd ut Rex nascatur.

Bernard: Sen.

Propositio.

ne labe originali concepta: quod & probare intendo; præmissâ morali doctrinâ, de felle seu amaritudine peccati. Nunc rythmicè saluto, immaculatè Neo-Conceptam MARIAM.

Ave Virgo plena melle, Tu COLUMBA sine felle:
Fac ut volem datis pennis; Ubi quies est perennis.

PARS I.

De felle seu amaritudine peccati.

FAmosum illud, licet fraude per Uxorem extortum, ad ænigma Samsonis, Philistinorum responsum: Quid dulcius melle; etsi omninò etiam attestante experientiâ, certum sit, non modicùm tamen dulcedo ejus vitij annexum à natura habet, quòd s. nimis citò & facilè in amarorem desinat & degeneret. Unde vulgare illud: *Ubi mel, ibi fel. Quantùm mellis, tantùm fellis.* & Poëta: *Dulcia se in bilem vertunt.* Porro si quæ fuit, sitq; nunc causa, cur universum hoc sublunare, plenum sit felle quotidianarum amaritudinum; non aliam reperire est, nisi quia Protoplastis nostris dulcia olim nimiùm sapuêre. Vix etenim illi, primis, ut ajunt labijs, de suavi, sub quo mille amaritudinum latebant aconita, degustarant vetito pomo, subitò dulcia illa in bilem conversa, felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis, totum unà cum illis infecerunt genus humanum. Bilem, amarumq; fel, hîc intelligo ipsum peccatum; quod dirâ amaritudine replet, & excruiat viscera peccatricis animæ; scilicet conscientiam.

5. Dulcia bilescunt.

Probatur **Scripturaliter.**

Usitatus est in S. Scriptura loquendi modus, quòd peccatum, ad exprimendam amaritudinem, quam relinquit in anima, circumscribatur sub nomine fellis. Sic Deut: 29. 18. ait Dominus per Moysen ad populum. *Ne fortè sit inter vos Vir, aut mulier cujus cor aversum est hodie à Domino DEO nostro: & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.* Item S. Petrus Apostolus, advertens in corde Simonis Magi latere peccatum invidiæ; increpans eundem sic affatus est. Act. 8. 23. *In felle amaritudinis*

6. *Deut.* Fel amarum, peccatum. *Act.*

& obligatione iniquitatis video te esse. Et universaliter, supra nominatus Dux ille populi, quatenus contra suavitates & delectationes, quibus alliciuntur homines ad peccata, justam excitasset nauseam; ita de illis, qui bibunt tanquam aquam iniquitatem, & quibus veluti dulcissima Vina, sapiunt peccata, locutus est. *Fel draconum Vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Uva eorum uva fellis, & botri amarissimi.* Deut: 32. 33. Ideo autem hac similitudine fellis utitur Scriptura; ut ostendat, quòd sicut fel, est quasi medulla & succus, atq; contentivum quoddam omnium amaritudinum; ita quoq; peccatum admissum, non unâ, nec semel, sed multiplici & pluries, miseram animam implet amaritudine.

Deut:

7. Observant Anatomici, quòd fel, seu cistula fellis, duos folliculos habeat; & per unum inferiorem, deportatur ad intestina cholera, per alterum verò ad stomachum. Stomachus, secundùm quosdam, significat memoriam, in qua anima revolvendo iteratis cogitationibus, multa digerit considerando: intestina verò, benè designant Syntheresim, seu conscientiam dictantem. Peccatum ergò cùm consummatum fuerit, duplici quasi alveo effundit in animam fel amaritudinis suæ: primò in stomachum, seu memoriam animæ; dùm offensi DEI, novas & novas excitat species; non quidem ut illuminet ad pœnitentiam salutarem, sed ut mœrore tabescentem peccatoris animam disponat ad desperationem. Unde talem sic alloquitur Propheta. Jerem: 2. 19. *Scito & vide, quàm malum & amarum est, reliquisse te DEUM tuum.* In quæ verba sic scribit Sim: de Cassia l. 13. *Qui reliquerit DEUM, perdit securitatem, ipsâ deperditâ, conturbatum timor ingreditur; qui quem invaserit, in fugam convertit. Qui reliquerit Christum, vitam relinquit, & quærens vivere, fugit in mortem. Per sapientiam de iniquis dicitur: Relinquunt iter rectum, & ambulant vias tenebrosas. Relicto Christo, vitam negavit. Ipse siquidem secundùm Apostolum est vita nostra; qua relictâ, omnis amaritudo subsequitur. Hinc per Prophetam dicitur. Vide, quàm malum & amarum est. &c.*

Memoria est stomachus animæ.

Jer:

Sim: Cass.

Quàm amarum sit, peccasse.

8. Et sanè inter plura alia, quæ occurrunt circa DEUM, memoriæ peccatoris, est præcipuum illud, s. vilitas offendentis, & digni-

dignitas DEI offensi. Vilitatis suæ, sibi ipsi conscius & domesticus testis, quisque est: quòd videlicet sit ex natura, pulvis & vermis, abyssusq; nihili; vitio verò suo, tantò magis vilior; quia Creatori suo toties rebellis factus, transilijt vias mandatorum ejus. Unde Propheta ait: *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Jer: 2. 36. Cujus autem dignitatis sit DEUS, vel ipso primo naturæ lumine innotescit; quòd videlicet sit Ens infinitum, perfectissimum, primum principium, Alpha & Omega rerum. Sed ut magis & extensivè concipiat peccator dignitatem DEI offensi: eam in compendio pono ex S. Dyonisio Areopagita, qui de Divin: Nomin: c. 4. ita scribit: *DEI natura bonitas, haud dubium, quin pura, perfecta, & infinita. DEUS supervoluptuosissimus, & æternus, est summum & superexaltatum & incomparabile bonum; in quo est universorum bonorum, omniumq; pulchrorum ac desiderabilium incircumscriptibilis plenitudo, incomprehensibilis & superessentialis perfectio; à cujus bonitate, amabilitate, ac desiderabilitate in infinitum prorsùs deficiunt omnium rerum creatarum bonitates, diligibilitates, appetibilitates. Cùm talis, & tanta sit bonitas DEI; nonne irrationabilissimum atq; insanissimum prorsùs stultitiæ est signum, aliquam bonitatem seu rem creatam, variabilem, caducam, ei præferre; hanc plùs amando, quærendo, optando, honorando, quàm illum; qui est omnis boni idea, exemplar & ratio.* Hactenus elevatissimus iste Doctor.

Vilitas peccantis.

Ier.

Dyon.

Dignitas DEI offensi.

His ergo speciebus de dignitate DEI offensi, & vilitate offendentis, in memoria animæ excitatis, quantis amaritudinibus eam repleri necessum sit, quis non facilè conijciat? Si etenim quantò à dulcioribus ad amara quis convertitur, tantò magis in gustu crescit vigor amari: & si à nectareo fonte averti, cōvertiq; ad fæces & stercora intolerabilem nauseam gignit: quid experietur illa anima, quæ dereliquit fontem aquæ vivæ, immò mare inexhaustum omnis dulcedinis, DEUM, propter dissipatas cisternas momentanearum delectationum? nisi hoc, quòd dirè sentiat, plusquàm amarum esse sibi, DEUM suum dereliquisse. Ecce hic primus fons, quo fel peccati, amaritudines suas deportat in stomachum animæ, s. memoriam. Sed videamus fontem alterum, quo novæ amaritudines in intestina s. Synteresim, seu 9.

Ex dulci crescit amarum, etiam in peccato.

conscientiam deportantur: videlicet remorsum conscientiæ, timoremq; damnationis æternæ.

Probatur

Figuraliter.

10. Duo pocula valdè palatui ingrata, & nauseabunda in S. Scriptura reperio; in quibus latere adverto mysterium proposito nostro sat benè accommodum. Unum invenio Exod: 32. 20. Ibi enim lego insignem servi DEI Moysis zelum, & simul miror factum; quòd vitulo illo conflatili, circa quem populus commiserat idololatriam, arrepto, contrito, & combusto, pulverem mixtum aquâ, cuiq; de populo, bibendum præbuerit. De quo sic Sacer textus habet. *Arripiensq; vitulum quem fecerunt, combussit, & contrivit usq; ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.* Putarem ego, quòd plurimi ex populo renitebantur nauseabundi à tali haustu sumendo; idq; partim ex causa Physica; pulvis enim ille mineralis erat, & ruditer confectus, nec benè à scoria auri depuratus: quales solent esse valdè amari & palato ingrati: partim ex causa Morali. nam Abul: ap: Dicastillo. de Ornat: Sacerd: docet, hoc factum fuisse à Moyse, ut aliquod signum in bibentibus appareret, quinam consenserint illi idololatriæ. Si verò quæras, qualenam signum illud fuerit? Tostatus ex Rabano respondet; quòd illi, qui deliquerant bibendo, insigniebantur barbis fulvis, veluti aureis, cujuscunq; coloris antea fuissent.

Exod:

Amarum poculum Iudæorum ex cinere vituli.

Abul.

Barbæ aureæ ex potu.

Tostat:

11. Porro frequens habetur apud SS. Scriptores, per potum significari peccatum, juxta illud Job. 15. 16. *Bibit tanquam aquam iniquitatem.* Similiter & per calicem: Unde illa Apocalyptica Meretrix, à cujus libidine corrupta fuit terra, videbatur à Joanne, propinare omnibus poculum, quod tenebat in manu sua. Vitulus autem ille aureus, ex sensu S. Greg: 23. Moral: 3. denotat concupiscentiam: hæc quasi in clibano tentationum convertitur in pulverem illum, quem proijcit ventus à facie terræ; dum homo consentit in momentaneam ejus delectationem: bibit verò, dum re ipsâ perpetrat peccatum. Sed ah! quam amara, quàm nauseabunda hujuscemodi potio! quæ propudiosum ignominiæ signum, in facie i. in conscientia peccatoris, imprimit:

Iob:

Greg:

Concupiscẽtia, vitulus aureus.

primit: nam juxta Isid: in Leu: 13. flavus color in capillis (qualis etiam apparuerat in barbis bibentium de pulvere vituli) signum est fidei, virtutis fragilis & infirmæ: hinc rectè intelligo per hoc signum, internum testimonium, & remorsum malæ conscientiæ; cujus amaritudo, dicitur esse amaritudo non simpliciter fellis, sed fellis amarissimi; quale est aspidum: attestante Job: 20. 12. *Cùm dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud suâ linguâ; parcet illi, non derelinquet illud, panis ejus in utero illius, vertetur in fel aspidum intrinsecùs, caput aspidum suget.* Cui optimè consonat illud Petr: Damiani. *Falsa tunc carnis dulcedo in amarum vertitur, quando brevem voluptatem perpes pœna sequitur. de qua pœna ait Sap: 17. 10. Sæpè præsumit sæva, perturbata conscientia.*

Isid. Color flavus, quid significat.

Ibi.

Damian.

Sap.

12.

Hæc nonnulla de potu amaro, quem sibi ipsi continuò propinat, nec tamen unquam exhaurit, mala peccatoris conscientia; cui adhuc nova accedit amaritudo; ex illo videlicet calice, quem justi vindicis, DEI manus non jam propinat, sed cogit, ut de eo bibant omnes peccatores terræ: præcinente Divino Psalte. *Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto, & inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Psal: 74. 10. Calix itaq; iste, juxta Commentatores, denotat iram DEI, de peccatore vindicantis: Vinum calicis hujus dicitur mixtum; sed quâ mixturâ? non aliâ, nisi fellis & amaritudinis: *Vva eorum, uva fellis.* ut dictum supra. Etenim præter dirum remorsum conscientiæ, quo amarissimè consumitur illorum anima, accedit timor æternæ damnationis: juxta expositionem S. Greg: l. 4. in Reg: c. 4. qui pensando citata verba: *Vva eorum, uva fellis,* taliter ait: *Ex Sodomorum vinea vitem, ex Gomorrhea ducit propaginem, qui nefandissimis concupiscentijs implet mentem: quasi enim vineam facit, qui inde æterna obliviscitur, unde per concupiscentias inebriatur: & qui se quasi sub umbra vineæ & amænitate pravæ delectationis refrigerat, æterni sibi incendij retributionem parat. Unde hujus vineæ fructus, sunt uva fellis & botri amarissimi. Vva quippe in visu est, fel in sapore, visum oblectans, gustum amaricans: quia nimirum reprobæ menti valdè placet, quod concupiscit; sed in æterna pœna, quod sibi modò dulce est, amarescit.* Addit Propheta: *Inclinavit ex hoc, in hoc, verumtamen fæx ejus non*

Psal.

Greg.

Amarus calix, timor damnationis.

est exinanita. Plurimi etenim amaritudines internas s. remorsus arguentis conscientiæ, terroresq; imminentis à tergo vindictæ DEI, lenire cupientes, ut minùs sæva illa mentis sentiant tormina, inclinant seu distrahunt animam suam ex hoc in hoc, dum potentias ipsius, ad alia objecta divertere conantur; memoriam curis sæcularibus, voluntatem verò & desideria cordis, carnis occupando voluptatibus. Verumtamen fæx amarissimi calicis ipsorum his etiam artibus minimè fit exinanita: identidem quippe vel invitos arguit mala conscientia, & mens conscia culpæ, voluit ante oculos calicem illum amarum pœnarum gehennalis damnationis: de quo innuit idemmet Psaltes. Psal: 10. 7. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

Fex hujus calicis non exinanitur.

Psal.

Probatur **Historicè.**

13. Rem jam in exemplis videamus. Tacitus refert de Tiberio Imperatore, totius orbis Monarcha; quòd impressionem quandam cordis sentiens, quâ totus reddebatur stupidus & attonitus, ut hanc melancholiam mitigaret, seq; pro dilatatione animi per voluptates nonnihil licentiosiùs recreare posset, Româ relictâ in Insulam, quæ *di Capri* Italicè nuncupatur; parùm ab Urbe Neapolitana distantem, se receperit; quod nihil illi profuit. Hinc enim factum est, quòd ferocissimam quandam tristitiam cordi suo adeò tenaciter impresserit, ut se minimè continere potuerit, quin ad Senatum Romanum hæc in verba scriberet: *Quod scribam vobis Patres conscripti? aut quomodo scribam? aut quid omninò non scribam hoc tempore? Dij Deæq; me pejùs perdant, quàm pervire me quotidie sentio.* Hæc autem tormina animi & amaritudines cordis in Tiberio, adscribit idem Historicus, sceleratæ vitæ istius Imperatoris: dùm claudendo de ipso Historiam, talia subjungit verba: *Adeò (inquit) facinora & flagitia sua, ipsi quoq; in supplicium verterant.*

Tacit.

Tiberij Imp: conscientiæ gravissimus remorsus.

14. S. Antonin: p. 4. tit: 14. sequentem in simili recenset Historiam: legitur de quadam Virgine, quæ diu castè vixerat, & cùm instigaretur à diabolo de luxuria, ad experiendam delectationem ejus maximam; & quidam etiam vivens honestè, nimis familiater cum ea conversaretur, etiam ipse Virgo; ille quoq; tenta-

tus

tus est ad experiendam hujuscemodi delectationem. Demùm victi tentatione, commixti sunt simul. Quâ delectatione expertâ, ad tantam cordis amaritudinem illa Virgo devenit, quòd virginitatem suam amisisset, propter tam momentaneam, vilem, & turpem delectationem, ut præ amaritudine nimia cordis, mortua sit. O amaritudinem omni felle amariorem, in quam desinunt mellitæ dulcedines peccatorum! ô amaram potionem iniquitatis! ô discruciantem viscera animæ calicem! quem in justam peccatorum vindictam comminatus est per Prophetam Dominus. Ezech: 23. 32. inquiens: *Calicem sororis tuæ bibes, profundum & latum, -- ebrietate -- & dolore repleberis, calice mæroris & tristitiæ: & bibes illum, & potabis usque ad fæces, & fragmenta ejus devorabis, & ubera tua lacerabis.*

Præ amaritudine cordis, quædam mortua.

Ezech.

P A R S. II.

SS. DEIpara, sine felle peccati.

15.

MIrandam valdè visionem describit Apocalypticus Propheta in hæc verba. Apoc: 8. 10. *Cecidit de Cælo stella magna ardens, tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum: & nomen stellæ dicitur, absinthium: & facta est tertia pars aquarum in absinthium; & multi hominum mortui sunt de aquis, quæ amaræ erant.* Visio ista Prophetæ apprimè expressiva videtur fuisse, communis ruinæ generis humani. Stella illa magna & ardens, nonnè bene censendus Protoparens noster Adam, eximijs dotibus animæ & corporis olim rutilãs? lapsus verò stellæ de Cælo, concinnè satis alludit primo peccato: juxta illud Psaltis Psal: 35. 13. *Ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Cecidit illa stella super aquas, fataliq; casu suo, infici fecit eas, mortiferâ hominibus amaritudine: quia Protoparens Adam, amaritudinem peccati, quam ipse in lapsu suo hauserat, in alios derivavit, tantosq; infecit de posteris suis populos: qui in eadem Apocalypsi nomine aquarum veniunt: *Aquæ quas vidisti, populi sunt.* Apoc: 17. 15. Unicam ex puris hominibus & ter felicem prædicamus SS. MARIAM, quæ lapsûs Adæ nulla ratione conscia, de absinthio & Adæ amaritudine, nec minimùm gustavit;

Apoc.

Psal.

Adam stella cadens.

Apoc.

utpotè illa, quam mox probabimus, & videbimus, in sui Conceptione, fuisse innocentissimam COLUMBAM, sine felle, ullius, etiam originalis noxæ.

Probatur Scripturaliter.

16. Pro veritate asserti nostri comprobanda, ex Sacris Literis, sufficiat unum, pluribus tamen meritò æquivalens testimonium; quia ipsius Sponsi Cælestis de Sponsa sua, SS. videlicet MARIA, in sacro epithalamico carmine elogium expressum, sub figura Columbæ: in hæc verba: *Unica est Columba mea, Electa mea,* *Cant:* *Amica mea, Formosa mea, Immaculata mea, Perfecta mea.* Cant: 6. 8. & 5. 2. Si singillatim & diligentiùs quæq; perscrutari velimus, profunda in his latere mysteria inveniemus; quæ singula benè probarent dilectissimam hancce COLUMBAM SS. MARIAM caruisse felle omnis, etiam originalis culpæ. Ex his pluribus, super tria tantummodò advertere placeat. Primò super illud; *Unica est COLUMBA mea.* Non vulgare quis putet esse in Scri-

Non vulgaris vox: VNVS, VNA.

pturis istud vocabulum, UNUS vel UNA: est enim præcipuum de excellentioribus titulis, & eximia laus illius, cui attribuitur. Ad ipsius quippe infinitæ Majestatis DEI declarandam, investigabilem aliàs, excellentiam, hujus vocabuli adminiculo usus est *Deut:* Moyses. Deut: 6. 4. sic exhortando populum. *Audi Israel, Dominus DEUS noster, Dominus unus est.* Hoc epitheto veneratus est eundem Sapiens: dum *Eccli:* Eccli: 1. 8. taliter confitetur. *Unus est altissimus Creator Omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis.* Imò primus principalisq; DEI titulus, quòd Unus dicatur, meritò censendus est: hinc quia Ethnici non unum, sed plures colebant Deos, nullum verum investigavêre DEUM.

17. Non itaq; absq; grandi mysterio, hunc suum principalem titulum communicavit DEUS, COLUMBÆ suæ Sponsæ s. SS. MARIÆ, dum dicit de ea Sponsus. *Unica est COLUMBA mea.* Ut per hoc denotaret, quòd sicut in perfectionibus suis, unus est DEUS, & non est alius similis illi; ita quoq; COLUMBA ejus SS. MARIA, inter puras creaturas, una sit; cui nulla alia similis in sanctitate, justitia, & gratia reperiatur. Quid ergò cum felle cujuscunq; noxæ, unicæ, & in perfectione sanctitatis, atq; in gratia cõ-

MARIA dicitur Unica, cur?

ditæ, COLUMBÆ? præsertim ex eo, quòd Cælestis Sponsus replicando perfectionem unitatis in hac Columba, superaddat ibidem. *Una est Genitricis suæ electa.* S. Greg: Niss: investigare volens, quemnam hic Sponsus supponat pro Genitrice hujus COLUMBÆ, Sponsæ suæ SS. MARIÆ, à simili sic ratiocinatur: *Sicut viso homine facilè conijcimus ipsum genitum esse ex homine; ita visa columbà, concludendum est, Matrem ejus fuisse alteram Columbam.* Unde ulteriùs procedendo, ad propositum S. Doctor dicit: *Sic cùm electa hujus COLUMBÆ Matrem quærimus, non aliam quandam, sed Columbam esse intelligimus.* Sed ulteriùs promovet Quæstionem idem Sanctus. Cujusnam Columbæ filia, hæc COLUMBA Sponsa MARIA? Minimè hic derogare volo Dignissimæ Matri ejus SS. ANNÆ; quæ secundùm carnem, verè fuit Mater MARIÆ; mysticè tamen citatus S. Doctor, dum se reflectit super illud Hieroglyphicon Evangelicum Spiritûs S. in specie Columbæ apparentis, vocat SS. MARIAM, Filiam Spiritûs S. verba Doct: pono: *Cùm verò Columbæ filia sit, omninò Mater hujus COLUMBÆ est illa, quæ de Cœlo ad Jordanem volavit.* Porrò non alias hæc Columba Spiritus S., genuit COLUMBAM MARIAM, nisi tum, dum primò purissima anima ejus crearetur. *Ipse creavit eam in Spiritu S.* Eccli: 1. 9. Genuit autem ut electam Genitricis suæ; quia speciali, cæteris non concesso privilegio præservatam à reatu Adæ: ut sicut ipsa Mater Columba Spiritus S. odit omne fictum seu effugit: ut est Sap: 1. 5. ita quoq; hæc lectissima COLUMBA filia ejus MARIA, in primo exortu suo, prodiret sine felle & amaritudine cujuscunq; peccati.

Greg. — *Quæ Columba Mater MARIAE?* — *Eccli.* — *Sap.*

18\. Prosequitur Sponsus laudes Sponsæ COLUMBÆ MARIÆ: *Soror* (inquit) *mea, Columba.* Crescit iterũ ex his verbis robur immediati argumenti; ex eo videlicet SS. MARIAM COLUMBAM fuisse sine felle originalis culpæ; quia fuit electa Filia Spiritûs S. Quomodò autem dici potest, simul eadem, & Mater, & Soror Christi? Mater ergo secundùm carnem; quia verè eum genuit, & lactavit: Soror verò secundùm spiritum; quia eadem cum Christo Genitrice nata, seu creata s. in Spiritu S.: ita, quòd sicut Conceptio passiva Christi secundùm carnem, facta est superveniente Spiritu S. fæcundante Virginem; pariter quoq; Conceptio pas-

MARIA Soror Christi, quomodo? — *MARIAE Conceptio, genitura Spiritûs S. quo sensu?*

siva SS. MARIÆ, seu aliàs creatio animæ illius, ipsiusmet Spiritûs S. genitura fuerit: atq; sic, ut COLUMBA hæc, fieret genuina Soror Christi, qui non fecit peccatum, nec inventus est dolus in ore ejus; necesse fuit, ut esset similiter COLUMBA exsors omnis fellis peccati.

19. Cant. Rup: Antitheses MARIÆ & Evæ. Tertium elogium COLUMBÆ MARIÆ subdit alibi Sponsus: *Amica mea, Columba mea.* Cant: 5. 2. quorum verborum pulchrâ Paraphrasim per Antitheses, placeat audire ex Ruperto: *Surge propera amica mea, COLVMBA mea, formosa mea, & illis omnibus opposita Evæ. Eva enim quasi inimica, Eva quasi vipera, Eva quasi deformis & ignominiosa. Mihi inimica, Viro suo vipera, sibimet confusio & ignominia. Inimica per superbiam, quâ intùs tumuit, vipera per malitiam, quæ ex serpente concipiens, foris tentata cessit, ignominiosa per pruritum libidinis, quâ statim scatere cæpit. Tu Amica mea, per humilitatem. COLVMBA mea, per charitatem. Formosa mea, per castitatem. Tu contra DEVM non tumuisti, imò mente humili Altissimo complacuisti: & ecce Amica es. Tu serpenti aurem non præbuisti, imò inimicitias inter te, & serpentem ego posui; & ecce COLVMBA es. Tu nuditatem libidinis non incurristi; imò Spiritus S. obumbravit tibi; & ecce formosa es.* Antitheses istæ, sat elucidè monstrant COLUMBAM MARIAM, nec minimùm participasse de felle peccati primæ Matris Evæ.

20. Amicus, alter ego. Sed ampliùs premamus eadem verba Sponsi. *Amica mea, Columba.* idq; ex conditionibus veræ amicitiæ. Amicus, vulgò dicitur, quasi alter ego: per quod denotatur intima & mutua utriusq; affectuum similitudo; ita, ut in neutro amicorum vel minima gutta fellis, aut odij maneat, respectivè ad se; sed uterq; illorum omni momento, affectu, & memoriâ amici, in corde suo dulcescat & delectetur. hinc fidentiores amici dicũtur vel unius cordis esse, vel sibi invicem corda donasse. Si ergo censes SS MARIAM fuisse socialissimam COLUMBAM, Amicam Sponsi, si unius cordis cum ipso; cave, ne unquam in tam sociali corde, & quasi identico cum corde Sponsi sui purissimi, vel minimam fellis peccati guttulam inesse vel infuisse, cogites. Præsertim dum audis S. Dyonisium de amica hac, ità disserente: *O Amica singularis, & Unica! cujus respectu aliæ sunt ancillæ, quamvis suo modo amicæ quoq; sint.*

MARIA Amica singularis DEI, hinc colligitur Concep: Immaculata.

Dyon:

Rursus

Rursùs dicitur: Amicorum propria, sunt communia. Quid porrò maximè proprium DEI est? nisi amor, & misericordia: juxta illud Ecclesiæ: *DEUS, cui proprium est misereri & parcere:* quando ergo sub Decreto justi Judicis DEI, universum genus humanum in Protoparente suo mulctandum esset, utpotè inimicum DEO: hanc solam singularem Amicam, quæ in propria sui corporis, receptura erat DEUM, in sui quoq; propria s. in sinum specialis amoris, & misericordiæ, quòd receperit DEUS, ut eam à communi clade præservaret, quis dubitare audebit? 21.

Amicorum propria, cōmunia.

MARIAE Conceptio in sinu DEI.

Probatur

Figuraliter.

Ingeniosam & simul devotam Quæstionem movet Hugo Vict: Curnam ille nequissimus Seductor Protoparentum nostrorum diabolus, tanti negotij aggressurus molimina, figuram assumpserit serpentis; cujus ipsa species & forma naturalis, etiam ante maledictionem, minùs apta ad blandiendum videbatur: & cur non induerit potiùs figuram Columbæ; quæ inter cætera volucria, est avis homini magis socialis, amica valdè, & pergrata? Ad hanc Quæstionem sibimet respōdet idem Hugo, in hæc verba: *Venit ad hominem in serpente callidus hostis, qui fortasse, si permissus fuisset, in forma Columbæ venire maluisset: sed hoc vas sibi Spiritus S. reservavit; quia profectò dignum non erat, ut spiritus malignus formam homini odiosam faceret, in qua postea eidem Spiritus S. apparere debuisset.* Quasi innuere vellet iste Doctor, causam non aliam fuisse, quòd non permiserit Spiritus S. formâ Columbæ abuti; ne scilicet Columba illa, quæ destinabatur aliquando cessura in vas Spiritûs S, illâ, etsi imperfectâ assistētiâ diaboli cōtaminaretur. 22.

Hug:

Dæmon cur ut serpens, non ut columba apparuerit Evæ?

Hinc ulteriùs promovendo Quæstionem, aliam subjungo quæstiunculam: quando apparuit Spiritus S. in Columbæ specie supra Jordanem. Joan: I. Utrum de carne & sanguine illius Columbæ, quidpiam participaverit Spiritus S. & strictè ipsi fuerit unitus, sicut unitus fuit Filius DEI, carni & sanguini Matris Virginis, dum in utero ejus incarnaretur? Opinatur quidem Tertull: l. de carne Christi c. 3. Columbæ illi hypostaticè fuisse unitum Spiritum S.: cæterùm communis opinio Theologorum, cùm D. Augusŧ: de doctr: Christ: c. 22. id omninò negat: sed tantùm 23.

Joan:

Tertull:

Aug:

concedit usum fuisse illâ Columbâ Spiritum S. quasi Symbolo & hieroglyphico sui. Unde non sine mysterio dixit Joannes, qui tum baptizabat Christum: *Vidi Spiritum descendentem, quasi Columbam;* non autem absolutè, & directè se vidisse Spiritum Columbam asseruit: sicut dicitur de Christo, quòd sit DEUS incarnatus, ex MARIA Virgine. Si ergo Spiritus S. tam providè laboravit, ne species Columbæ contaminaretur, serviendo aliquando fraudi & dolis malevoli seductoris, quamvis non adeò strictè unienda esset illi, prædicta species: quantâ putas id egisset solicitudine Spiritus S., si prænovisset, se aliquando Columbæ hypostaticè uniendum, & ab ea carnem & sanguinem sibi forte participanda.

Spiritus S. ut Columba apparens, non fuit illi hypostaticè unitus.

24. Liceat jam vi ejusdem argumenti uti, pro immunitate Columbæ nostræ à felle omnis peccati. Si etenim tertia SS. TRINITATIS Persona, tam solicitè, & tam tempestivè consuluit immunitati & honori Columbæ, cujus carni & sanguini minimè unquam cõmunicavit; omninò prudenter præsumendum est, secundam quoq; Personam SS. TRINITATIS, Filium DEI, tantò enixiùs ab æterno desudasse pro sua Columba, quam in veram futuram Matrem sibi tum eligebat, & ex cujus carne atq; sanguine, formam hominis decreverat assumendam, & quidem non transeunter, sed nunquam dimissurus illud, quòd semel ex MARIA assumpsisset: præsumendum inquam est, præcustodisse Matrem suam MARIAM, ne fraudulentæ illius infernalis aspidis veneno, & felle peccati inficeretur: ut sic sibi esset electa Mater, ceu Columba selectissima, nunquam infecta felle peccati.

Conceptio Imm: MARIAE colligitur à fortiori.

25. Figuralem istam conjecturam, juvat non debiliter, & illa altera Noëmicæ Arcæ Columba; quæ in signum decrescentium super terram diluvij aquarum, portaverat ad Arcam ramum virentem olivæ: ut testatur S. Chronicon. Hic scíscitatur S. Ambr: l. de Noë & Arca, c. 19. Undenam, & quomodo, ille ramus, & quidem virentibus folijs, prodierit? novusne quispiam surculus, jam decrescentibus aquis, ex stipite erupit; an verò antiquus, qui ante diluvium jam creverat, quopiam modò conservatus extiterit? Quòd de novo creverit, idq; naturaliter, vix credibile videtur; præsertim paucis interjectis diebus, à tempore

Ambr.

De ramo olivæ allato per Columbam Noe; quæstio c..i.osa.

quo

quo cæperant decrescere aquæ. Quòd autem aliquis surculus in naturali suo vigore se conservaverit, & restiterit tantæ multitudini obruentium aquarum, planè impossibile judico; cùm nedũ robustæ querc⁹, elatæq; Libani Cedri, &c. sed saxei quoq; mõtes validis plurimisq; decurrentium aquarum quassati impetibus, tum corruerint. Ad Quæstionem hanc respondet S. Ambr: illum virentem ramum, non de novo progerminatum, sed antiquum fuisse, miraculosè tamen conservatum à DEO, ut esset in signum reservatæ apud DEUM misericordiæ; idq; propter consolationem humani generis.

Ut ut sit: certum nihilominùs est apud omnes Doctores, ramum illum, Symbolum præsetulisse exhibendæ breui humano generi misericordiæ. Et sanè dum prima caro s. Protoparentes nostri, corruperat vias suas, prævaricato Creatoris sui mandato, ruptæ sunt cataractæ, non jam Cæli, sed mortis; venit subitò hora, & articulus illius diei, de quo comminativè dixerat illis DEUS. Gen: 2. 17. *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris.* & factum est diluvium peccati magnum, super omnem terram s. super universos filios filiasq; Adæ; & operti sunt omnes excelsi mõtes Sanctorum; corruêre in Ada, etiam Cedri Libani perfectissimorum In illo tamen tristissimo universi cataclismo, clemẽtissimus DEUS minimè immemor fuit, unicæ & dilectæ Columbæ suæ, SS. MARIÆ, futuræ Matris Filij sui; atq; mirâ dispensatione infinitæ Potentiæ suæ, conservavit intactam Olivam, quæ Symbolum est misericordiæ, in qua cunctis cadentibus, solius Columbæ MARIÆ pes tutè requiesceret; ut sic cãdor ipsius, aquis diluvii originalis non madesceret, aut ne communi conspurcaretur luto. Plures equidem Olea hæc misericordiæ, clementissimæ pietatis suæ produxit surculos, dum collapso generi humano, reparationis nova disponeret media; primus tamen, & excellentior cæteris, pietatis surculus destinabatur unicæ Columbæ MARIÆ: præcipuus videlicet redemptionis modus: præservativus ejus à peccato, à quo redimi debuisset: Ait enim S. Anton: Tract: 8. c. 2. de peccat: orig: *Nobiliùs & meliùs liberatur & redimitur, cui providetur ne cadat, & servitutem incurrat, quàm ut lapsus erigatur, & factus servus, redimatur.*

26.

Oliva ramus Symbolũ misericordiæ.

Gen.

Primus surculus Olivæ seu misericordiæ DEI, debebatur Columbæ MARIAE, quis ille?

Anton.

Proba-

Probatur **Doctoraliter.**

27. S. Andreas Apost: Ser: in transf: B V. apud B. Amad:, raptu 8. ita perorasse legitur. *MARIA COLUMBA Unica, & sine felle.*

S. Ildephonsus Ser: 6. de Assumpt: *MARIA COLUMBA irreprehensibilis, quæ malitiæ accipitrem devitavit.*

S. Damasc: in Menæ: 22. Jan: Ode 9. Hanc Unicam COLUMBAM agnovit esse sine omni felle s. labe peccati, dum ipsam taliter salutat: *O ubiq; inculpatissima Numinis Mater! salve COLUMBA electa, quæ mentem habes, pennis inauratis spectabilem, salve speciosissime turtur, eximia super omnes hirundo, &c. absq; ulla nævi vel umbra.*

S. Albert: M in Marial: Ser: 2 *MARIA COLUMBA, non habens fel amaritudinis, & tota plena dulcedine pietatis.*

S. Irenæus l. 4. c. 19. alludens ad illa verba Gen: *Ipsa conteret caput tuum.* ait sic: *Serpentis prudentia devicta est in simplicitate COLUMBÆ.* Ubi loquitur de SS. MARIA. Quæ S. Doctoris verba clarius explanando Salazar de Conc: c. 25. n. 13. inquit: *Itaq; sensus est: DEUS serpentis astutiam, quæ in eo posita erat, ut caput, id est, originale peccatum, ita servaret, ut illud quàm tutissimè insereret cunctis filiorum Adæ; hanc inquam astutiam per COLUMBAM s. per MARIAM pervicit; quæ COLUMBA fuit omni felle ex eo carens, quia ab omni tam actuali quàm originali peccato aliena fuit.* Hic idem magnus zelotes pro Imm: Ortu MARIÆ, ulteriorem ex ipsa natura fellis educit rationem. *Fel (inquit) non solùm acerbum & amarum est, atq; adeo ad pœnitentiæ amaritudinem notandam idoneum: sed etiam juxta pervulgatum Medicorum placitum, ideo vel maximè animali fel inditum est, ut suâ mordacitate & austeritate ad sordes egerendas facultatem expultricem incitet. In animis verò idem prorsùs pœnitudinis officiū existit; utpotè quæ ad peccatorū sordes pellēdas nata est. Sic ergo Sacer Sponsus ad Virginem: Una est COLUMBA mea, Immaculata: quasi dicat: Una & singularis est MARIA, quæ propter innocentiam suam, ab omni peccato, sivè actuali, sivè originali expertem & vacuam, COLUMBA est, acri & austero pœnitudinis felle carens.*

Probatur **Miraculosè.**

28. Notabile miraculum, ejusq; perpetuam memoriam videre est apud

apud Civitatem Aquilanam, in appenso ad S. Aram Beatissimæ, cõtorto pugione: quod refert Bernard: de Busto, p. 1. s. 7. Cùm enim civis quidam Aquilanus passione sanguinis præ ira ebullientis abreptus, capitalem suum inimicum, quem jam in potestate habebat, interficere statuisset; jamq; gladium evaginasset; occurrente menti, B. Virgine Immac: conceptâ, (erga quam semper singulari studio devotionis ferebatur) rogavit eam suspirans, ut prædominanti passioni modum imponeret, seq; ab imminenti periculo peccati eripere dignaretur: cùm ecce tibi repentè pugio, aliàs rectus & firmus, ita contra omnem naturæ artisq; modum apparuit retortus (quem reflexit Liberatrix Virgo) ut nullius deinceps, neq; ad feriendum, neq; ad pungendum, usûs esse posset: quo viso miraculo irâ deferbuit, bilemq; concitatam sedavit; in proximo alias homicida. O miræ mititatis COLUMBAM Imm: Conceptam MARIAM! & quàm dissimilem illi, quæ apud Jeremiam 25. 38. plena fellis & iræ, & in ruinam hominum, gladio armata describitur. Mitissima COLUMBA nostra, fellis illius primævæ minimè conscia, sistere fel amaritudinis & vindictæ etiam in alieno pectore, piè invocata, potuit; ut etiam per hoc probaret, se in Conceptione sua fuisse COLUMBAM, pacis semper, & non belli gratissimam Nuntiam, atq; carentem omni felle peccati.

Invocatio Imm: Conc: furorem iræ sedat.

Jerem:

Probatur

Scholasticè.

THEOL: Juxta communem Theologorum opinionem, saltim ordinario modo loquendi, pro eodem instanti reali, non sunt compossibilia in uno subjecto, peccatum habituale, cum actuali amore DEI: juxta illa verba Salvatoris; *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Joan: 14. Sed SS. MARIA in instanti Conceptionis, seu Creationis animæ suæ, juxta pium multorum DD. sensum, habuit excellentem actum amoris DEI. Tum quia, ipse S. Thom: in 4. d. 30. q. 2. a. 1. inquit: *In B. Virgine debuit apparere omne illud, quod perfectionis est:* Tum quia, secundùm eundem Angelicum Doctorem, Albertum M. Bernardinum Senensem cit: ap: Miechov: in Litan: d. 88. n. 1. B. Virgo in illo instanti habuit perfectissimum usum rationis; & præterea, ut observat Bern: Sen: quandam specialem claritatem intellectui suo infusam. Ex quo con- 29.

Joan.

Thom.

Ex incompossibilitate actualis charitatis cum peccato, probatur Imm: Conc: Mariæ.

concludit Salazar, ab illo ipso instanti, Beatissimā per contēplationem & amorem tantopere DEO adhæsisse, ut à nullo bono creato, & commutabili avocari & avelli potuerit. Ergo pro primo illo instanti Creationis suæ, non potuit ipsi infuisse fel, habitualis originalis peccati.

30\. *Bilis motus in meridie.* PHILOS: Est apud Physicos; qui Medici appellantur, aphorismus talis. *Meridies bilem, seu fel afficit & movet: sicut solis occasu melancholia excitatur: media nocte, pituita fluit; ad solis ortum, sanguis movetur.* Mysticè juxta S. Ambr. sup. Psal. 118. Meridies significat fervore tentationis, seu summam tentationem; à qua fortè præcustodiri orabat David, dicens: *Eripe me ab incursu & dæmonio meridiano.* alia versio. *A morsu insidiantis in meridie.* Vix planè Protoparētes nostri, sub hoc infausto stetere meridiano, en subitò, morsu insidiantis Serpentis icti, bile & felle peccati affecti & infecti unà nobiscum sunt. Non tamen SS. MARIA: ipsa etenim, tùm quādo in meridie sub æstu tentationis succumbebat Adam, non cum ipso, sed alibi s. sub umbra Dilecti sui meridianabatur; quā umbrā solicitè quærendo, ajebat ad Sponsum. Cant: 1. 6. *Indica mihi ubi cubes in meridie.* Minimè ergò bile, seu felle illô Adamico inficii & amaricari potuit.

Ambr.

In meridie Adam peccavit.

Cant.

MARIAE meridies, ubi?

31\. *Columba in Cruce, quid?* SYMB: Primæva Christianitas moris habuit, erigere vel pingere Cruces, cum desuper insidente COLUMBA: hæc autem COLUMBA signabat animas simplices, justas, innixas Cruci, seu meritis Passionis Christi. Ex communi sensu Patrum SS MARIA respectivè ad puras Creaturas, dicitur puritas puritatum, & summa puritas: adeoq; illius Symbolicæ COLUMBÆ Cruci insidenti, principaliter cēseri debet fuisse significatum: quæ quia simplex, & summè pura, eo ipso probat se esse COLUMBAM sine felle; insidēsq; Cruci, indicat statim puritatis suæ causam; merita videlicet prævisæ Passionis & Crucis Filij sui; quibus præservata remansit à communi illa infectione fellis Adamici.

Conceptam MARIAM sine peccato signat.

32\. *POES:* Simplicitas cordis, candor purissimus in Te,
Pulchra columbinæ Symbola mentis habet.
Innocui candoris ebur violaverat Eva;
Quodq; meum fuerat cor, dedit illa Stygi.
Hinc imis hæsêre fibris, mala toxica fellis,

In cul-

In culpa, Stygij fellis amaror erat.
Tu sine peccato, fieres ut pura COLUMBA; *Ios: Biezan: in Cant: epig: 66.*
Conceptus volui, felle carere tuos.

PROG: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.*
ANAG: Ales amaritudinum ignara, pacem ovet.
Avicula generosa, etiam ramum pandit.
MARIA avis data egeno, purum mel canit.
Avis pennata Immaculata, re giro DEUM.

Probatur

Historicè.

33. Apud ingeniosam, etsi ut plurimùm fabulosam Ethnicorum Antiquitatem, duo ad rem meam peropportuna, de COLUMBIS adnotata invenio: Primum, quòd Ægyptijs magno in honore fuerit COLUMBA; ex eo, quia fabulabantur ipsi, famosam illâ Reginam Ægypti Semiramidem, adhuc infantem, à columbis fuisse educatã; unde sanctissimam volucrem reputantes, divinos ei exhibebant honores. Extra omnem fabulã, immò de Fide est, SS. MARIAM fuisse COLUMBAM illam, quæ Regem Cælorum & Dominum, nedum aluit, nutrivit, sed quoq; genuit; utpotè vera Mater JESU. Si itaq; Semiramidis Reginæ, Nutrici COLUMBÆ, in vim præstiti obsequij, quandam excellentem adscivit antiquitas sanctitatem: quis jam COLUMBÆ nostræ, veræq; Matri Cælestis Regis, excellentissimum sanctitatis, quæ ab ea excluderet omne in universum fel peccati, gradum, quis inquam denegare audebit? *Columbæ nutritiæ Semiramidis: ideo AEgyptijs in honore.*

34. Alterum de COLUMBIS habeo ex Plutarcho: consuetum fuisse Antiquis, in Nuptijs columbas in hostias immolare Junoni; ita tamen, quòd à qualibet hostia fel eximeretur, & abijceretur. Nos Christiani legimus in Evangelio, quendam Regem fecisse nuptias filio suo. Mat; 22. Rex ille quisnam fuerit? non alius, nisi Pater Cælestis; Filius Regis & Sponsus, ipse Filius DEI incarnatus. Iste sensus est SS. Patrum: sic enim S. Greg: *Tunc* (inquit) *Pater fecit nuptias Filio, quando hunc in Utero Virginis, naturæ humanæ conjunxit.* Et S. Augušt: *Tunc Christus processit ex Utero Virginis, tanquam Sponsus de thalamo suo; in quo Utero Spirituales Nuptiæ celebratæ sunt. DEUS conjunctus est carni, & caro adhæsit DEO.* In tàm Sacris ergò Nuptijs, pronubæ Junoni debebantur sua sacrificia: *In Nuptijs victimæ columbæ, ablato felle.* *Matt.* *Greg:* *Aug:* *Nuptiæ Filij DEI, incarnatio.*

 ficia:

ficia: non jam illi fabulosæ, quæ dicebatur Magna Deorum Mater, sed SS. MARIÆ verissimæ Matri DEI; sine cujus interventu, seu consensu, non celebrandæ fuissent, Sponsi Cælestis Nuptiæ, seu Incarnatio Filij DEI. Quæ ergo Divinissimæ hujus Junonis sacrificia? intelligere liceat dona illa antenuptialia, quæ solo intuitu Maternitatis DEI concernebant SS. MARIAM: inter quæ censeri debet excellentissima & omnipossibilis sanctitas. Non enim magnæ Matri veri DEI quæcunq; debebantur hostiæ, sed columbinæ & sine felle: videlicet ipsa ejus Sanctissima anima, nullo unquam tincta felle peccati, sed potiùs indulcorata excellentissimæ sanctitatis gratiâ.

MARIAE donum antenuptiale: Conc: Imm:

EPILOGUS.

35. Pier: Hierog: l. 22. c. 10. tradit, in somnis visam COLUMBAM, aut aliquid de pennis ejus, fuisse Antiquis magnæ felicitatis augurium. Idem notat, Cæsari, Maroniano, Æneæ, tandem Alexandro Severo, oblatas aut visas columbas, Imperatoriæ dignitatis, fausta dedisse auspicia. Etiam apud Hebræos testatur Euthymius moris fuisse, potentiorum & divitum tectis, alas columbarum gypso affigere, in signum felicitatis. Beerlink Theat: Vit: D. f. 9. scribit: Naufraganti 40. diebus & noctibus Radegundi Reginæ, devotæ in cultu B. V. MARIÆ visam fuisse COLUMBAM circumvolitantem: unde brevi successit tranquillitas in mari, tribus pennulis illius COLUMBÆ in mare projectis. Vidimus & nos innocentissimam DEI COLUMBAM sine felle, immac: in Ortu suo SS. MARIAM sine labe originali: ergo felicitatis nobis augurium esto. Oderũt licet columbæ aliæ (ut notat Pier: l. 25. c. 14.) vespertiliones & noctuas; immò & emortuorũ ipsorũ ossa fugiunt. COLUMBA nihilominùs nostra, quia sine felle est, odisse minimè noverit, nos vespertiliones, & noctuas licet, qui ũbras mortis amam': expãdet mitissima hæc COLUMBA alas suas, ut protegat, naufragãtesq; in hoc sæculo adjuvet, salvetq; cliẽtes suos.

Columba, faustum augurium.

Juvit in naufragio.

Columbæ oděüt noctuas.

36. Atheneus l. 15. c. 17. scribit: olim in usu fuisse, in fine festivi convivij emittere colũbas, quæ super convivas volando spargerent Balsama. Equidem, festinamus hodie in jubilis & spiritualibus epulis, celebrantes Immac: festa COLUMBÆ, Immac: Conc: MARIÆ; circũvolitantem eam cum Balsamis gratiarum, super clientes huic mysterio devotiores, cogitemus: Levamus ergo, nõ tam oculos, quàm corda ad Te ô COLUMBA sine felle! ô COLUMBA plena odoramentis gratiarũ; nostras quæsumus, amarescentes in felle peccatorũ animas, liberaliter resperge, perunge, sana, & trahe in odorem unguẽtorum tuorum. Tu nobis sis felix auspiciũ navigationis nostræ in carne peccati, quæ Portus naufragantium appellaris; Tu sis salutis nostræ fausta vates & prodroma. Tibi in DEO, & ex DEO, tuoq; Imm: Conceptui, sit laus, honor, & gloria.

Columbæ in convivijs spargentes balsama.

Votum Authoris.

Io! vivat Immaculata SS. DEIparæ Conceptio.



DOMUS, ſine Ruina, SS. Virgo MARIA, ſine labe Concepta.

Beatus Venter, qui te portavit. Luc: 11.
Sapientia ædificavit ſibi domum. Prov: 9.

INter antiquioris ſæculi Sapientes, famoſam quandam, propoſitam quidem, & agitatam, ſed nondum perfectè reſolutam, invenio quæſtionem. N.N. Plutarchus nempè teſtatur, de illis, qui communi ore jactantur, ſeptem totius orbis Sapientibus, eos in quodam lautiori convivio, novum & ſingulare excitaſſe dubium: videlicet: Quænam Domus cenſenda eſſet optima? Ad quod primus ſ. Solon de promptu reſpondit: In qua res, neq; injuſtè eſt parta, neq; in ea vel conſervanda. *Secundus* Bias dixit: In qua Dominus ſuâ ſponte ſe talem gerit, qualem foris propter leges. *Tertius* Thales: In qua (ait) plurimùm otij Domino conceditur. *Quartus* Cleobulus: In qua plures ſunt qui diligant, quàm qui metuant Dominum. *Quintus* ſubticuit, apud Cornel: à lap: in Levit: 26. 3. *Sextus* Pittacus: In qua, neq; requiruntur ſupervacanea, neq; deſiderantur neceſſaria. *Septimus* Chilon: Quæ ſimilis eſt Urbi, in qua Sapiens Rex imperat. Senſu ergo illorum ſeptem Sapientium videbatur jam adæquatè ſoluta Quæſtio. Sed perperam valdè.

1.

Quænam domus, optima cenſenda?

 valdè.

valdè. Ignari etenim veræ Sapientiæ, & dogmatũ fidei de DEO, quæ vera essent & solida beatæ Domûs fundamenta, investigare plenè non poterant. Itaq; apud sacratioris scientiæ Sapientes, hujus dubij quærenda est resolutio.

2. Hanc porrò sapientissimus omnium sapientûm Salomon adæquatè ipso facto soluit, dum Cælestis Sapientiæ Domum ac ædificium, quod eo ipso perfectissimum esse debuerat, ita describit: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* DOMUM hanc perfectissimam, ac simul beatissimam, non aliam mysticè interpretor, nisi ipsam SS. MARIAM: in laudem enim ejus hodie occinit Evangelium Breviarij Franciscani. *Beatus Venter, qui te portavit:* Et de ipsa, præfata Sapientis verba interpretatus est S. Ignatius M. ep: ad Philipp: inquiens: *Sapientia ædificavit sibi Domum, & factus est sicut homo, DEUS cum corpore, quod suscepit de Virgine.* Cui quoq; coincidunt illa ex hymno Breviarij Rom. *DOMUS pudici pectoris, Templum repentè fit DEI.* Scitè quoq; de hoc Idiota c. 4. de B. V. scripsit. *Priùs ædificavit Angelis Cælum, & hæc est domus gloriæ; dæmonibus & damnatis hominibus infernum; & hæc est domus justitiæ: hominibus lapsis mundum, & hæc est domus miseriæ: idem autem carcer, patria fuit bestiarum. Pisces posuit in aquis, aves in aere, & stellas in firmamento: & qui priùs cæterorum hospitijs intenderat, nunc suo proprio intendit hospitio.* Hinc colligere oportet, DOMUM hanc s. SS. MARIAM fuisse ædificium cæteris omnibus beatius & nobilius, DOMUM præstantiorem, & opus Divinæ Sapientiæ excellentissimum.

MARIA, Domus æternæ Sapiẽtiæ.

Ignat: M.

Idiota.

3. Equidem Domorum ac ædificiorum, hæc prima est commendatio, si nulli subjaceant ruinæ. Innotuit satis nobis ex Sacris Literis, nobiliora quædam Omnipotentiæ Divinæ ædificia s. naturâ Angelicam & humanam, in quibus per infusam, immò concreatam ipsis gratiam, tantisper jucundè habitaverat DEUS, non diu substitisse, sed brevi ruinam per peccatum passa, miserè corruisse: nam in quibusdam Angelorum inventa est pravitas: & primi statim homines transgrediendo mandatum Conditoris, prolapsi sunt. Unam nonnisi, & solam inter puras Creaturas privilegiatam cernere est DOMUM Sapientiæ æternæ s. SS. MARIAM; quæ Immac: Concepta, & semel in gratia fundata,

Citò corruit natura Angelica & humana.

data, nunquam nutavit, nec proximè subjecta esse potuit ruinæ. Cùm ergò dies Conceptionis ejus, sit dies fundationis hujus Almæ Summi Creatoris Domûs; hinc ego hodie SS. MARIAM prædicabo & probabo fuisse Domum sine ruina originalis peccati: Propositio. prævie super funestam generis humani ruinam per peccatum factam, moraliter dogmatizando. Nunc rythmicè salutemus immaculatè Neo-Conceptam.

Salve ô Domus cedrina! Procul à te est ruina.
Nam es Aula Summi DEI, Salvatoris Domus mei.

PARS I.

De ruina humani generis.

4. Recogitanti mihi, funestissimam illam, quam in Protoparentibus suis, universum genus humanum subijt ruinam, occurrunt illicò verba illa Spiritûs S. Prov: 17. 16. *Qui in altum facit domum suam, quærit ruinam:* Alta quippe ædificia, partim mole suâ, & pondere dehiscunt; partim, quia, ut ait Poëta: Prov.

Summa petunt validi, sternuntq; cacumina venti.

Hinc facilè prodit se communis nostræ ruinæ causa. Summus nempe rerum Artifex DEUS, pulchrum præ originali justitia, & ornatum satis, præ dotibus tam animæ, quàm corporis erexerat sibi domicilium, in quo habitaret per gratiam, primum videlicet hominem: idq; in perfectissima coordinatione partis ad partem. Et utinam rationalis illa structura, altiùs ultra normam Architecti Sapientissimi assurgere non ambijsset: utinam in momenta suæ indignitatis respectu accepti beneficij memor, in demissa abjectione mentis, & grato pectore, illud perspiculatiùs recogitasset! Nec enim etiam tùm humiliandi se, defuerant illi motiva: eò quòd noverat benè, plasmationis suæ, non cæleste & nobile quidpiam in materiam DEUM subministrâsse, sed vilem humum, & pulverem, qui vento rapitur; insuper, ut observat S. Chrysost. quòd dum cuncta quæ creaverat DEUS, laudâsset, quòd essent bona; solus homo ex sui opificis manibus, abierit non laudatus: hæc duo inquam benè illum hominem arcere poterant, ab ambitiosis cogitatibus. Sed en miser, dum

Causa primæ ruinæ, superbia.

Chrysost.

Motiva hominis primi, ad se humiliandum.

altiùs

altiùs justô erigere voluit ædificium, illectus tentatoris falsis promissis: *Eritis sicut Dij;* quæsivit & invenit, sibi, posterisq; suis miserabilem ruinam; quam saltim in ruderibus miseriarum nostrarum, etsi dolenter spectare & probare liceat.

Probatur **Scripturaliter.**

5\. *Tribus de causis ruit domus.* Ex tribus plerumq; colligitur vel oritur Domorum ruina: videlicet, ex conturbato ordine partium, vasorumq; domûs; ex collabentibus quatuor angulis seu cardinibus domûs, & ex pertuso tecto seu stillicidio. Hæc porrò tria videre est, in illa generali per peccatum, generis humani ruina. Primum, f. disordinationem, seu deordinationem maximam, quam incurrit anima ruinata in gratia; conijcio ex S. Scriptura. Observasti sine modum loquendi S. Scripturæ de peccatoribus; quòd plerumq; peccatores ab illa infami notētur epitheto, vocenturq; *Perversi;* immò pro eodē non infrequenter usurpantur hæc vocabula: *Peccator, impius, perversus.* *Perversus, in scriptura, idem quod peccator? cur?* Subodoror quoddam in ethymo mysterium. *Pervertere,* à quo derivatur *Perversus,* est benè coordinata, susq; deq; invertere, conturbare, disordinare: unde perversam, inversam, eversam dicimus domum, dum sine ullo ordine res dispositas, vasa testacea & contumeliæ, in honore, & eminùs collocata, aurea verò & pretiosa in abjecto squallere videmus. Deordinationem ergò quandam in peccatoris anima, vult significare Scriptura, dū peccatorē, perversum nūcupat.

6\. Profectò quis neget, satis comptè, providè, & ordinatè Creatoris manū, omnia in homine olim disposuisse; ita scilicet, ut rationales potentiæ priùs & principaliter attenderent DEO, quàm Creaturis; magisq; & teneriùs afficerentur Cælestibus, quàm terrenis; æternis quàm caducis: quod ex ipsa situatione cordis humani, Angelicus Doctor demonstrat; dum ita ait: Opusc; 61. de dilect: *Est cor inferiùs acutum, superiùs latum: acutum inferiùs, ut hæc temporalia, & hæc inferiora modicè tangat; superiùs latum, ut cælestia dilatet affectum.* *Thom; Cur in homine cor latum supra, infra verò acutū.* Sed jam conturbatum esse in homine hunc pulchrum ordinem, vel in nobis ipsis bene experimur; omnia quippe disordinata, susq; deq; eversa sunt, statim primo peccante homine: exiguum enim & corruptibile

pomum,

pomum, præposuit infinito DEO; amorem Uxoris, quam contristare noluit, si suasibus ejus restitisset, æternis & spiritualibus delicijs; spem vanam excellentiæ majoris, saluti æternæ, & suæ, & infinitæ planè multitudinis posterorum suorum; quos benè noverat in reatu suo includendos, & subijciendos pari secum damnationi. Similem prorsùs, imò omninò eandem videre est deordinationem, in qualibet particulari Domo, seu in anima cujusq; hominis, quoties mortaliter peccat. Avarum enim pro lucro iniquo consequendo peccantem, sic affatur S. August: in Ps: 23. *Ecce peccasti, & lucrum fecisti? Quid est, quod fecisti lucrum, vt lucrum faceres offendisti DEVM, vt augeres pecuniam, fides diminuta est, & aurum crescit. Quid perdidisti? & quid acquisivisti? quod acquisivisti aurum vocatur, quod perdidisti, fides vocatur, seu potiùs DEVS vocatur. Compara fidem, vel DEVM auro, lucra tua cogitas, damna tua non cogitas.* Idemq; S. Doctor apud Dyon: Carthus: sic definit peccatum. *Peccare est (inquit) spreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhærere. duo enim considerantur in peccato: unum quasi formale, videlicet aversio mentis à summo bono & incommutabili; & hoc est in peccato principale; aliud quasi materia, puta conversio mentis ad bonum creatum, variabile & caducum.* O infaustam rationalis Creaturæ per peccatum ruinam! ô fædam intellectualium potentiarum deordinationem! super quam DEUS, etiam irrationales Creaturas stupere voluit: dum per Prophetam ait: Jer: 2. 12. *Obstupescite Cæli super hoc, & portæ ejus desolamini: Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas.*

Quanta deordinatio in anima peccatoris.

August.

Dyon:

Quid est peccare?

Ierem:

Sed fortè inquies: Ego cùm peccare volo, voluptatē aut lucrū intēdo; non autem ut tam deordinatè putem viliorem esse DEUM voluptate illâ, aut lucro, eumq; contemnam, & ab anima mea expellam. Pulchrè ad hæc respondentem audias Didacum Stellam in c. 11. Luc: in hæc verba: *Contingit DEO, vt communi usu loquendi solemus dicere: Ego non tibi dicam, vt eas, sed illa tibi opera impendam, vt à nobis discedere gaudeas. Nam si in domo tua, & in capite mensæ Æthiopissam accumbere faceres immundam & inhonestam, & ipsa tanquam Domina sederet; Vxori verò præciperes, quæ illustris & princeps est, vt mensæ ministraret, nonne grandem huic injuriam inferres?* 7.

Did: Stell:

Excusatio peccatorum refellitur.

ferres? & jure societatem tuâ relinqueret? Hoc modo peccator cum DEO agit; suos appetitus pluris habet, quàm illum. Iste ergo distur batus rationalium potentiarum ordo, sit primum signum & vestigium ruinæ, quam facit peccatum in peccatrice anima. Sub Figura videamus alterum.

8. *Probatur* Figuraliter.

Job: 4. 18. legitur: quomodo patientissimus ille Vir, dum in acie tentationum acriùs exerceretur ad palmam, inter plures tristes nuntios, quendam cæteris tristiorem acceperit de ruina Domûs, simulq; de miserabili strage omnium filiorum, filiarumq; suarum. *Filijs tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum, in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domûs; quæ corruens, oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Narravit ille Nuntius. Adæquatissima planè offert se hic Idea, & typus illius ruinæ Domûs nostræ, quæ contigit in paradiso; ubi epulabantur quasi simul cum Protoparentibus suis, omnes filij & filiæ Adæ; utpotè omnes prævisi à DEO, & ordinati in capite suo, ad bona & delicias, quibus abundabat status ille felicissimus. Vehemens ventus irruit à Regione deserti, dum desertor ille, & rebellis DEO Angelus, tanquam alter Æolus è Stygij carceris antris reclusisset & immisisset primæ tentationis ventum; qui concussis quatuor angulis, per peccatum originale, omnes filios filiasq; Adæ, unà cum ipso oppressit. Sed sciscitari ulteriùs omninò expedit, qui nam fuerint illi quatuor anguli? Intelligo ego, ipsas potentias animæ rationalis. Intellectum, voluntatem, potentiam concupiscibilem & irascibilem; quomodocunq; illæ distinguantur inter se.

Job:

Domûs animæ quatuor anguli, quatuor facultates ejus.

9. *Primus* angulus seu cardo, cui innititur rationalis anima, est Intellectus; qui sat benè steterat in prima creatione hominis: fuit enim tanquam fax lucidissima animæ: utpotè donatus notitiâ perfectissimâ, nedum rerum naturalium, sed multarum quoq; ex supernaturalibus. Ut docent communiter Theologi, innixi illi claro testimonio S. Scripturæ. Eccli: 17. 6. *Creavit illis scientiam spiritûs, sensu implevit cor eorum, & mala, ac bona ostendit illis. &c.* agitur ibi de creatione primorum hominum. Corruit

Eccl.

ruit ergo iſte angulus, in ipſo lapſu Protoparentum, percuſſus plagâ Ignorantiæ; quæ tantò magis obfuſcat intellectum animæ, quantò quis multipliciùs perſonalibus etiam contaminat ſe peccatis: cæcutiunt enim tales ad Divina, Cæleſtia & ſalutaria, cùm tamen lynceos habeant oculos ad ea, quæ carnis ſunt & mundi: ut advertit Apoſtolus 1. Cor: 2. *Animalis autem homo, non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs DEI: ſtultitia enim ineſt illi, & non poteſt intelligere.* Et ſicut corruente primo angulo, neceſſum eſt ruere & alios; pariter hîc contigit: nam percuſsâ animâ in intellectu per ignorantiam ſeu obcæcationem, facilè nimiùm voluntas, & aliæ ſubordinatæ ipſi potentiæ, ruunt in malum, ſuiq; in perniciem; juxta illud Salvatoris effatum. Luc 6. 39. *Numquid cæcus poteſt cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadent?*

Intellectus peccatoris percutitur ignorantiâ.

Corn:

Luc.

10. *Secundus* angulus Domûs animæ, eſt voluntas, quidem ante lapſum Adæ, rectiſſima; utpotè debitè ſubordinata rationi & legi; nunc verò, etſi libertas non ſit ei totaliter ablata, valdè tamen eſt debilitata, depravata; idq; ob pronitatem ad malum, & guſtum quendam ad vetita: juxta illud. Prov: 2. 14. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Eſtq; jam voluntas noſtra, veluti homo ex lapſu confractis pedibus & manibus, reptans ſuper terram. Vulgò dicitur: Claudus plùs, & longiùs cæteris ambulat: Et iterum; Voluntas noſtra dicitur potentia ambulatoria. Miſella hæc & elumbis potentia, continuò non tam ambulat, quàm reptat; quia ſolis terrenis valdè affecta, nunc hæc, nunc illa delibat objecta; & frequenter, nunc in hanc, nunc in aliam claudicat partem; modò enim allicitur bono, & brevi iterum ab illo reſiliens, declinat in vetita & vitia: atq; ſic in ruinam deducit hominem.

Prov.

Debilitas, pronitas voluntatis ad malum, effectus peccati.

11. *Tertius* tandem, & quartus angulus animæ quo conſtituitur, eſt potentia concupiſcibilis & iraſcibilis. Quæritur inter Theologos, an iſtas potentias ſeu facultates habuiſſet homo in ſtatu innocentiæ? Quoad primam potentiam, reſpondendo affirmativè, dicunt: quòd tunc habuiſſet homo appetitum carnis ad omnia quæ ducunt ad delectationem, ſed valdè debilem & imbecillem: qui beneficio gratiæ originalis, fuiſſet factus hebes & languidus, atq; obedientiſſimus, veluti diſciplinata filia Matri

In ſtatu innocentiæ, an fuiſſet vis concupiſcibilis?

Basil. Theod. Greg. suæ. Idem similiter decidunt circa potentiam irascibilem: quam S. Basil. vocat, *Animæ nervum:* Theodoretus, *adjutricem rationis:* S. Greg: *Ministram virtutis:* Ipsius enim fuisset, contra omnia DEO, rationi, & virtuti contraria, adversa & difficilia, zelosè, & audacter se opponere. Verùm & hic quoq; duplex angulus Domûs nostræ, in lapsu Adæ, non modicùm nutavit, immò corruit: nam ambæ potentiæ istæ, duræ, efferatæ, & rebelles factæ rationi, ceu duo indomiti & effrenes equi, & seipsos, & animas, agunt in præcipitia peccatorum.

12. Hanc quatuor cardinum, seu potentiarum animæ per peccatum originale ruinam, graphicè à quodam descriptam invenio, apud Thomam Blanc: in Ps: 48. 14. hisce verbis. *Amissâ justitiâ originali, ipso casu, & justo judicio DEI, ipsæ vires, & affectiones à suo statu prolapsæ, diminutæ sunt pariter & deordinatæ, non autem omninò destructæ, sed contrario modo se habentes, quàm priùs habuerunt, sibi invicem motibus suis & impulsibus contrariantes & repugnantes. Siquidem ipsa ratio cæca facta est, erronea & obtusa, sæpe falsa pro veris recipit, frequenter se curiosis & inutilibus involvit: voluntas facta est curva, sæpè deteriora eligit, carnalia diligit, spiritualia & cælestia vilipendit. Vis concupiscibilis destituta est, & quodammodo prolapsa in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & carnales voluptates. Irascibilis verò deordinata est, & prolapsa in superbiam vitæ, & gloriam mundanam.* En quot ad intra mala, & causæ ruinarum animæ, propter peccatum: quibus adhuc accedit aliquid ab extra; scilicet à carne, quam inhabitat anima.

Omnium potentiarum animæ ruina, descripta.

Probatur **Historicè.**

13. Habemus ex Herodoto; quòd in quadam Regione Africæ, moris sit ædificare domos ex integro sale: quæ domus, sunt quidem habitantibus valdè salubres, & durabiles; eo quia in illis partibus nunquam pluit; sed aliàs, facilè à stillicidijs contabescerent & diffluerent. Porrò sal, est quid mixtum ex elemento igneo, terreo & aqueo: inde benè denotat carnem, seu corpus humanum; quod de terra est, & vita ejus ut aqua dilabitur: juxta effatum prudentissimæ Thecuitidis perorantis ad David I. Reg: 14. Hanc salis domum inhabitat rationalis anima;

Domus ex integro sale in Africa salubres.

por-

portamus enim, juxta D. Paulum, vasa lutea. Solida tamen nimis, & duratura hæc Domus animæ, corpus s. nostrum fuisset, nisi desuper stillasset illius primæ tentationis stygius imber: quia neq; caro ad aliquid vetitum animam stimulasset, nec ipsa vicissitudinibus corruptibilitatis subjecta fuisset. Nunc autem ex lapsu Adæ, Domus hæc continuò noxijs humoribus tabescit, imbreq; voluptatum diffluens, ruit & ipsa, & animam per cōsensum, suâ involvit ruinâ.

Ingeniosus quispiam inter tria damna & causas ruinæ cujusq; Domûs, numeravit quoq; Mulierem, dum dixit: Sunt tria damna domûs: Imber, mala fæmina, fumus. Benè quidem hæc tria proposito nostro se insinuant: unum nonnisi pro tunc premo: malam videlicet fæminam seu mulierem: per quam nil convenientiùs significari judico, quàm carnem, seu corpus nostrum humanum: mala profectò hæc mulier dicitur, nam semper spiritui rebellis, teste Apostolo Gal: 5. 17. *Caro concupiscit adversùs spiritum:* quæ licetsi quandoq; castigata mitescat, dum tamen deinceps eidem blandimur, immò quò magis curamus ipsius cōmoda, voluptates indulgemus, tantò insolentior evadit, turbat inordinatis motibus, stimulisq; suis inquietat domum animæ, damna parat, totamq; disponit ad ruinam. Et quod dolentiùs est, domesticum hoc malum, cogitur anima nedum pati, sed fovere atq; providè, ne deficiat, nutrire. 14. Tria damna domûs, quæ

O quoties exclamandum esset nobis illud Philippi Macedonis: qui dum castra sua in quodam loco constituere vellet, nuntiatumq; ipsi fuisset, quòd propter adaquandos asinos, in loco deesset aqua; suspirans dixisse fertur. *Heu qualis est vita nostra, qui etiam ad asinorum commodum vivere cogimur.* Ex vulgato S. Patriarchæ mei dicterio, *Caro nostra, asinus est.* Vivimus, pro commodis ejus, ne deficiat, soliciti: hic tamen asinus plerumq; incrassatus, impinguatus, nedum sordibus commaculat conscientiam nostram, sed recalcitrans quoq; stimulis suis, turbat integram domum animæ nostræ, causaq; fit non postrema ruinæ ipsius. 15. Querela S. Philippi M. de asinis. Dicterium S. P. N. Francisci.

PARS. II.

SS. MARIA, sine originali ruina.

16. Elevatus aliquando in spiritu Divinus Psaltes, præsciusq; futurorum, quandam innominatam Filiam Regis, sic allocutus est. Psal: 44. 18. *Audi filia, & inclina aurem tuam, obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.* Mellifluus Doctor putat Davidem, hunc contulisse sermonem, ad SS. V. MARIAM; quæ verè dicitur Filia, & Sponsa Regis æterni: in quo autem sensu, locutus fuerit Propheta? pateat ex interpretatione & verbis ipsius S. Doctoris: *Audivit (inquit Bernardus) & credidit, & vidit, & intellexit: inclinavit aurem suam ad obedientiam, & cor suum ad disciplinam; & oblita est populum suum, & domum Patris sui: quia nec populum suum successione, nec domûs Patris sui relinquere curavit hæredem; sed quidquid honoris in populo, quidquid de Paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucrifaceret.* hom: 3. sup: Missus. Hæc satis accommodè de obedientia, & castitate SS. MARIÆ exposuit Bernardus. Cujus interpretationi hanc quoq; aliam subjungere liceat, ex Salaz: & Escob. Patrem ergo illum, cujus oblivisci jubetur SS. MARIA, intelligamus communem Parentem nostrum Adam; Domus autem, sit ipsa universa propago filiorum & filiarum ejus; & quidem post peccatum primum, squalida & ruinosa: cujus Patris, Domûsq; ejus, utpotè involuti ipsius ruinis, nunquam non recordari valemus; altè enim inhæsit cordibus nostris lapsus ille. Uni & soli SS. MARIÆ donatum est, ut oblivisceretur populi, & domûs ruinosæ Patris sui Adæ; utpotè illa, quæ ruinis ipsius non oppressa, domum suam, scilicet, animam inconcussam, & immunem à generali illa peccati ruina conservavit. Quòd ipsum clarè constabit, partim ex diligentia perfectissimi Opificis, partim ex forma seu figura hujus Domûs.

Psal. — Bernard: — Maria oblita est Patris Adæ, & domûs suæ.

Probatur **Scripturaliter.**

17. Nemo vestrûm puto ambigit, DOMUM hanc Summi DEI, SS. videlicet MARIAM, fuisse opus communis omnium Opificis,

& Archi-

& Architecti totius universi, qui creavit in potenti verbo omnia: nec tamen quæso, existimet quispiam, hoc opus vulgare, communeq; cæteris fuisse: reclamat enim erroneo sensui devotissimus in MARIAM Idiota, sic Divam alloquendo: *Inter omnia opera æterni Opificis, post operationem illam, quâ naturæ nostræ unitus est Filius tuus, speciale, ô MARIA! fuisti opus.* Studiosiùs enim quàm in cæteris creationis operibus, se gessisse DEUM in creatione, seu Conceptione MARIÆ, colligo ex S. Scriptura. Audio namq; apud Ecclesiasticum c. 37. 15. quempiam à Spiritu moneri, hisce verbis. *Horâ surgendi, non te trices.* Græca legit. *Ne sis ultimus: præcurre autem prior in domum tuam; age conceptiones tuas; & non in delictis, & verbo superbo.* Quemnam hîc alloquatur Spiritus, si scire velimus, primò notandum est, quomodò absolvatur communis & ordinaria conceptio hominum, seu creatio animæ cujusq; hominis.

MARIA speciale DEI opus. Idiot:

Eccli.

18. Vix ultimò organizatur embrio in utero Matris, illicò nequam ille præcursor, qui circuit & perambulat universam terram, tanquam Leo, quærens quem devoret; ille (inquam) prior, seu rector tenebrarum mortis, præcurrit in domum illam, & agit ibi conceptiones nostras, sed in delictis & in verbo superbo; quia cujusq; nostrûm conceptionem peccato originali inficit. Uti de se humiliter & clarè confessus est David, Psal: 50. 6. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Cæterùm cùm jam festinabant adesse diu præstolata tempora, & hora ab æterno prævisa atq; decreta Incarnationis Filij DEI; æternus ille Pater, quasi alloquitur æternum suum Filium: Hora est jam Fili, surgendi, accingendi se operi redemptionis humani generis: horam hanc, præcurrere debet alia hora, hora nempe plantationis Domûs tuæ, s. Conceptionis Matris illius, ex cujus sanguine incarnandus, cujus Virgineo Ubere lactandus es: ideo Conceptio ipsius, tua Conceptio est: tuâ enim non parùm interest, ne qui immaculatus ipse ex me Patre ab æterno prodijsti, in tempore maculatam accipias Matrem; præcurre itaq; & age ipse Conceptionem ejus; ne videlicet fiat in delictis superbi Adæ, s. in originali noxa ex illo contrahenda. Convenit cum sensu nostro, ingeniosa super hunc locum Scripturæ inter-

Psal:

MARIAE Conceptionem sollicitè DEUS curavit.

interpretatio nonnullorum sat eruditorum Commentatorum; præsertim Celadæ de Judith figurata, c. 13. 107. & nostri Michaelis Viven: in Tertulliano Conc: 1. de MARIA: Ex quorum altero, aliqua hic depromo verba: *Præcurre prior in domum tuam, age conceptiones tuas: id est, in primo Marianæ Conceptionis momento, in primo ortûs auspicio, exprompte esto expeditus, & avertens pervigilem peccati solertiam: Præcurre prior in DOMVM tuam s. in Virginem, cujus uterum elegisti in DOMVM, in qua habitare dignatus es: & age Conceptiones tuas, s. Conceptionem Matris; & inde Conceptionem tuam. Nam si dignè agis Conceptionem Matris, illam gratiæ privilegio nobilitans, & eximens ab infami primordialis delicti reatu, præclaram ages MARIÆ Conceptionem, & simul Conceptionem tuam: ex pura enim, & gloriosa tuæ Matris Conceptione, gloriosè nobilitatur Conceptio tua; quæ ex Materna Conceptione censetur.* Tam energico itaq; æterni Patris monito, excitatam fuisse insignem pietatem Filij in Matrem, quis dubitabit? ut ocyus accelerasset, & DOMUM suam, Matrem s. dulcissimam, contra communem filiorum Adæ ruinam, excessivo Passionis suæ merito, validè juvisset, ab illaq; præservasset.

Celad.

Puritas Conceptionis Christi, pendet à puritate Conceptionis MARIAE.

19. Insinuat se iterum ex S. Scriptura, novum extraordinariæ solicitudinis in plantatione seu Creatione hujus Almæ DEIficæq; DOMûs, à Summo Opifice adhibitæ argumentum; idq; apud eundem Ecclesiasticum: 1. 9. Ubi de Creatione seu Conceptione MARIÆ, hæc a Sapiente annotata lego: *Ipse (inquit) creavit eam in spiritu, & vidit, & dinumeravit, & mensus est.* Hæc in sensu accommodativo, de SS. MARIA multi interpretantur Scriptores. Mirùm sanè quid: ædificanda erat illa magnifica, æternumq; duratura supernæ Jerusalem Domus aut Civitas, uni solummodo Angelo committitur structuræ illius delineatio ac dimensio; quem Zacharias, & Apocalypticus Propheta, viderant cum mensura arundinea; in manu, ut metiretur Jerusalem. cùm verò Almæ Filij DEI DOMûs s. Matris JESU fundamenta ponerentur; ipse DEUS creâsse illam dicitur, atq; metiri quàm diligentissimè: etenim ad perfectos numeros. *Dinumeravit, & mensus est eam.* quod advertenter vidit in spiritu, & opportunè notavit Sapiens. Argumenta hæc sunt satis convin-

Eccli.

Conceptio MARIAE in mensura & numero. cur? & quomodo?

convincentia & demonſtrantia, quòd in Conceptione ſeu Creatione SS. MARIÆ, quaſi exquiſitiùs quàm alibi ſe geſſerit Summus Opifex DEUS; ut, ad omnes infinitæ potentiæ ſuæ ita poſſibilitatumq; numeros reductis calculis, Alma hæc Unigeniti ejus DOMUS, Mater JESU MARIA, quàm perfectiſſimè fundata, nulliq; etiam originali ſubjecta ruinæ, ſtatim in plantatione ſeu Conceptione ſua appareret. Sed creſcet brevi Almæ hujus DOMÛS, contra ruinam originalis culpæ robur, etiam ex firmitate ſtructuræ.

Probatur

Figuraliter.

Duo plerumq; commendant, & promittunt duraturam ſine ruina Domum: firmitas ſ. parietum ſeu cardinum, & tectum contra ſtillicidia benè proviſum. Taliter ego ædificatam ſtatim in ſui plantatione ſeu Conceptione, colligo fuiſſe Almam DOMUM Filij DEI, SS. ſ. MARIAM; idq; ex illa Antitypica Domo Sapientiæ; quam ſic delineavit Rex ille ſapientiſſimus Salomon, Prov: 9. 1. *Sapientia ædificavit ſibi Domum; excidit columnas ſeptem.* Et quis putatis nutabit cardo vel paries Domûs, tot ſuffultæ columnis? Porrò ex mente S. Auguſt: l. 5. de Civit: c. 20. Item S. Bernardi Serm: 9. in parvis. Athanaſ: Ambroſ: Hieron: Ildeph: Domus hæc, quam Sapientia ſ. æternus DEUS, ſubſtruxit, eſt SS. MARIA. De ſeptem verò columnis hujus DOMÛS, etſi omnes commendabiliter in laudem Virginis, multifariè tamen ſentiunt, eaſq; interpretantur. S. Bernardus coagmentat ipſas ex tribus reſpectibus ad tres Perſonas SS. TRINITATIS, & ſimul ex quatuor cardinalibus virtutibus, fortitudine, temperantia, juſtitia, & prudentia; quæ eminebant in Beatiſſima Virgine. Hugo verò Cardinalis, alias ſeptem virtutes, quibus illa excelluit, pro columnis hujus ſubſtituit Domûs; quas hoc Diſticho eſt complexus,

20. Domus tria requirit, ne ruat.

Prov:

Aug: Bernard. Athan: Ambr: Ildeph:

Hugo Domûs MARIAE, ſeptem columnæ, quæ ſint?

Caſta, tacens, reſidens, operans, humilis, pia, prudens.
Hoc ſeptiformi munere, Virgo micat.

Cæterùm opportunior ad rem noſtram videtur eſſe ſenſus doctiſſimi Idiotæ; qui per ſeptem haſce Columnas interpretatur ſeptem dona Spiritûs S. Hæc autem ſeptem dona, ſtatim in 21.

prima sui Conceptione, Virgini infusa fuisse, asserit, & solidè tuetur Franc: Suarez 3. p. 27. 27. a. 3. ad 4. Sect: 2. Quod si ita est; quis sanæ mentis cogitare poterit, DOMUM hanc, SS. s. MARIAM, tot tamq; validis jam in Conceptione sua, Spiritûs S. suffultam Columnis, pro tunc vel minimùm nutasse, aut in originalem declinasse ruinam: imò stante incompossibilitate plenitudinis gratiæ cum reatu peccati, quisq; in hac suppositione fateri necessum habebit, DOMUM istam statim à primo instanti ædificatam fundatamq; fuisse in perfecta sanctitate atq; gratia. Consequentiam hanc pulchrè confirmant verba Idiotæ, in citatum locum Scripturæ. *Ideo Te (inquit ille ad MARIAM) gloriosissimam Virginem, ædificavit sibi in DOMUM solidam, & fortem, quæ nullò modo vacillare posset: ideò excidit Columnas septem, ad Te fortiter & sublimiter sustentandam. Septem Columnæ quibus firma semper stetisti; sunt septem dona Spiritûs S. quæ requieverunt in Te, & nunquam Te deserverunt; per quæ stetisti firmiter & perseveranter in omni gratia & virtute.*

Incompossibilitas peccati, cum plenitudine gratiæ.

Idiot.

22. Columnas Domûs habemus, tectum quoq; qualiter ipsi provisum, videamus. Salazar hîc, notat Columnas in domibus & cænaculis erigi solitum fuisse, nedum propter firmitatem ædificij, sed præterea ut expansa vela seu cortinæ desuper pendentes à columnis, essent immediatum triclinij tegumentum; ne quid sordium in mensam decideret. Quod verè præstitit SS. TRINITAS in MARIA, juxta illud Luc. 1. *Spiritus S. superveniet in Te, & virtus Altissimi obumbrabit Tibi.* Quorsum enim? Respondet idem Salazar: *Sanè ne in conceptum illum, nihil sordidum, nihil impurum incideret.* Quod ipsum, nedum de conceptu activo Filij DEI, dum in utero ipsius incarnaretur, intelligendum, sed etiam de conceptu passivo ipsiusmet SS. Virginis, in Utero dignissimæ Matris suæ Annæ, meritò ex illis verbis Nuntij Cælestis colligi posse, opinatur quidam Doctus; apud Julianum, fol: 134. dum ita ait: *Bene dixit: Spiritus S. superveniet in Te: quoniam priùs jam venerat Spiritus S. super Virginem, adhuc in Utero Matris existentem, eam ab originali præservando.*

Salaz.

Columnæ in triclinijs ad quid?

Luc.

Salaz.

Conceptionem Immac: MARIAE, probat superveniens Spiritus S.

Et quidem, ipsius etiam DEI non parùm intererat, ut Almæ huic

23.

huic DOMUI, quæ Filio DEI destinabatur in hospitiũ, gratiæ præservantis eam ab omni peccato, in ipsius Conceptione, provideretur tectum. Si etenim vel minima gutta primordialis culpæ stillasset in MARIAM, profectò minùs commodum, minúsq; dignum tanto Hospite, uterus ipsius, fuisset hospitium; dedecus enim quoddam, ignominia, & probrum stillasset in ipsum caput, s. in Nativitatem tam Magni Hospitis, in maculatæ Matris Utero aliquando hospitasse: cùm dicat Ecclesiasticus, c. 13. *Gloria hominis ex honore Patris sui*, & per oppositum, *Contumelia Patris, non est homini gloria.* Cui plurimùm suffragantur illa verba S. Hieronymi, quæ Guilelmus Pip: apud Salazar c. 42. citat: *Nullum (inquit) dubium est, de Matre Domini, quin talis debuerit esse, quæ de peccato redargui non posset; cùm hoc ad improperium Filij sui fuisset.* Cum itaq; luculenter probatum sit, Almam hanc Magni Hospitis DOMUM in sui fundatione, ex parte Summi Opificis, ex alijsq; circumstantijs structuræ, optimè provisam, ædificatamq; fuisse; meritò fatendum est SS. MARIAM in sua Conceptione nec minimùm nutasse, sed fuisse DOMUM sine ruina peccati originalis.

Dedecus esset Christi, Mater maculata.

Eccli

Hieron.

Probatur

Doctoraliter.

Ex Authoritatibus Patrum; qui DOMUM hanc, & Hospitium Filij DEI, SS. MARIAM tuentur contra ruinam originalis peccati: Existimo principaliorem & cæteris evidentiorem illam S. Bernardi paulò supra à me adductam, & per extensum positam. Huic tamen accedunt non parvo numero cæteri Patres. 24.

S. Ambros: apud Salazar c. 42. sic ait: *A Sanctis Angelis, ita de Virgine cautum fuit ab initio, ne præparatum æterno Regi Hospitium, alienus hospes ingrederetur.*

S. Joan: Damasc: in Paracl. *B. V. MARIA, fuit DOMUS Domini, purissimè compacta.*

S. Ansel: hymn: 1. B. Virg. *Hæc est DOMUS Domini, in qua porta Orientalis (s. Ortus seu Conceptio) clausa semper esse perhibetur.*

S. Thom: à Villa Nova, Con: 3. de Nat: B. V. *MARIA, DOMUS Sapientiæ Divinæ, sine omni fomite peccati formata.*

S Leo Ser: 2. de Nat: Salvatoris. *Oportuit, ut primam Genitricis in-*

cis integritatem, nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis Hospitium, Divini Spiritûs virtus infusa servaret: quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare.

PetrusComestor versans illa verba: *Ipse fundavit eam Altissimus:* sic ratiocinatur: *Ipse, non alius, non vetus Adam, sed novus novum jecit fundamentum; super quod tàm præclarum, tàm insigne surgeret ædificium: alioquin, si veteris ruinæ mansêre vestigia, si veteri superædificatum est aliquid; vetus Adam, non ipse fundavit eam Altissimus.*

Proton: Presbyt: *Verè magna DOMUS, pulchra & altissima; Septiformis Spiritus, in eadem DOMO habitat plenariè, quietissimè, nunquam ibi passus, offensam alicujus culpæ.*

Unde benè concludit Hesichius: ideò SS. MARIAM factam esse dignum totius etiam SS. TRINITATIS Hospitium, quia fuit benè præcustodita à peccati ruina. Taliter enim ipsam alloquitur, Orat: 2. de DEIpara. *Quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni sorde liberum conservasti, & Pater hospitatur apud Te, & Spiritus S. obumbrat, & assumptâ carne, Unigenitus ex Te nascitur.*

Probatur **Miraculosè.**

25. Anno Dñi 1665. (ut refert Lohner in Bibliot: Manual: in append: Historiarum Tom: 3. f. 541.) contigit quadam die in Hispania ad Vesperam, quòd immani exortâ tempestate aëris, furentibus ventis, totoq; conturbato Cælo, inter varia fulmina, deciduasq; grandines, è cælo cecidit lapis, adeo micans, ut plures alliceret ad videndum & explorandum; in quo reperti sunt characteres, & literæ incisæ, hoc sensu. *Salve MARIA Virgo & Mater DEI, concepta sine peccato originali.* Quem putas pie Lector, hujus miraculi finem intentum à DEO? Nutabat fortè tum adhuc in aliquorum Hispanorum (qui nunc jam hoc in puncto cæteris reperiuntur zelosiores) cordibus, DOMUS hæc nostra, s. Immaculata Conceptio MARIÆ, aliquid originalis ruinæ sibi de illa imaginantium: ergò ut tantò meliùs firmaretur in ipsis, hujus gratiosissimi Mysterij credulitas, & devotio, nova fulcra, noviq; pro stabilienda pia de Immaculato Ortu MARIÆ opinione, ex ipso cælo demittuntur lapides: non jam

Lapis cum testimonio Imm: Conceptionis.

jam de pariete (ut ille quidam apud Prophetam Habac, 2. 11. fecisse legitur) clamantes; sed cælesti celte, Angelicoq; scalpro sibi impressum, authenticum Immaculati Ortûs MARIÆ, de cælo deportantes testimonium. Arcanum hoc prædicti miraculi, prodidit quispiam ex Nostris Co Amicis Clientibusq; MARIÆ, bino Jambico: *Habac.*

Conceptionem labis expertem negas.
Cælestis edocet lapis, quod ambigis.

Probatur

Scholasticè.

THEOL: Pro tuenda immunitate ab omni peccati ruina Domûs MARIAnæ, prodit primò ex Scholis Theologus, cum cornuto suo argumento: atq; sic ait: Aut CHRISTUS ut DEUS, potuit DOMUM hanc, s. Matrem suam futuram, præservare à ruina seu peccato originali; aut non potuit? Si non potuit. Ergò fuit invalidus, & imbellis: utpotè ille, qui cùm sufficiens esset ad tollenda innumera hominum peccata actualia, quod majus est; non esset sufficiens ad impediendum unum peccatum in una Persona; quod minùs est. Si verò potuit: tunc duo sequuntur; s. aut quòd invidus, vel ingratus esset Filius Matri suæ; ipsi cùm bene posset, in plusquam extrema necessitate, non succurrendo: hoc autem nec imaginari licet de CHRISTO. aut sequitur, quòd id voluerit, & defacto fecerit illud. Nam secundùm SS. Patres, circa Beatissimam Virginem, usus est DEUS omnitudine Potentiæ suæ. Unde appositè Ven: Beda. *O Beatissima! in Te sola Rex ille dives, & prædives exinanitus est.* 26.

Dilemma probans Immaculatam Conc: MARIAE.

Omnitudine potentiæ suæ, egit Deus circa MARIAM, Beda.

ETHIC: Inter centum Aphorismos Ethicos seu OEconomicos, quos annotavit Philosophus Hermes dictus, reperio talem: *Dum (inquit) Luna erit in Meridionali descendens, ne incipias fabricare; citò enim talis fabrica diruetur.* Luna perfecta, receptissimum apud SS. Scriptores est Symbolum B. V. MARIÆ, juxta illud Cant: 6 9. *Pulchra ut Luna.* Hæc fabricata est, nedum sub Luna, sed etiam ut Luna; de quo Divinus Psaltes, Ps: 73. *Tu fabricatus es auroram & Solem, Lunam & Stellas, quæ fundasti ea.* Initia istius fabricæ, s. Conceptio ejus in Utero SS. ANNÆ, 27.

Cant. *Psal.*

sub quo Astrorum situ ponerentur? Cælestes ephemerides, quæso diligentiùs observes. Non in Mense Novembri, sub Scorpionis signo, sed in Mense Decembri sub signo Sagittarij, posuit fabricæ hujus fundamenta Altissimus; idq; non sine grandi mysterio. Studuit enim Cælestis Architectus tantæ DOMÛS firmitati: & ideo sub halitu Scorpionis illius, seu alias Serpentis meridionalis, Deceptoris Paradisi, minimè prima fundamenta ipsius jacere voluit; ne sic sub meridionali fundata signo, de prima statim periclitaretur ruina. Imo potiùs sub fortunatiori Sagittarij Astro eam fundari, seu concipi destinavit; in signum, nec tum defuisse ipsi Sagittam electam prævenientis gratiæ; quâ hostium incursiones arceret: ut sic in securo firmiora DOMÛS istius ponerentur fundamenta.

Cur MARIA in Decembri Concepta.

28. SYMBOL: Nonnemo ingeniosus simulq; devotus in cultu MARIAni innocui Ortûs, depinxerat in tabula auream, cultissimam, & ornatissimam undequàq; Domum, tetrumq; quendam Genium, curiosè scrutantem abdita Domûs illius: datis pro Emblemate, quasi desuper cujusdam inclamantis contra Genium verbis: *Non sis curiosus in aliena DOMO.* Per DOMUM illam bene ornatam, designare voluit SS. MARIAM: quæ in Litanijs Lauretanis, *DOMUS Aurea* nuncupatur. Teter autem ille Genius repræsentabat, primum illum curiosum scrutatorem alienorum, Sathanam; cujus curiositatem liquidè, probat, illa in prima cum hominibus conferentia, mota ab ipso quæstio: *Cur præcepit vobis DEUS?* Importunissimus ergò curiosus iste, scrutatur cunctorum hominum domos; & jure, quia propter originale peccatum, proprias; proptereaq; in omnibus ipsis, insultabundus fœdam spectat ruinam; utpotè illius ipse pessimus Author, a DOMO tamen MARIÆ procul abesse cogitur curiosus iste; & meritò, quia aliena est; nam ipsius DEI & CHRISTI ejus: & si totas impenderet vires malus iste Scrutator, ut quidpiam in ea ruinosi advertere posset, illud minimè inveniret. Scriptum etenim est. Psal: 10. 15. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.*

Curiosi vituperium.

In MARIA quæri, non tamen inveniri quit peccatum.

Psal:

POES: Hospite digna DEO, Christi dignissima MATER:
29. Non tibi cum nobis, ulla ruina fuit.

Ille profanatas æternùm respuit ædes.
Non sinit, ut teneat cum Styge quippe lares.
Nec minimùm nutas; nam gratia condidit in Te
Hanc sibi, quam nescit crimen & ira, DOMUM.

Item.

Regia Regis erat, septem suffulta columnis:
Siccine nutavit? dum ruit omnis homo.
Montibus in sanctis cùi fundamenta locata;
Quomodo par Adæ, succubuisse valet?
PROG: *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.* 30.
ANAG: En micat almè ignita, pura DOMUS aurea.
I, ô casta, TEMPLUM ignarum ruinæ Adæ.
Regia DOMUS mica, inventa pura & alma.
Nudè eam cano, Regiam puritatis AULAM.

Probatur Historicè.

Inter præclariora notissimi cuiq;, illius Universi Orbis Domitoris Alexandri Magni gesta, quid singulare apud Historicos lego: videlicet, quod debellatâ totâ, aliàs bellis & triumphis, cæteris Regnis clariore Græciâ; cùm duæ nonnisi Civitates, Ephesum s. & Thebæ ei resisterent, easq; propterea igne & ferro vastandas statuisset; duas solummodò in ipsis à communi mulcta, Regio suo edicto excepit domos: unam Ephesi, Templum s. Dianæ Deæ; & alteram Thebis, s. Domum Pindari, eximij illius ævi Poëtæ: primam ideò; quòd postibus Fani illius, inscriptum legeretur: *Puritas destructioni non est obnoxia:* alteram verò, quia (inquiebat ille) tantam doctrinam, igne & fumo obscurari non decet. 31.

Alexander M. cur parcit Templo Dianæ, & Pindari Domui?

Certum est, immò Dogma Fidei Orthodoxæ, SS. MARIAM esse Triclinium, immò Templum, non fabulosæ pulchritudinis Deæ, sed Sapientiæ æternæ, Filij DEI; cujus pulchritudo, est Figura substantiæ Patris, & Speculum sine macula. Item certum est, ipsam esse Almam DOMUM æterni VERBI, quod, pro domo, nostra id est salute, non tantùm egit in Cruce, agitq; nunc facundum Oratorem in Cælo: attestante Joanne. I. Joan: 2. 32.

Ioan:

Advo-

Advocatum habemus apud Patrem JESVM Christum justum. Sed absolvit quoq; ingeniosum in versibus Poëtam; dum versam vel potiùs eversam vicem mortalium videns, è Summo Cælo versùs terram, passus pedesq; composuit. *Exultavit ut gygas ad currendam viam; à summo Cælo egressio ejus.* inquit de illo David: Et per Incarnationem quasi scandere versus cæpit: ut notat Gregorius Papa hom: 29. *De Cælo in Uterum, ex Utero in Præsepe, de Præsepe in Crucem, &c* Ergonè dabitur ambigendi locus? quòd Domus tam excelsi Oratoris & Poëtæ, DOMUS pulchritudinis eximiæ, SS. JESU Mater MARIA, Decreto & prævisis meritis gloriosi Triumphatoris Filij sui JESU, adeò privilegiata extiterit; ut ne dum ulli ruinæ subesse, sed nec fumo, vel umbrâ peccati Protoparentum obfuscari potuerit? Adstipulatur enim huic Chrysyp: Presb: hom: 2. de laud: Virg: ita scribens de MARIA: *Hæc Adamum comminatione liberavit, audaciam Draconis abscidit; quam concupiscentiæ fumus non attigit.*

Christus Dominus Orator & Versificator. — Greg. — Chrysyp.

EPILOGUS.

33. Inter alia pientissimi Regis Davidis desiderabilia, quæ valedicturus mundo, sanctè ordinaverat, invenio magnum ipsius zelum pro Domo DEI; à quo cordis viscera exedi olim fatebatur; inquiens Psal: 68. 12. *Zelus Domûs tuæ, comedit me.* Nam in suis testamentarijs codicillis, reductis ad calculum omnibus impensis, & penè innumerabili congerie auri & argenti, aliorumq; præparamentorum, pro Domo DEI ædificanda, talia pro colophone addidit. *DOMUS, quam ædificari volo, talis esse debet; ut in cunctis regionibus nominetur.* 1. Paral: 22. Laudatissimus planè iste pij senecionis zelus fuit, insignisq; meriti apud DEUM, ut vel ideò Familiam ipsius specialiter adoptaverit sibi DEUS, Regnumq; ejus firmaverit in æternum: sic enim de filio ipsius, allocutus est eum Dominus. *Ipse ædificabit domum nomini meo, & ipse mihi erit in filium, & ego ero illi in Patrem; firmabo super illum solium Regni ejus super Israel in æternum.* 1. Par: 22. Vide quanti meriti sit, zelare pro Domo DEI.

Psal. — Paral. — Zelus domûs DEI, firmat Regna.

Profectò DOMUS illa, antypon fuit DOMûs nostræ, quam hactenus probavimus fuisse sine ruina; SS. videlicet MARIÆ

sine

sine labe Conceptæ. O felices animas! ô fortunatissima Regina! adeoq; Civitates, & Oppida, locaq; alia! quæ zelant pro hac DOMO s. pro Immaculato Ortu MARIÆ: talium enim Regnorum, Regumq; firmantur Solia, crescitq; dominatus. Inter quæ felicem te dixero ô Polonia nostra! vel saltim exinde, quòd enim propè jam à centum annis, tot gravissimorum bellorum, ut plurimùm intestinorum quassata impetibus, nullisq; exoticis subsidijs suffulta, ultimò non corrueris, nec fortè (ut piè speramus) ruitura sis: vel ideo factum puto, aut fiendum spero; quia cæteris Catholicorum Regnis, in cultu Immaculatæ Conceptionis SS. MARIÆ vel religiosior es, vel saltim non impar. Felices insuper illorum dico animas, quorum corda, pius iste pro hac DOMO DEI depascitur zelus: has enim ipse Cælestis Pater in genuinos adoptat filias, ipsisq; opitulatur. Utinam ergo Sanctissimus iste zelus comedat viscera quoq; nostra; zelemus acriter pro tuenda hac DOMO ab omni ruina, s. SS. MARIA ab omni labe. Et quia nec domi nostræ securi esse possumus; semel enim per peccatū Adæ ruinata, etiam seipsâ dehiscit, & continuis subjecta est casibus: Ad Te ô dignissima, & gloriosissima DOMUS DEI SS. MARIA sine labe Concepta, Refugium nostrum; Tu ergò, in qua nulla ruina est, aut fuit, labantes sustenta; ne fortè, (quòd orabat olìm Esther c. 14.) *rideant inimici nostri ad ruinam nostram:* ut tantò liberiori mente, devotioneq; hilari, sub asylo tectoq; DOMûs tuæ securè manentes, perdulce illud, & hîc, & in æternitate occinamus triumphale Epinicion.

Polonia stat, ob zelum pro Immacc. Conceptione B. V. M.

Votum Authoris.

Io! vivat Sanctissimæ DEIparæ Immaculata Conceptio.





E V A,
ſine Væ,
SS. Virgo MARIA,
ſine labe Concepta.

Joſeph Virum MARIÆ, de qua natus eſt JESVS. Matt: I.
Mutans Evæ nomen. Hymn: Brev:

I. SI tabulas Genethliacas CHRISTI & MARIÆ, quas producunt Sacri Evangeliſtæ, Matthæus & Lucas diligentiùs revidere, ſibiq; ad invicem confrontare velimus, diſſonantiam aliquam in recenſendo fortè quiſpiam imaginabitur, & accuſabit. N.N. Divus quippe Matthæus, exorſus nonniſi ab Abraham, deſcendit uſq; ad Joſeph Virum MARIÆ: Lucas autem ab ipſo JESU, Filio MARIÆ initio ſumpto, aſcendit uſq; ad Protoparentem Adam; qui fuit DEI. Luc: 3. 23. Sed non deeſt apud Commentatores S. Scripturæ, multiplex modus conciliandi benè utriuſq; Evangeliſtæ genealogicam iſtam enarrationem. Cur autem S. Lucas incipiendo à CHRISTO, attigerit uſq; ad Adam ſeriem Genealogiæ CHRISTI? S. Ambroſ: id factum putat ideò, ut ille vetus Adam, tanquàm Figura, præcederet novum Adam ſ. CHRISTUM: verba Doctoris pono: *Jam de ipſo Adam, qui juxta Apoſtolum figuram accepit CHRISTI, quid pulchriùs convenire potuit, quàm ut Sacroſancta generatio à DEI Filio inciperet, & uſq; ad Filium DEI deduceretur: creatuſq; præcederet in figura, ut natus in veritate ſequeretur: ad imaginem DEI factus præiret, propter quod imago DEI deſcenderet.* Hinc

Luc:

Ambroſ:

Cur & quomodo Adam recenſetur in Genealogia Christi?

Hinc rursus pulsat animum nova Quæstio. Si etenim genealogia MARIÆ eadem est, quæ & Genealogia CHRISTI, utpotè Filii ejus: & juxta nonnullos Patres, Eva illa, prima omnium Mater, fuit quoq; Figura SS. MARIÆ: sicut fuit primus Adam, figura Christi: cur itaq; S. Lucas, qui (ut observat Cornel: à lap:) specialiter attendebat explicandæ Lineæ, per quam descendebat MARIA Mater JESU, non meminerit EVÆ; ut illa quoq; præcederet tanquam figura MARIÆ? Nec me solvit illud, quòd apud Hebrǫos moris non fuerit, fæminas in tabulis Genethliacis recensere; nam tam Ruth, quàm Bethsabeæ, saltim insinuativè meminit Matthæus: cur ergò non etiam EVÆ; utpotè primæ omnium Matris? Pius profectò in immaculatum Ortum SS. MARIÆ affectus, novum in hoc non abs re subodoratur, & suggerit mihi mysterium. 2.

Lucas Evangelista Cancellarius MARIAE.

Evæ nomen non est in Evangelio, cur?

Hodiernus festivus dies, dies est primi Ortûs, novæ, ut ita dicam, EVÆ SS. MARIÆ, sed in toto ex adverso æmulæ, prioris illius, & veteris EVÆ: sic enim alloquitur ipsam S. Damasc: Orat: de Nativ: V. *O digna DEO Filia, humanæ naturæ venustas, primigenæ Matris correctio!* EVA itaq; nova hodiè oritur in Utero Matris, ut per illud salutiferum Angelicum *Ave*, tollat obliteretq; illud infame nomen EVÆ, plenum multiplici Væ. Quod ipsum innuit Ecclesia in suo Hymno cantans de MARIA. *Sumens illud Ave, Gabrielis ore. Funda nos in pace. Mutans Evæ nomen.* Idemq; observarunt SS. Patres. S. August: ait. *Convenienter in EVA reversatum est Ave; quia vertendo EVA, sonat Ave.* Et S. Alb: M. sup: Missus c. 54. per Anthitesim rem nostram illustrat. *Ista (inquit) s. SS. MARIA, Mater misericordiæ, illa miseriæ Mater; illa principium mortalitatis, ista principium regenerationis; illa gratiam perdidit, ista gratiam invenit: & mutavit EVÆ nomen, non voce, sed re.* 3.

Damasc.

MARIA quomodo mutac Evæ nomen.

August.

Albert.

Verbo dicam. Quia EVA illa prima, utpotè principium originalis lapsûs, vel ipso nomine, lugubre secum importabat Væ, minùs certè congruum fuisset hodiernæ festivitati, Immac: Conceptionis MARIÆ, si in Evangelio, quod pro summa apotheosi hodierni Mysterij, universalis Ecclesia assumit, nominaretur, cum suo Væ, Mater nostra communis EVA: utq; sic manifestiùs 4.

 pate-

pateret SS. MARIAM hodie Conceptam, esse novam EVAM, quia sine Væ originalis peccati, ortam: quod ipsum luculentiùs per consuetos probationum modos demonstraturus, præmittam moralem discursum, de multiplici & miserabili Væ, quod secum importat peccatum in animam. Nunc rythmicè salutemus Immaculatam Neo-Conceptam.

Propositio.

Salve nova EVA, Mater. Viventium, beata ter.
EVÆ nomen convertisti, Dum ad Ave credidisti.

PARS I.

De multiplici Væ peccatorum.

5. PÆdagogus Christianus P. I. c. 2. tradit de S. Thoma Aquinate, Angelico Doctore; hunc Sanctissimum Virum, utpotè optimè gnarum malorum omnium, quæ importat peccatum, in animam cujusq; iniquè agentis, & miseriarum, quibus eodem instanti subijcitur homo, dum peccat; non rarò cum dolenti suspirio dixisse: Non se satis mirari, quomodo homo conscius sui peccati, atq; adeo sciens se esse reum damnationis æternæ, ridere, hilarisq; esse possit. Ea tamen est hominum vesania, ut mala ista vel nō videant, vel parùm, aut nihili æstimātes, lætentur & exultent in rebus pessimis; ducantq; in bonis dies suos, in brevi licet, & in puncto descensuri in gehennam, lugubre illud infernale intonaturi væ, totâ æternitate continuandum. Ut itaq; malè sanæ mentes tempestivè meliùs sapiant, damna ista, seu Væ multiplex, vesaniamq; cordis sui videant.

Mirum, reum peccati, posse ridere.

Probatur Scripturaliter.

6. Altivolans illa mystica Aquila S. Joannes, in suis Apocalypticis visionibus, vidit & assecutus est alteram quandam Aquilam, volantem per medium Cælum; vocesq; taliter clamantis audivit: *Væ, Væ, Væ, habitantibus in terra.* Apoc: 8. 13. Tremendum est apud SS. Patres, hujus termini *Væ* significatum: est etemim ista vox extremè afflictorum, & implacabiliter lugentium; imò ordinariæ damnatorum & continuæ Næniæ: tantòq; magis horrenda hæc vox, dum multiplicatur. Væ, Væ, Væ.

Væ vocis, significatio.

Væ. Quosnam autem illud maledictionis Decretum comprehenderet? clarum est ex ipso Textu: dum dicitur: *Væ, Væ, Væ, habitantibus in terra:* per terram etenim denotantur terreni homines, terræ amatores, s. peccatores: simulq; innuitur, quomodo triplici Væ subijcit, subjecitq; eosdem peccatum; præsertim primum illud, quo omnes in Adam peccavimus.

Porrò ter ingeminatum illud in Apocalypsi Væ, juxta S. Bernardinum Sen: ap: Escobar de Conc: l. 4. f. 240. significat triplex malum s. culpam originalem, culpam actualem, & pœnam damnationis æternæ. Ideò autem hæc tria mala, designantur in S. Scriptura per Væ, quia sicut Væ, compendium & multitudinem significat malorum; ita tria hæc, & singillatim unumquodq;, causæ sunt homini multiplicium damnorum. Et quidem primum illud Væ, s. originalem culpam, nedum causam, sed fontem etiam malorum meritò dixero: fœtus enim ejus genuinus est, amissio originalis justitiæ, vitæq; immortalis, quoad animam & corpus: quæ innocentia, etsi nobis in parte restituatur, dum animæ in Baptismo infunditur gratia; manent tamen in nobis secundum, & tertium Væ: videlicet miseriæ animæ; qualis est Ignorantia, Fragilitas, Concupiscentia, & Malitia: nec satis est; manent præterea miseriæ corporis s. mors cum prologumenis suis: hoc est infirmitatibus, & molestijs. juxta illud Gen: 3. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Et. *In quacunq; die comederetis, moriemini.* 2. 17. 7.

Bernar. Sen.

Triplex Væ, triplicem pœnam significat.

Gen.

8. Secundum Væ actualis culpæ, pariter in tria Væ multiplicatur: Væ etenim est actualiter, mortaliter peccanti; primò propter amissionem gratiæ DEI, & acquisitionem odij sui Creatoris. ut dicitur Sap: 14. 9. *Odio est DEO impius, & impietas ejus.* Unde per Prophetam ait Dominus. Oseæ 9. 12. *Væ eis, cum recessero ab eis.* Secundò, Væ peccanti, propter amissionem omnium præteritorum suorum meritorum. Ezech: 18. 24. *Si averterit se justus à justitia sua, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Væ tandem tertiò, peccanti, ob impotentiam iterum meritoriè operandi. Ipso edocente per similitudinem Salvatore. Joan: 15. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.*

Sap.

Ose.

Ezech.

Tria mala ex culpa actuali.

Joan.

9. Tertium deniq; Væ, s. reatus damnationis æternæ, hoc etiam & quidem præcipuè, tria alia Væ includit: de quo sic scribit Hugo Card: *Triplex Væ erit malis; Væ animæ, Væ corpori, Væ conjuncto: iterum triplex Væ, propter pœnarum multitudinem, quæ erit in inferno, vel inseparabilitatem, vel universalitatem: triplex Væ, vel propter pœnam damni, & pœnam sensûs, & pœnam mali consortij.* Apoc: 11. 14. dicitur. *Væ secundum abijt, & ecce Væ tertium, veniet citò.* Ita planè; transeunt quidem primum & secundum Væ, tertium tamen infallibiliter veniet, & quidem citò. Cultiori usu loquendi, Latini res prosperas. v.g. honores, divitias, voluptates, vocant res secundas: istis plerumq; secundis rebus S. Scriptura adjungit Væ. *Væ qui opulenti estis in Sion.* Amos 6. 1. *Væ vobis, qui saturati estis: Væ vobis, qui ridetis.* Luc: 6. 25. Væ secundum ergo transit; res etenim secundæ, honores, voluptates, divitiæ transeunt & ocyus migrant, cum suis delectationibus: nam momentaneum est, quod delectat: sed subitò instat & succedit ipsis tertium Væ; de quo non dicitur ampliùs in Scriptura, quod transibit, sicut transiêre duo priora: itaq; in æternum illud manebit. Veniet autem citò; quia statim post consensum in peccatum, manet in homine obligatio, ad illas multiplices æternasq; in inferno pœnas. Veniet citò; nam ut dicitur. Prov: 2. 14. de peccatoribus: *Lætantur cum malè fecerint, --- ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad gehennam descendunt.* Et S. Bernard: *Sicut fulgur tonitrua parat, ita prosperitas supplicia sempiterna parat.*

Hugo. Væ multiplex damnatorum.

Amos. *Luc.*

Res prosperæ cur dicantur res secundæ?

Prov.

10. Et quidem de hac cujusq; peccatoris obligatione ad pœnas æternas, S. Petrus innuit, redarguendo Simonem Magum. Act: 8. *In felle (inquit) amaritudinis, & obligatione iniquitatis, video te esse.* Unde est, quòd quilibet peccator, determinando se ad mortaliter peccandum, quamvis non ore, re tamen ipsâ in corde dicit: Ego (inquit) hanc vetitam delectationem, hanc vindictam, hoc lucrum, &c. nunc mihi eligo; & simul eligo mihi æternum Væ, multiplicium in inferno pœnarum, subeundarum in æternum. O durã, imò durissimam, ad illud æternum, tãtarumq; ærumnarum plenum Væ obligationẽ! quam tam temerè, vos emotæ peccatorum mentes, pro illo, quod nonnisi momentanè

Act.

Ad quæ mala resolvit se homo, dum eligit peccatum.

neè experimini in peccato, ultrò assumitis? Hoc enim Væ, est ille ignis, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus: est vermis animam dirissimè corrodens incessantèr, qui nunquam morietur: est fames, ad quam damnati in mille milliones, & ampliùs sine fine, nec micâ unâ reficientur, sed eam patientur ut canes: est sitis, cui restinguendæ, nec de unica guttula in totam æternitatem indulgebitur; sunt tenebræ; quibus ligatis pedibus, ne fugiat, manibus, ne se juvet vel defendat, conijciendus est peccator: est carcer, de quo Propheta: *Claudentur ibi in carcere.* Isai: 24. 22. cujus claves ipse DEUS habet; est quædam abyssus pænarum, in æternum obsigillata, irrevocabili Decreto DEI. Hæc profectò diligentiùs perpende & considera, simulq; demirare, ô peccator! vix non parem cæteris miseriam, imò stoliditatem perditæ mentis tuæ: quòd s. tam multiplici Væ partim jam subjectus, partim in proximo, & quidem inopinatè subijciendus, exultes plerumq; in peccatis tuis; brutisq; deterior factus, ipse solus imminentem non præsentias ruinam. Inspice factum in Figura. *Isai.*

Probatur

Figuraliter.

Gen: 7. Cûm justo vindicis DEI Decreto, immineret illud universale orbis excidium per diluvij aquas, ex disruptis cataractis Cælestibus deciduas, legimus quomodo *De animantibus mundis & immundis & volucribus, & de omni quod movetur super terram, duo & duo, ingressa sunt ad Noë.* Opinantur plurimi Scriptores, illa animalia adducta fuisse ad Noë, DEI nutu, qui illis quendam terrorem præsagum futuri excidij impresserat; quo simul interno & arcano motu, petebant ad illud Arcæ confugium. Ecce tibi, dum adhuc dies serena esset, Cælumq; sudum, & terra in flores fructusq; abiret; inter hæc imminentis excidij solicitat pavor universa terræ animantia, universasq; volucres Cæli. Sed jam ex altera parte videamus, quid tum, dum adeò saperent irrationalia, rationalis egerit Creatura? 11. *Gen.* Animalia ad Arcam Noë, quomodo venerunt.

Indubium est, non uni illorum hominũ præcavente Noë cæteros, innotuisse revelatum imminens excidium Orbis: & præterea, ipsius Arcæ, tam insolita diuturnaq; fabricatio, non obscu- 12.

rum

Hominum plusquā brutalis insania. rum credibilitatis eorum, quæ prædicebat Noë; argumentum esse poterat: ad extremum ipsa testis corruptissimæ vitæ conscientia, sceleratis illis hominibus, manum vindicis DEI proximè imminere, insusurrabat. Quid ergò egerunt illi peccatores à sæculo? Ecce carnalium voluptatum possessi gustu, nil noverant metuere, nec illud imminens excidium, imò æternam damnationem sui minimè noverant præsentire: nulla sana inibant consilia; sed jam jam superimminente sibi æterno Væ, ipsi lætabundi tripudiabant: quod ipse testatus est Salvator. Matt: 24. 37. *Erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usq; ad eum diem, quo intravit Noë in Arcam.* Et sic tripudiantes morte inopinatâ oppressi, descenderunt miseri in infernum: quod venustè descriptum carmine lego apud D. Alcimum. l. 4. de diluvio.

Matt.

Tunc jussæ accurrunt volucres, tunc bestia quæq;
Deposita feritate venit, seseq; tenendam,
Ingerit occurrens, & libertate relictâ,
Occludi gaudet; tantùm decreta futuri
Vis valet: occultus brutis in sensibus ardet
Terror, & expectans agitat formidine mentem.
Ast homines, quos sors certi discriminis urget,
Vicinâ nec morte pavent. Sic vindice Cælo
Securos, lætosq; reos tellure Gomorrhæ,
Jam propè sub flammis sententia dicta videbat.

13. Superat profectò hæc peccatoris insensibilitas, cæli volucres, & campi bestias. Invenies quippe volucres, quæ tempestatem præsagiunt, & confugia quærunt; invenies animalia vilissima, quæ venturos casus præsentiant, & caveant: solus peccator brutis insensibilior, dum voluptatibus incumbere licet, nullius mali futuri meminit; & penè sub ipso supplicio nihil metuit. In quo non solùm pejorem dixeris vilissimo cane, sed ipso quoq; dæmone. Hi etenim benè conscij reos se esse carceris illius æterni, etsi ad tempus aliqui adhuc pænas essentiales damnationis secum circumferentes vagarentur, soliciti erant de imminenti sibi pœna, quam ad aspectum JESU præsagiebant, querulè conclamantes: Luc: 8. *Venisti ante tempus torquere nos.* Hinc infert

Peccator pejor dæmone.

fert Did: Baeza in Evang: T. 1. c. 5. §. 5. inquiens. *Non tanta est dæmonis improbitas, quanta est cujusvis peccatoris; quia si tantillâ pace fruantur, etiamsi JESUM videant, si JESUM præ manibus habeant, nihil sciant timere, nihil imminentis supplicij meminisse, nihil de his, quæ post erunt meditari.* O Vesaniam! Baez.

Cogita quæso; quòd videas Vesuvium, ex flammarum voragine flammam versùs Cælum evomentem, teq; super hujuscemodi flammas, tenuissimo filo suspensum, pendere à manu inimici, quem toties gravissimè læsisti: auderesne tum jucundæ indulgere menti? læta canere, tripudiare; & quod majus, inimicum nondum placatum, novis lacessere injurijs? Minimè puto, si te sanæ mentis esse judicem. Ecce tibi casum in terminis, in temetipso. Fides docet, quando mortaliter peccas, reum te fieri ignis infernalis: inter te, & illum ignem, nulla distantia est, quàm unius duntaxat respirationis, vel halitûs; quod longè minus est, quàm de filo suspensum hærere. id autem totum pendet à manu DEI, jam pro tunc inimici tui. Ergone sanæ mentis teipsum putaveris? dum conscius mortalis peccati, adeoq; certæ inhærentis tibimet obligationis ad damnationem æternam; nihil horum cogitas, sed oblitus imminentis tibi tam atrocis & multiplicis Væ, gaudes & exultas in rebus pessimis. 14.

Tangitur similitudine temeritas peccatoris.

Probatur

Historicè.

Athanas. Kiercher. in sua Musurgia scribit; reperiri in Apulia quoddam lacertarum genus, vocatur Tarantula, mortiferè venenosum: nam ictum à se hominem, veneno interficit: ita tamen, quòd diffundente se per membra toxico, ictus ille homo, plerumq; rideat, cantet, tripudiet, saltet: & nisi ei humana quædam per Musicam industria succurrat; ridendo, saltandoq; mori debet. Genuinum hic adverto Typum quorundã impiorum hominum: qui Stygij Serpetis intoxicati veneno, per consensum in peccatum hausto, & si in momenta eodem tabescant in malo, peccata peccatis accumulando; jucundè tamen dies suos transigere student, studioseq; varijs artibus usi id efficere conantur: sed omninò majori suo malo. Nam tantò ocyus 15.

Ictus à lacerta, ridens moritur.

accelerant sibi æternum Væ, insperatæ s. damnationis: quod attentè notavit S. Chrysost: in Ps: 11. *Dum volunt se recreare, efficiunt, ut gehennæ non meminerint; per quam securitatem, metûsq; vacuitatem, in magnum interim se barathrum imprudenter immittunt.*

Chrys.

16. Quam longè salubriùs foret, ipsos tum nedum vivacitèr reminisci illius, sub cujus obligatione morantur, æterni Væ; sed si quoq; de ipso cū Job c. 7. terrentur etiā per somnia. Ut cōtigisse olim (scribit Plutarchus) cuidam licentiosæ vitæ homini, Apollodoro dicto: hic enim asserebat se vidisse in somnis cutem sibi à quibusdam detrahi; deinde elixari se, & cor sibi ex lebete dicere: *Ego tibi horum causa sum.* Utinam; hujuscemodi vel similibus umbris, prænuntijs imminentium pænarum, identidem scelestæ exagitarentur mentes! ut vel sic saltim, non tam facilè obliviscerentur æterni illius Væ, & obligationis suæ ad pænas inferni; quam, dando se totos peccatis, capiti suo in perniciem majorem, superinduxerunt.

Cor in lebete elixatum, scelestum hominem alloqutum est.

PARS. II.

SS. MARIA sine Væ originali.

17. Diligenter observavi, quòd Apocalypticus Propheta Joannes, post illam horribilem septem tubarum, Væ, Væ, multiplex habitatoribus terræ intonantium vocem, subitò jucundas quasdam sibi apparuisse fateatur visiones. Nam c. 11. narrat se vidisse Templum DEI, & Arcam Testamenti in medio ipsius. cui postea brevi c. 12. adhuc jucundior successit visio: *Signum magnum apparuit in Cælo: Mulier amicta Sole:* quæ duo juxta receptissimum sensum SS. Patrum designabant SS. DEIparam MARIAM. Exhorruit (quod minimè ambigo) cujusq; legentis, vel audientis mens, ad illud triplex conclamatum contra peccatores Væ; cui ipsos omninò subijci, immediatè demonstravimus: ergo jam amænior in oculis nostris prodeat Scena; Mulier amicta Sole: nova s. EVA, ab omni illo triplici Væ, præsertim originalis labis extranea, SS. videlicet DEIpara MARIA, sine labe Concepta. Quam ipsius immunitatem, ostendo primò.

Apoc.

Probatur

Scripturaliter.

Duo adsunt S. Scripturæ loca, quæ existimo perbellè stare posse, pro negando omni, etiam originalis culpæ, Væ, in SS. DEIpara MARIA. Primus locus est supra citatus ex Apocalypsi: vox s. illa volantis per medium Cælum Aquilæ, clamantisq; & promulgantis triplex Væ, non quibuscunq; sed solis nonnisi habitatoribus terræ. *Væ, Væ, Væ (inquit) habitatoribus terræ:* quod ipsum accuratiùs observare placuit S. Ambrosio, hunc versanti locum Scripturæ. Unde colligere licet illos, quorum non terra, sed Cælum, Patria & Civitas est, prædicto triplici non feriendos maledicto. Ut autem citiùs veniatur ad punctum difficultatis. Quæro: Cæline, an terræ incola, dicenda sit SS. DEIpara MARIA? Quæstio ista etiam ex Ortu, seu Conceptione ipsius facillimè solvitur. De hac enim S. Bern: sup. Missus hom. 2. censet verificandum illud Psal: 18. 7. *A Summo Cælo egressio ejus:* quod taliter ipse explicat: *Procul (inquit) & de ultimis finibus pretium ejus, non parvum, non mediocre, non de terra, sed de Cælo; nec de Cælo proximo terris, pretium hujus mulieris, sed à summo Cælo egressio (intellige Ortus, & Conceptio) ejus.* Accedat huic & illud S. Aug: qui l. 20. de Civit: 17. SS. MARIAM venientem in mundum, appellat Civitatem illam Sanctam, novam, descendentem de Cælo; ex eo præsertim, quia inquit: *Cælestis illa fuit gratia, quâ DEUS illam fecerat.* Porrò gratia quæ datur hominibus in terris, communiter (ut notat Sylveira in hunc locum) communicatur hominibus infectis peccato: at verò in Cælis, gratia infunditur simul cum natura: uti factum est in Angelis: dicente S. Augustino, *DEUS erat, simul condens naturam, & largiens gratiam.* Cælestis ergo gratia, si primum condidit in Conceptione sua SS. MARIAM, propter quod de Cælis descendere dicitur; consequens omninò est, quòd nova hæc & Cælestis EVA fuerit; nihilq; de illo Væ originali; quod solis habitatoribus terræ infligendum comminabatur volans Aquila, participare debuerit. 18.

Apoc. *Ambr:* MARIA, Cæli non terræ incola. *Bernard.* *Psal:* *August.* MARIA Civitas descendès de Cælo, in sui Conceptione. *August.*

Alterum probationis ex S. Scriptura assumo argumentum, ex ipsa inusitata methodo salutationis & verbis Angeli, annun- 19.

tiantis MARIÆ, mysterium Incarnationis. *Ave (inquit) gratiâ plena, Dominus tecum.* Luc: 1. 28. Dignissimam super hæc facit considerationem S. August: quarenam in veteri testamento, licet quibusdam pientioribus fæminis apparuerint quandoq; Angeli, nullibi tamen leguntur, aliquas earum salutasse; prima illa fuit SS. MARIA, quam salutavit Angelus. Cur autem? In promptu insinuat se ratio, deprompta ex veteri usu Ecclesiæ; quæ maledicto excommunicationis anathematizatos, vetat consalutare. Igitur, quoniam omnes mulieres erant sub maledicto, & sub Væ Evæ prioris, cavebant proinde Angeli, ne quampiam salutassent. Et quia primam, & unicam invenit Gabriel, benedictam jam inter mulieres, quam nunquam Væ, seu maledictum Evæ illius involvit, eam proinde venerabundè salutat: imo statim initiali *Ave* deprædicat, & fatetur alienam fuisse à Væ illius prioris Evæ, s. ab originalis peccati labe: quod advertit S. Bernard: Senen: infra inter Doctores citandus.

Luc.

Ante MARIAM, nulla ab Angelo salutata fuit mulier. cur?

Ave, ostendit Mariam caruisse omni Væ.

20. Thesyph.

Favet quoq; huic speculationi nostræ S. Thesiphorus Mart: dum ita ait: *Nequaquam Angelus Virgini diceret, Ave gratiâ plena, si in peccato originali concepta fuisset.* Hoc ipsum validè corroborant ulteriora verba salutationis Angelicæ: *Benedicta tu (inquit) in mulieribus.* Quæ expendendo S. Hieron: ex illis colligit SS. MARIAM fuisse plùs benedictam, quàm omnes mulieres. Similiter S. August: Ser: 18. de San: exclamando alloquitur ipsam: *O fæmina super fæminas benedicta!* Jam verò subsumere liceat: atqui EVA prima fæmina, fuit olim adeò benedicta, ut in sui creatione conderetur sine omni Væ; idq; propter concreatam sibi justitiam originalem, juxta illud Eccli: 7. *Hoc inveni, quòd fecerit DEUS hominem rectum.* Multò itaq; magis nova EVA s. SS. DEIpara MARIA, dici debet condita fuisse sine omni Væ peccati; imò potiùs, in longè perfectiori gratia, quam prior illa EVA: quia cum inamissibilitatis privilegio.

Hierom.

August.

MARIA plùs benedicta, quam fuit in sui creatione Eva, in quo?

Probatur **Figuraliter.**

21\. Alienam in Ortu suo fuisse SS. DEIparam MARIAM à Væ omnis absolutè peccati, ipsa Figura & nobile Schema inclytissimæ Genealogiæ ipsius, non obscurè innuere videtur; dum Generatio-

tionem MARIÆ, quasi æmulam Generationis Divinæ repræsentat. Ecce tibi D. Matthęi OEconomiam, qui per Paternitatis notionem, Christiferi generis deducit Prosapiam: ait enim: *Abraam genuit Isaac &c. Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar, David autem genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Uriæ, &c.* Per illud *Genuit* ubiq; additum, notam exprimit Paternitatis, quæ de patre ad patrem descendens, singulorum detegit peccata; nimirum Judæ incestum, & Davidis adulterium. E contra verò Lucas c. 3. (quod etiam supra tetigi) incipiens à Christo JESU, ita de illo ait: *Qui putabatur Filius Joseph, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, &c.* tandem in ascendenti perveniens ad Adam, dicit: *qui fuit DEI:* sicq; claudit tabulas Generationis CHRISTI & MARIÆ. Ubi per illud *Fuit*, notam filiationis prætendit; quâ à filio ad filium descendit; etiam ipsum Abraam sub nota filij exprimendo, & in singulis quandam oppositionem cum peccato declarat; quapropter ibidem relicto Salomone, olim adulteræ filio, profert illicò Natham; à cujus nominis Propheta adulterium fuit in Davide castigatum. Quod observavit Angelicus Doctor, 3. p. q. 31. a. 3.

Matth. *Luc.*

22. Sed age, cur id factum esse putandum est? Equidem Matthæus, Josephi attexuit lineam generationis, in qua necessariò apparet peccati infectio parentibus communicata. Cæterùm S. Lucas, ut Author est S. Thom: Cajet: Soto, Suar: Maldonat. MARIAnæ Generationis lineam rectam ostendere laborabat; in qua meritò nullus homo, nec Adamus ipse exprimitur, ut Pater: sed uno DEO excepto, in reliquis sola filiationum nota claret, & in singulis oppositio cum peccato. quippe SS. MARIA unum DEUM Parentem habens, ab illo descendit per callem omninò immaculatum & oppositum peccato. Quòd velim intelligas, non quidem ita, ut absolutè à linea generationis CHRISTI & MARIÆ secundùm carnem excludantur veri Patres; sed ut ostendatur, quomodò singulariter DEUS fuerit Pater MARIÆ, ratione gratiæ.

Thom: Caiet: Soto. Suar. Maldon.

Solus DEUS legitur Pater MARIAE quomodo?

23. Hanc MARIAnam Generationem, ut VERBI geniti æmulam, sic Psaltes Divinus decantat. Ps: 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum* *genui*

Psal.

Generatio MARIAE seu Concep: in splendoribus Sanctorum. *genui te.* Ecce Genitor loquitur suæ Proli, quòd ipse Pater ejus sit, quòd illam genuerit, ad principij, quod est VERBUM, exemplar; quòd item generationem ejus duxerit in splendoribus Sanctorum, non in tenebris peccatorum, sed in opposito peccatis calle. Huic adstipulatur explicatio S. Amb: in Psal: 40. (Ambros.) sic paraphrasticè exprimentis verba præfata. *Generationis meæ privilegium in Te recognosco; quem nulla potuit macula inquinare peccati.* In quibus expendo illud, *Generationis privilegium.* An quia genitus DEI Filius privilegio aliquo utatur? Absit: ipse enim Filius naturalis, naturalitèr, & ex ipsa sua DEItatis natura, expers omninò est peccati, in luce gignitur; quia Lumen de Lumine; nec alium Patrem præter DEUM, sive in Cælo, sive in terra habet. Harum ergò perfectionum privelegium uni, & soli MARIÆ fuit communicatum; ut quod Filius naturaliter habet, Mater ejus MARIA, ex ejus habeat privilegio, illius Generationis existens æmula: quando unicum DEUM Patrem habens, pellucido calle & peccatis opposito, oriatur. Non ego (inverecundè fateor) adeò sagaciter, sed doctissimus Did: Baez: Tom: 1. in Evang: l. 1. c. 4. §. 7. ratiocinatur. Similiter Chryst: Vega in Theol: Mariana n. 602,

24. Quibus tamen, quasi de proprio, novam super easdem Genealogiæ Christi à S. Luca descriptas tabulas, liceat adijcere observationem. Iterùm enim subit animum Quæstio illa, insinuata in Discursûs hujus Exordio: Curnam in Linea Prosapiæ MARIAnæ, imo in toto Evangelio, quamvis Adam saltem semel, & quidem cum addito. *Qui fuit DEI* nominetur; Evæ tamen, nec semel vel indirectè fiat mentio? cum æquè de lumbis utriusq; tam s. Adæ, quàm Evæ originem traxerit Generatio MARIÆ: Placeat itaq; devotæ menti piè divinare aliquid. Adam, non videtur adeo infaustum & lugubre nomen, sicuti videtur nomen Evæ: Adam enim significat ex Hebræo, decorem, venustatem; fuitq; impositum homini, adhuc tum, dum esset Filius DEI, s. antequam amisisset justitiam originalem; hoc est, ante hominis lapsum. Secùs autem est de nomine Evæ. Nam si tempus, hujus primæ nomenclaturæ diligentiùs inquiras, invenies, jam post lapsum in peccatum, & post latam maledictionis sententiam

(Margin: Cur Eva non nominata in Genealogia MARIAE? — Adam vocis ethymon.)

tiam

tiam in mulierem, nomen hoc auditum, ipsiq; mulieri à Viro suo inditum fuisse. *Vocavit Adam nomen suæ Uxoris, Heva.* refert Sacer Chronologus Gen: 3. 20. Deinde ethymum ipsum, accuratiùs perpende: Hᴇᴠᴀ, ex usu Hebręorum cum aspiratione (ut notat S. Epiphan: l. 5. cont: hæres:) serpentem significavit: Præterea, communis pronunciatio nominis Eᴠæ, prægnans illud esse demonstrat ærumnarum, miseriarum, & Væ peccati; unde Eᴠæ nomen, quasi ex Væ multiplici natum & compactum videtur. Congruum itaq; erat, tam funestum, & triste nomen Eᴠæ, à Tabulis MARIAnæ Generationis arcere; ut vel sic luculentiùs pateret, SS. MARIÆ Generationem seu Conceptionem, remotissimam fuisse à fraude venenosi illius in paradiso serpentis, & simul ab illo Væ prioris Eᴠæ, s. ab originali peccato. Heva idem; quod Serpēs. Eva Vox, prægnans Væ.

Probatur

Doctoraliter.

Primum hic locum justè sibi vendicare debet sententia S. Bernardini Senen: utpotè cæteris clarior, & ad rem nostram aptissimè Mysterium explicans: Hic itaq; Sanctus, piè, ac simul ingeniosè ludens in Ethymo Eᴠᴀ, comparando hoc vocabulum, cum illo ex Angelica Salutatione, Aᴠᴇ: ita inquit: *Væ triplex est: Væ peccati originalis; Væ peccati actualis, Væ pænæ. Beatissima Virgo per Ave salutatur; quia à triplici Væ immunis fuit; s. sine primo Væ, hoc est sine tyranno concupiscentiæ peccati originalis; fuit sine secundo Væ, culpæ actualis, mortalis & venialis; & sine tertio Væ, s. pænæ.* 25.

S. Albert: M. 3. Sent: dist: 3. sic ait: *Ex peccatò, secutum est triplex Væ; Væ pænæ, Væ ignorantiæ, & Væ culpæ: Væ culpæ originalis, actualis, & venialis: sine omni isto triplici Væ, fuit B. V. MARIA. Sine Væ culpæ actualiter, sine Væ culpæ causaliter, sine Væ ignorantiæ habitualiter. Et sic concedimus, quòd B. V. MARIA fuit sine omni Væ.*

S. Cæsarius ap. Salaz. c. 42. *Pro loco Virginis nimirum Eᴠæ, perpetuam Virginem Sanctam Matrem suam suscitavit; pro illius pæna, huic salutem, per proprium servum Gabrielem misit, in hac sanans, quæ illa deliquerat.* Advertit subtiliter idem Salazar, quòd dicatur. *In hac sanans, quæ illa deliquerat:* & inquit: *Non dixit sanans*

nans eam, quasi primum morbum traxisset; sed, sanans Evæ delictum in ipsa; quasi dicat; delicti ipsius injuriam, & pestem avertens.

S Augustinus ab eodem ibidem citatus. *O Mater Domini! sicut in prima fœmina abundavit delictum, ita & in Te superabundavit omnis gratia ignara delicti.*

Huc quoq; reducendæ sunt omnes authoritates illorum; qui ajunt maledictionem Evæ, ablatam fuisse per benedictionem MARIÆ: primum enim malectionis malum, imò parens omnium maledictionum, est originale peccatum. Ait ergo S. Hieronymus Ser: de Assumpt: *Quidquid maledictionis infusum est per EVAM, totum abstulit benedictio MARIÆ.* S. Augustinus Ser: 1. de Annunt: *Maledictio Evæ, in benedictionem mutatur MARIÆ.* S. Petrus Damian: de Nativ: *MARIÆ benedictionis novæ fluentum, totum detersit maledictionis antiquæ contagium.*

Rupertus etiam super Cant: l. 2. pulchram Anthitesim Evæ cum MARIA valdeq; rei nostræ accommodam scripsit; cujus sententiam habes supra per extensum citatam Tit: *Columba* n. 19.

Probatur Miraculosè.

26. Paulò ab hinc translapsis annis, contigit in Bavaria Vetero Ettingæ; (ut testantur typo impressæ chartæ, quas plerumq; per Bavariam & Bohemiam circumferri, & peregrinis distribui vidimus,) quandam energumenam, Magdalenam nomine, à dæmonijs, quorū tota legio erat f. 6666. obsessam, dum Vetero Ettingæ ad miraculosam B. V. Imaginem, à quodam P. Luca Concionatore Monacensi, Ordinis S. P. N. Francisci Reformatorum, qui inibi nomine Franciscanorum appellantur, per multos dies, prævijs multi exercitijs orationum, jejuniorum, mortificationum, exorcizaretur, adjuraretur q; malus ille hospes, nec tamen per hoc mitesceret: contigit quadam die, transeunte prædicto P. Luca, quòd malignus spiritus per os obsessæ, quasi subsannando dixerit: ô Pater, quantum tu laboras, & affligis te orationibus, jejunijs &c. nec tamen contra nos prævales; sed si benè considerasses ea, quæ hodie legisti contra nos, profectò prævaluisses nobis. Stupefactus ad hæc Pater, nec benè memor eorum, quænam nuper legisset, redit ad suam cellam; lecta à se

iterum

iterum diligenter revolvit, considerat, scrutatur; invenitq; tandem quasdam schedulas parvullimas, in quibus esset descriptum literis Mysterium Nativitatis JESU Christi & simul Immac: Conceptionis SS. MARIÆ, magnam habere efficaciam contra dæmones. Hinc statim, adhibitis devotis quibusdam ceremonijs, hujusmodi confecit schedulam, coëgitq; adjurationibus energumenam diu reluctantem, cum haustu aquæ benedictæ, eam epotasse & deglutivisse: ecce subitò multitudo illa dæmonum vociferantium; quòd vel inviti contra se arma prodiderint, recessit in tartara, liberâ deinceps relicta puellâ. Istæ ergo schedulæ (ut in illa charta, typis vulgata legitur) inter alias gratias, quas habent contra dæmones, maleficia, & quasue præterea infirmitates, hanc quoq; specialem habere notantur; quòd devotè recitatis vel per se, vel per alium, ter Pater & Ave, in honorem Nativitatis Christi, & Immac: Conceptionis B.V. MARIÆ, sumptæ in haustu aquæ benedictæ â prægnantibus mulieribus, mirè & feliciter promoveant partum: ita, ut plerumq; observatum fuerit, infantes natos, haustas illas â Matribus schedulas, vel in ore, vel in fronte, vel in manu, vel sub axillis, de utero Matrum exportasse. Insigne certè beneficium simulq; miraculum, in honorem Immac: Conceptionis: & quidem non difficulter credibile: nam coincidit cum illa antiquorum Scriptorum traditione, imo piorum experientia; quòd Mysterium Immac: Conceptionis SS. MARIÆ, mirum sit antidotum contra pericula parturientium. De quo etiam testatur antiquissimus; quia adhuc S. Augustini Discipulus Grossius, alijs Orosius dictus, Ep. ad Heliod: ita scribens: *Coram DEO novi, & in veritate comperi, quòd nulla mulier, in partu periclitatur, super quam devotè MARIÆ gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur.* Vide, pie Lector, quomodo SS. MARIA, vel ipso facto demonstrat, se fuisse ab omni Væ prioris EVÆ liberam, neq; in sui purissimo Ortu sub communi Væ ingemuisse; dum ipsa Immac: Conceptionis ejus memoria, dolores, gemitusq;, quos illa prior vitiata EVA, ceu molestam hæreditatem cunctis reliquit mulieribus, ab ipsis tam communiter, tam efficaciter, tollit & eliminat.

Schedarum Imm: Conc: mira virtus, præsertim in partu mulierum.

Hæc Historiola maneat sub ea fide, qualem meretur; donec hujuscemodi schedulas Immac: Conceptionis, approbet vel reprobet crisis Romana.

Probatur Scholasticè.

27. *THEOL:* Juxta communissimam omnium Orthodoxorum Theologorum doctrinam, B.V. MARIA totaliter fuit immunis à secundo, & tertio Væ: hoc est, fuit libera à peccatis actualibus, tàm mortalibus, quàm venialibus: fuit quoq; libera à pœnis principalioribus, s. à dolore in partu, ab incineratione castissimi corporis sui; cum quo potiùs translata est in Cœlum: & quamvis aliquibus pœnalitatibus seu potiùs calamitatibus & miserijs subijceretur; *Id in ea remansit* (ut bene advertit Richard: Victor: l. 2. de Emanuel: c. 28.) *ad futura gloria ipsius cumulum, nobis autem ad pœnitentia exemplar.* Ergo etiam immunis fuit à primo Væ, s. ab originali peccato: quod est fons, & principium illius secundi, & tertij Væ. Consequentia tenet ab effectu ad causam: carentia enim effectûs, ordinariè arguit carentiam causæ. *Confirmatur* ex S. Cypriano Ser. de Nativ: ubi simili consequentiâ usus, ex amotione pœnæ, infert in Beatissima amotionem culpæ: dum ita ait: *Nihil in hac reperit vltio, nec præcedens delectatio, aliquam expetijt pœnarum vsuram. Ideo innocuam affligi non decuit: nec sustinebat justitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur injurijs; quod plurimum à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.*

Cur MARIA nonnullis humanis miserijs subjecta fuit?

Richard:

Hinc colligitur Immac: Conceptio.

Cypr.

28. *ETHIC:* Quispiam Ethicorum non tam fortè, rectè, quàm magis superstitiosè regulas præscribens ineundorum contractuum matrimonij, monet in seligenda Sponsa, nedum formam, indolem, dotesq; animi spectandas, sed nomina quoq; diligentiùs observanda; ne vel in ipsis litteris nomenclaturæ, aliqua funesta, malarum nuptiarum laterent omina. Unde cavendum ajebat ab illis desponsandis, quarum nomina plura R. in se continerent. ut Margaretha, Regina. De quo vide Georg: Stengelium Mund: Theoric: P. 2. c. 43. Infausta enim dicebat ille, talia esse nomina, & utpotè asperæ pronunti-

R. cavendum in sponsis, quidam docuit. cur?

nuntiationis, rixosarum, & litigiosarum fæminarum, non improbabile signum, hoc dysticho docebat.

Uxorem ducturus, R. tibi disce cavere:
Iras, & guerras, R. habet omnis habens.

Superstitiosam quamvis in parte judico istam Regulam, nec omninò de omnibus talibus fæminis verificandam, censeo tamen infaustis nuptijs, magis perniciosam magisq; fatalem fore syllabam, quàm literam; neq; tam malè præsagum, reputo R. caninum, quàm Væ lugubre Evinum, præsertim Væ originalis labis. Quando itaq; 29.
in illis prææternis Electionibus, Spiritus S. qui est infinitæ Sapientiæ, & simul sanctitatis, eligebat sibi aliquam in dignissimam, amabilissimamq; Sponsam; eamq; postea in tempore, per infusionem primæ gratiæ copulabat: quis ambigat, ipsum humanioris hujus Ethicæ, tantò exquisitiùs observasse Canonem: nec elegisse sibi in Sponsam, quampiam prægnantem illo originali Væ, etiam in nomine Evam; sed potiùs aliquam aliam extranei ab omni Væ peccati, & excellentissimi Nominis; quod est post Nomen JESU, supra omne Nomen, SS. s. MARIAM, elegisse inquam, ut esset sibi in Sponsam dignissimam. Cujus nuptijs lætum canit hymenæum S. Damian: de Assump: inquiens: *Hæc est, quæ nescivit torum in delicto. Virgo DEI Filio singulariter consecrata, spiritualiter conjugata Spiritui Sancto.*

Maria Sponsa Spiritûs S.

Nomen MARIAE post nomen IESV, est primum.

SYMB: Exsortem ab hoc originali Væ, ut ostendisset MARIAM, Athor mundi Symbol: depinxit Citharam Apollinis; quæ cùm chordas nunquam discordes habuisse perhibeatur; epigraphen tulit. *Nunquam dissona.* Cui placeat & aliud adscribere Lemma: *Semper sine luctu.* In primo signabitur; quomodo SS. MARIA nunquam vel minimum actualis, aut originalis culpæ delictum cõmiserit. In secundo autem alludendo ad illud Prophetæ Isai: 30. *Conversa est in luctum Cithara mea:* ostenditur, quòd quamvis nos omnes de propagine Evæ descendentes, & olim apprimè juxta Cælestes numeros, ad harmoniam gratiæ à Creatore in Matre nostra organizari, s. creandi, aliàs in justitia originali; si ipsa non peccas- 30.

Isaie. Maria cithara sine ullo luctu.

ſet; ex prævaricatione Protoparentum, nervis, fidibuſq; remiſſis, luctuoſum illud Væ originalis reatûs, non tam cecinimus, quàm potiùs ingemuimus. Ipſa nihilominus SS. MARIA, eſt Cithara illa,
Aug: imo ut eam appellat S. Auguſt: Ser: 18 de Sanctis; eſt Tympaniſtria, cujus cithara nullum unquam edidit Væ, nunquam in communi illo hominum luctu fuit: ſed ab inſtanti Conceptionis ſuæ repleta Spiritu S. ſemper læta, & hilaris in Domino, dulciter & concinnè cecinit DEO Sanctiſſimum Canticum.

31. *POES:* Regia Progenies, Divini plaſmatis EVA
Orbis ad imperium, condita prima fuit:
Omnia ſub pedibus, rerum ſubjecerat illi
Conditor, inque uſum cuncta creata dedit.
Jamq; maritalis tenuit conſortia Sceptri:
Jam facilis Dominæ nutibus, orbis erat.
Ni Dea cum fieri vellet, non ritè tumentem
Regalis ſubitò deſerviſſet honos.
Illa throno cecidit: nova quem conſcendit, & Orbis
Imperium, titulo nobiliore tenet.
Iſta eſt EVA, DEI Mater, Reginaq; mundo,
Præſidet, & almè; totaq; pura micat.

Bitzan: in Anagram. Agnenſis epigr: 43.

32. *PROGR:* *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*
ANAG: Ens purum â Væ, i citò alma, digna Mater,
Adam & EVAM, in macula purè ignoraſti,
Iſta EVA Regina, mundo almè purè micat
I alma intacta, EVA Virgo, ſemper munda.

Probatur **Hiſtoricè.**

33. Pierius Hierogliph: l. 26. c. 46. ſcribit feſtivum quid accidiſſe Eunomio cuidam celeberrimo Citharædo: is etenim cùm Pythijs certaret de arte Muſices, cum non minus celebri in hac ſparta Ariſtone Rhegino, deſtitutus eſt, una chordâ ruptâ. Verùm ut ajunt Hiſtorici ſubitò adfuiſſe cicadam ſupervolantem, quæ ſupplevit vices illius chordæ diſruptæ. Citharam ego pro tunc jure dixero,

Cicada in Cithara Eunomij.

condi-

conditam primò naturam humanam; quæ tum erat exactè ad leges harmoniæ constituta, dum s. ratio legi, voluntas verò & aliæ potentiæ rationi subordinatæ perfectè consonabant. Ait enim Cassiodorus in Psal. 146. *Cithara significat virtutes morales, consonâ operatione pracinentes; quæ tunc veram citharam reddunt, quando se fœderatâ societate conjungunt.* In hac ergò potentiarum harmonia, exactissimè potentias illas constituerat in homine Altissimus rerum Conditor; eo fine, ut corporea illa natura, simul cum incorporeis Spiritibus S. Angelis, semper, æternumq; Creatori suo, dulce gratiarum & laudis occineret melos: infausto tamen & deplorando eventu, brevi in Protoparentibus suis, ruptis quasi prioribus, excellentioribusq; chordis, cithara hæc passa est defectum; harmoniamq; mutavit, in luctuosum Væ, & tristem notam originalis peccati.

Cassiod. Cithara homo: chordæ, ejus potentiæ.

Cæterùm altissimo inscrutabiliq; consilio Conditoris, luctuoso huic provisum est sat opportunè casui; idq; per superventum Cælestis Cicadæ; intelligo Spiritum S. De quo S. Prosper Ep. ad Demetr. *Implet igitur Spiritus S. organum suum, & tanquàm fila chordarum, tangit digitus DEI corda Sanctorum.* Ruptis enim illis prioribus chordis; hoc est, nostris Parentibus primis peccantibus, substituit SS. MARIAM. Et quemadmodum Cicada sub ardenti & meridiano Sole vocalissima est; ita pariter præveniens Spiritus S. summâ statim in ortu suo implevit eam charitate & gratiâ; ut triste illud Væ, & communem cuiq; nostrûm luctum: ab ea totalitèr ablegaret: atq; ut ita, SS. Mater JESU, venturo Filio DEI, hæc una in medio juvencularum tympanistriarum, tantò dignior & præstantior appareret. 34.

Prosper. Cicada Spiritus S. MARIA præventa à Spiritu S. in sui Cōceptione.

EPILOGUS.

S. Epiphanius l. 5. contr: Hæret: Item Euseb: l. 2. de præpar: Evang: c. 5. tradunt fuisse olim Hæreticos, qui vocabantur Dyonisiaci: hi festum quoddam celebrantes & crudas carnes comedentes, atq; Serpentibus capita redimiti, sacro furore initiabantur, EVA, EVA vociferantes. Error hic imò fatuitas, fuit meritò damnabilis, vel eò da- 35.

Hæresis Evā superstitiosè colentes.

mnabilior, quòd sub tristi nomine Evæ, & lugubri ipsius Væ, miseri illi homines lætabundi tripudiarent. Nos itaq; dum sanctioris, imò novæ nostræ Evæ MARIÆ, quam hactenùs probavimus fuisse sine omni Væ, Immaculatæq; Conceptionis ejus solemne celebramus Festum, pientiores induamus animos, eamq;, usi Anthitesi S. Irenæi l. 3. contr: hæret: c. 33. inter MARIAM & EVAM, de excellentissimo privilegio ejus, quo donata fuit à DEO in Ortu suo, gratulabundi reverenter salutemus; dicentes: *O MARIA! ô nova, & veteris illius restauratrix, salutaris* EVA! *per illam interitus, per te salus. Illa corrupta, Seductorem secuta est; Tu integra peperisti Salvatorem. Illa poculum à Serpente propinatum libenter accepit, & Viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi; Tu gratiâ cælesti desuper infusâ vitam protulisti, per quam caro mortua possit resuscitari.* Vel ex S. Augustino. *Eva generis nostri, pœnam intulit mundo; Tu Genitrix Domini nostri, salutem attulisti mundo. Auctrix peccati* EVA, *Tu auctrix meriti MARIA.* Et tandem ex Ruperto. *Tu contra DEUM non intumuisti, imò mente humili DEO complacuisti. Tu Serpenti aurem non præbuisti; imò inimicitiæ inter Te, & Serpentem positæ.*

Iren: | Evæ cum MARIA disparitas. | Aug: | Rup.

36. Et quoniam conscij bene miseriarum nostrarum, experiamur quotidiè nos minimè degeneres filios veteris Evæ, in hac lacrymarum valle sub Væ illius gementes; extollamus lamentabiles, simulq; supplices voces, ad hanc novam nostram EVAM MARIAM cum S. Bernardo. *Tu Domina vides, quomodo sumus amaritudine pleni, intùs sumus gementes, & exteriùs flentes; converte luctum nostrum in gaudium, & tribulationem nostram in jubilationem.* Ut sic in lætitia, & jubilo puri cordis, alieni ab omni Væ, in tempore, & æternitate, triumphale Tibi potiùs decantemus laudis Canticum.

Bern: | Votum Authoris.

Io! vivat Immaculata Sanctissimæ DEIparæ Conceptio.

FA-



FACIES, sine Ruga, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

Virum MARIÆ, de qua natus est JESUS. Matt: 1.
Facies tua decora. Cant: 2.

NEdùm Sacræ, sed profanæ quoq; Antiquitatum paginæ, frequenter edocent, ad adipiscenda summa thronorum, fastigia, sceptra & coronas, plurimùm suffragari, præter natalium celsitudinem, præclarasq; dotes animi, etiam pulchram FACIEM, vultûsq; decorem. N.N. Deformes etiamsi Æthiopes, (ut notavit Muretus l. 3. c. 2.) in eligendis Regibus, atq; majorum Officiorum administris, singularem rationem pulchritudinis, venustatisq; formæ, habuisse perhibentur: eò quòd crederent excellentiâ formæ, amorem, benevolentiam, ac reverentiam subditis, arcanâ quadam vi instillari, hostibus verò metum incuti. Idem prodit Alexander ab Alexand: l. 4. scilicet; quòd & Macrobij, qui Meropen Nili Insulam colunt, Principem, à formæ augustioris dignitate eligerent, nec unquam deformi Viro obedire, subesseq; sustinerent. Unde vulgare illud: *Species Priami, digna Imperio.* 1.

Ex pulchra facie, Regum electio.

In Sacris demùm Literis legere est: Assuerum Regem, non aliunde nisi ex venustate formæ, Esteram adamasse plùs cæteris, & diadema 2.

ademaRegni, in capite ejus posuisse: huic etenim non divitiæ, non præclari natales, (mancipium enim erat & captiva) ad tantum honoris suffragabantur fastigium; sed id nisi unicum, quòd esset (ut testatur Scriptura Esther 2. 7.) *Pulchra nimis, & decora facie.* Ipse tandem Rex Solimæus Salomon, non aliam throni, simulq; thori quæsivit sibi Sponsam, nisi eam, quæ cæteris esset pulchrior, sine ruga, sinê macula: taliter enim inventam commendat & deprædicat Cant: 2. 14. *Ostende mihi* FACIEM *tuam; sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, &* FACIES *tua decora.*

Esth.

Cant.

3. Satis prolixam legimus in Matthæi Evangelio Elenchum Regum, atq; illustrium Ducum, Genealogiæ Salvatoris nostri JESU Christi: cujus video Summum quasi fastigium, primumq; apicem post Christum, tenet SS. MARIA, ter veneranda Mater JESV, dum immediatê ante Christum pronunciatur. *Virum MARIÆ, de qua natus est JESUS; qui vocatur CHRISTUS*: quo ipso, cunctis Regibus excelsior, dignior, gloriosiorq;, utpotè Regina Cæli & terræ, nam Mater Regis Regum, declarata est. Si quæras causam tantæ excellentiæ? non aliam invenies, nisi præcellentem ejus pulchritudinem, speciemq; vultûs dignam Imperio, ipso etiam Cælestis Sponsi testimonio comprobatam & commendatam, sub Figura in Sponsa illa Salomonis: dum ipsam sic alloquitur: *Vox tua dulcis, &* FACIES *tua decora.* Cui, ad majorem energiam, placuit S. Ecclesiæ addere. *Decora nimis*: in Officio Breviar: Franciscani pro Festo Immaculatæ Conceptionis.

MARIA ex pulchritudine Regũ Regina.

4. Porrò FACIES vultusq; hominis, illud primum est, quod plerumq; intuemur in homine: hinc Eccli: 19. 26. dicitur: *Ab occursu facies cognoscitur Sensatus.* FACIES ergo hæc nimis decora MARIÆ, benè denotat primum instans exortûs ipsius, f. Conceptionis seu Creationis animæ. Tota licet pulchra & decora sit MARIA in membris f. in momentis omnibus durationis suæ; nam de illa dixit B. Alanus: *Quæ enim pulchra inter mulieres, nisi Virgo Mater? quæ præ cæteris privilegiata est donis Spiritualibus.* FACIES tamen f. primum instans Creationis ejus, non utcunq; sed decora nimis esse asseritur: idq; non

non aliundè; nisi ob Immac: Conceptionis privilegium. Equidem nil ita deturpat, etiam perfectè ad Symmetriæ leges efformatam FACIEM, quàm contractæ, vel quoquomodo impressæ illi rugæ. Contraximus sanè miseri nos omnes, fædam rugam, confecti senio veteris Adæ; ideò ex Utero Matrũ, rugosas ac deformes originali peccato, exportamus facies nostras: sola FACIES SS. MARIÆ, ideo decora nimis deprædicatur, quia hujus originalis rugæ omninò expers; quòd ipsum luculentiùs demonstraturus, præmittam morale, de nonnullis deformitatibus, & rugis animæ, quas ex peccato contraxit, contrahitq; quilibet homo. Nunc speciosum Neo-Conceptæ vultum, brevi consalutemus rythmo. Originale peccatum, ruga magna. Propositio.

Ave Virgo, rugâ carens, Da intacta DEI Parens,
Ut laus Tua cum dulcore Meo semper sit in ore.

PARS I.

De rugis, quas contrahit homo, per peccatũ.

§.

PLurimis insignitus à DEO donis Divinus Psaltes, etsi certè semper memor, gratusq; omnium, unius tamen specialiter, aliquando meminit. Psal: 4. 7. inquiens; *Signatum est super nos, lumen vultûs tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* In quibus verbis alludere videtur ad illam pulchritudinem, in qua conditus fuerat primus homo; ad imaginem s. vultûs Creatoris sui; quæ pulchritudo plurimùm elucebat tam in corpore, ratione doni impassibilitatis, & incorruptibilitatis; quàm etiam in anima, ratione gratiæ seu justitiæ originalis. Sed in brevi, tam præcellentis pulchritudinis vultus & FACIES, afflatu Stygij Serpentis fædè immutata est. Dùm enim Primi Parentes Nostri intumuerunt, contraxerũtq; contra DEUM facies suas, & ad esum vetiti pomi, sat patulè aperuerunt rictus suos; primam illicò, nullis sæculis abolendam, sibi posterisq; suis, superinduxerunt rugam; originale videlicet peccatum; quod primævam illam creationis FACIEM fædissimè deturpavit, & nunc in quolibet ex filijs mulierum deturpat. Hoc tetigit S. Bernard: Ser: 72. Psal. Causa rugæ originalis. Bern:

in Cant: scribes: *Portamus (inquit) omnes, impressum nobis cauteriū conspirationis antiquæ.* Vulgò dicitur: *Istæ rugæ, non sunt nugæ.* O quàm justiùs id dicendū venit, de hac prima generis humani ruga! nugando enim Eva cum veternoso Serpente, hanc nobis superinduxit rugam; quam in depravata natura, mille aliæ sequuntur, propter actualia peccata, in quæ jam facilè prolabitur homo: atq; sic magis & magis in dies deformior evadit, tam in corpore, quàm in anima. Primum videamus.

Rugæ, non sunt nugæ.

Probatur Scripturaliter.

6. Ea est cujuslibet peccati malignitas, quòd non tantùm animæ, (cujus ipsa & principium, & subjectum est) noceat, ipsamq; deturpet; sed in corpus quoq; virus suum diffundat. Fit etenim, quòd cùm indomitis passionibus, præsertim voluptuosis, frequenter agitatur homo, eisq; indulget, elanguidum corpus nimis præmaturè senescat, & quasdam in Facie contrahat deformitates, atq; rugas. Audio etenim S. Judam Apostolum in sua Canonica, taliter de carnalibus peccatoribus disserentem: *Hi carnem quidem maculant; dominationem autem spernunt.* Deinde S. Paulum 1. Cor: 6. 18. *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat:* Quæ verba dùm interpretatur Doctor Angelicus addit. *Id est, corrumpendo illud, & inquinando.* Ante hos autem jam dudùm Prov: 2. 18. de fæmina in carnis voluptates effusa, dixerat Salomon. *Inclinata (inquit) est ad mortem domus ejus.* In quæ, Cajetanus scribens, ait: *Nomine domûs, benè intelligitur corpus, quod inhabitat anima: Habitamus (inquit Paulus) domos luteas.* Unde, sicut inclinatæ domûs ad ruinam, evidentissima signa sunt scissuræ parietum, & inæqualiter protuberantes anguli; ita rugæ illæ, quas carnalibus peccatis dediti, citò in Facie contrahunt, testes sunt, quòd inclinata sit ad mortem vita illorum, & quòd nimis præmaturè consenescentes, ibunt ad portas mortis, (utinam non inferni) in dimidio dierum suorum. Quod ipsum comprobatum habeo, ab ipsismet illis effrenatissimis, in omne libidinis nefas, juvenibus; dum præsago quodam futurorum spiritu, infausta

Jacob. *Corin.* *Thom:* *Prov:* *Cajet:*

Libido, corpori nocet.

sibi

sibi brevi mortis imminentis nuntia vaticinantes, subaudio. Isaiæ 22. 13. *Manducemus (inquiunt) & bibamus, cras enim moriemur.* Isai.

Idem omninò, prædixit Ecclesiasticus, eventurum illis, qui iracundiæ, odij, invidiæ, persæpè exagitantur furijs. ait enim c. 30. 36. *Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducit cogitatus.* Universaliter tandem, superiùs jam nominatus Salomon, ad omnes pravis indulgentes desiderijs, prædictam præmaturi senij extendit pœnalitatem. Ubi enim ad finem undecimi capitis, adolescentem quendam commonuisset; inquiens: *Aufer iram à corde tuo, & amove malitiam à carne tua.* immediatè sequens caput, cum magna energia & emphasi orditur; taliter eundem affatus: *Memento Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni; de quibus dicas: Non mihi placent.* Per quos afflictionis annos, intelligit senectutem: cujus vitia, molestias, & ærumnas perquàm ingeniosè descripsit idem ibidem, sub diversis ænigmatibus: s. tenebrescentium luminarium, commotionis custodiæ domûs, diminutarum & otiosarum molarum, obsurdescentis filiæ carminis, florentis amygdali, impinguatæ locustæ, dissipatæ capparis, rupti argentei funiculi, hydriæ contritæ, confractæ rotæ super cisternam; & tandem vittæ aureæ contractæ: quæ ænigmata solertèr exposita apud Corn: à lap: videre est. Unum, brevitatis gratiâ, hic tango: s. vittam auream contractam; per quam ille putat significari involucrum cerebri, seu membraneam illam delicatissimam; quam vocant Anatomici, Piam Matrem: hanc etenim, (ut Medici docent) cùm per nimiam frequentemq; libidinem læditur & minuitur cerebrum, necesse est contrahi; & exinde homo libidinosus acquirit calvitium, & quasdam capitis rugas; quas postea, etiam in Facie ipsius, cernere est non infrequenter. 7. Eccl: Ira, minuit vitam. Eccl: Senectutis mala, sub pulchris ænigmatibus. Cerebrum minuitur venere.

Et hoc utinam tam præclarus Magister in seipso nunquam fuisset expertus! sed miser ille, dum similiter in libidinem se totum effudit, etsi cæteris hominibus meliùs complexionatus, floridusq; ac formosus fuerit, citò tamen frequenti libidine enervatus, emarcuit, elanguit, atq; sic præmaturus senecio factus, maculas & rugas contraxit: 8. Salomonis nimis præmatura senectus. cur?

 de

Eccli. de quibus fortè arguitur ab Ecclesiastico. c. 47. 22. *Dedisti maculam in gloria tua.* Vix enim (ut notat Lyran: Abul: ap: Cornel: in Reg: 3. 11.) sexagesimum annum ætatis attigit, Vir tam perfecti temperamenti, & quidem in potentatibus, providissimè juxta infusam sibi rerum naturalium notitiam, nutritus & victitans; nihilominùs de ipso, adhuc tum fortè quinquagenario scriptum, tanquam de octogenario legimus: *Cùm autem esset Senex, depravatum est cor ejus per mulieres.* Vnde optimè ad rem nostram S. Chrysost: hom: in illud: *Nemo læditur, nisi à seipso:* ait: *Qui in libidine vitam ducunt,* Chrys: *resoluta quidem corpora, & omni cerâ molliora circumferunt, atq; agmine quodam infirmitatum repleta; quousq; ad cumulum malorum, immatura senectus succedat.* En ô miser & voluptuose homo! habes ex S. Scriptura, stipendia peccati tui; deciduum s. ante tempus, juventutis tuæ florem, præmaturum senium, & deformes faciei tuæ rugas: opprobrium grande juvenilis ætatis, & infame testimonium incontinentis vitæ tuæ. Sed jam videamus rugas alias, quas in conscientia etiam, contrahit peccatoris anima.

Probatur Figuralitèr.

9. Prodigiosum illud patientiæ exemplar Job, tàm in persona sua, quàm veriùs, in persona cujusdam afflictissimi peccatoris, non tam de ulcere pessimo, quo percusserat eum, indulgente DEO, satanas, quàm de quibusdam molestis rugis, quæ deformaverant FACIEM illius, olim conquestus est; eò præsertim, quòd ipsum, quasi peremptoriè ad supremum Tribunal citatum, reatûs cujuspiam accusassent, rugæ illæ; accusatores simul & testes contra ipsum factæ. Job: Ait enim c. 16. 9. *Rugæ meæ, testimonium dicunt contra me.* Ludov: Carthus: per FACIEM, intelligit conscientiam hominis; per rugas verò FACIEI hujus, non abs re intelligo, reatus culpæ; qui simul & deturpant, & accusant conscientiam animæ. Gravissimum porrò est convinci aliquem in judicio, à domesticis testibus vel accusatoribus: unde jam non miror, hoc testimonium rugarum conscientiæ, fuisse Jobi, cæteris molestius.

Facies hominis; conscientia ejus.

Sed

Sed quænam, rogo, in tam laudatissimo ipsius DEI ore Viro, poterant reperiri reatuum rugæ? Numquid ille, summis etiam adversitatum jactatus procellis, contraxit aliquando impatienter frontem suam? minimè. Nam scriptum est. *In omnibus his, non peccavit Job.* Numquid egenos pauperes rugatâ in foribus suis salutavit FACIE? nequaquam: Non enim auderet mentiri DEO: dicens: 33 18. *Mecum crevit miseratio, & de Utero Matris egressa est mecum.* & c. 29, 15 *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Aut fortè divitijs, honoribus, sapientiâ præcipuus Vir, & ideo inflatus intumescens, toruo cæteros respexit vultu? non certè: demissâ enim & humili mente frequenter ajebat illud. *Semper quasi tumentes super me fluctus, timui DEUM.* Quas ergo tamen reatuum rugas hic ille innuit? 10. Iobtis pietas. c. 31, 23.

Equidem, si præfata verba in personam ipsiusmet Jobi refundantur & ponderentur; cùm de personali, saltim gravioris culpæ reatu, pientissimus iste Vir, nullatenùs possit convinci, nihil restat dicendum; nisi eum loqui de ruga illa antiqua, originali s. culpæ, & de fragilitatibus consequentibus ad illam; quibus marcidam FACIEM animæ suæ cernens, dolenter dixit: *Ruga mea, testimonium dicunt contra me.* Quòd si autem illa verba in persona alterius allegoricè protulerit: ut censent nonnulli apud Tilmanum in Sylv: Alleg:; tunc per rugas intelliguntur actualium peccatorum culpæ; quibus peccatores deformant FACIES, id est, conscientias suas: quoties enim homo mortalitèr peccat, toties novum & turpe stigma, atq; vulnus imprimit animæ suæ, juxta illud Prov: 8. 36. *Qui in me peccaverit, lædet animam suam.* Quod tamen specialiter intelligendum venit, de peccatis fidelium Christianorum; qui jam abrogatâ illâ originalis culpæ rugâ per regenerationem Baptismi, novis postea actualibus culpis, novas animæ suæ superinducunt rugas; quæ longè magis, quàm infideles, defædant illos: idq; ob quoddam vitium hypocrisis, imbibitum quasi cuilibet peccato fidelis hominis; quam hypocrisim, vocat S. Greg: l. 13. Moral: 5. turpissimam Ecclesiæ DEI rugam. Verba ipsius ex Sylva Alleg: pono: *Ruga dupli-* 11. Prov: Turpe stigma animæ peccatum.

duplicitatem simplicitati contrariam designare possunt. Et rugæ S. Ecclesiæ per Job designatæ, sunt omnes, qui in ea vivunt dupliciter: qui fidem vocibus clamant, operibus denegant.

12\. Et meritò sanè peccata fidelium sub titulo Christianitatis sceleratè viventium, rugæ dicuntur; sicut quippe formosæ cujusq FACIEI, magnum dehonestamentum sunt rugæ; ita peccata à fidelibus perpetrata, summè deturpant FACIEM; eamq; triplicem. *Prima* FACIES, est ipsa illa FACIES & Species seu Figura Patris; speciosus ille formâ præ filijs hominum s. CHRISTVS JESVS, Caput Ecclesiæ & Christianorum. Hanc ergo splendidissimam FACIEM, ô Christiane! operis confusione & totidem inficis rugis, quot scelera sub nomine Christiani abscondis: siquidem vita tua, opprobrium fit tui Capitis & tuæ FACIEI; qui est Christus. Audi S. Hier: *CHRISTUS est Sapientia, justitia, veritas, Sanctitas; negatur per insipientiam, sapientia; per iniquitatem, justitia; per mendacium, veritas; per turpitudinem, sanctitas; per imbecillitatem, animi fortitudo.*

Peccatum deturpat faciem triplicem. Christi. Hier.

13\. Altera FACIES, est FACIES Sponsæ Christi; quæ est Ecclesia ejus: hanc autem Sponsus ejus vult esse, ut ait S. Paul: Ephes: 5. 27. *Non habentem maculam aut rugam*: vetustatis (intellige) & peccati. Rugæ itaq; istæ ipsi inducuntur, quando illi qui sunt membra Ecclesiæ, difformiter ad leges Christi, & ipsius, vitam suam componunt: Quàm verò amaræ, & quàm molestæ, hæ rugæ sint Ecclesiæ DEI, intellige ex S. Bernardo; qui Ser: 33. in Cant: ita ait: *Olim dictum est, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace, amaritudo mea amarissima. Amara fuit Ecclesia in nece Martyrum, amarior post, in conflictu Hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum.*

Paul: Ecclesiæ. Bern:

14\. Tertia tandem FACIES, est ipsius peccatoris conscientia: quæ tantò deteriora accipit vulnera, fædioresq; contrahit cicatrices, quantò graviora esse censentur peccata fidelium, quàm infidelium. De quo Salvian. l. 4. de Prov: *Ideò Christiani deteriores sunt, quia meliores esse deberent; non probant, quod confitentur, & impugnant professionem suam moribus. Magis damnabilis est malitia, quam titulus*

Conscientiæ. Salvian.

lus bonitatis excusat; & reatus impii, est pium nomen. Similiter S. Thom: Villan: Dom: 3. Adu: *Evangelio tam confirmato, & probato tot testimoniis non credere, grandis obduratio & pertinacia est: sed credere & profiteri, & opposito modo vivere, major insania est.* Hujus rugæ turpitudo quanta sit? vel ex pœna speciali, quâ post mortem à DEO Vindice expiatur, etsi nunquam abolenda, colligere licet in exemplo.

Thom: Villa. Peccata Christianorum graviora, quàm infidelium.

Probatur

Historicè.

Seraphicus Noster Doctor Ser: 1. in Cath: Petri; versans præsentem materiam circa enormitatem peccatorum, quæ à Christianis committuntur: adducit exemplum S. Macarij Eremitæ: hic aliquando meditabundus obambulabat in deserto, casúq; incidit in aliquod hominis mortui cranium; & cùm illud interrogasset cujusnam esset? audivit miraculosè sibi ab illo responderi, se esse cujusdam idolorum Sacerdotis, in gentilismo, ante multos annos demortui. Interrogatum verò denuo, an in inferno sub se inferiores haberet, qui acerbiùs torquerentur? respondit: sunt quidem nobis inferiores Judæi, qui Dominum cognoverunt, & legem ab eo acceperunt: & adhuc inferiores cæteris mali Christiani sunt, qui redemptionis beneficium agnoverunt, & ex hoc ingrati fuerunt. Hinc est, quòd quidam illuminatus DEI Servus dicere consueverit. *Ad infernum Pagani, ad infernum Turcæ, ad infernum Atheistæ, ad infernum Hebræi; at verò ad profundissimum inferni barathrum, mali Christiani.* Proindè sat patheticè S. Thom: Vill: Conc: 2. de Nativ: alloquitur illos Christianos, qui sub tali nomine, hanc turpem rugam, Christo, Ecclesiæ & suæ conscientiæ, infligere non erubescunt. *Cur (inquit) Christi doctrinam amplecteris, & vitam contrariam agis? nomine Christianus, vita mundanus? O nimiam cæcitatem! ô maximam mundanorum stoliditatem! Christo applaudunt vocabulo, & opere contradicunt; quasi non ipse, cùm venerit, veros à falsis noverit discipulos separare.*

15.

Calvaria mortui loquitur.

Major damnatio malorum Christianorum.

Thom: Vill.

PARS

PARS. II.

SS. MARIA, sine ruga originali.

16. Legitur inter Antiquiorum Poëtarum tradita, de illa, apud Græcos commendatissima ex venustate vultûs, Helena, quæ quondam à Paride rapta, Trojæ excidium intulerat; quòd dum postea provectior ætate facta, se ipsam in speculo contemplata fuisset, & contractæ cutis signa, rugasq; prodromas imminentis sibi senectæ advertisset; in lacrymas resoluta, simulq; admirabunda, ex circumstantibus quæsiverit: inquiens: Quid est, quòd tam famosa Regna, pro formæ meæ pulchritudine in tantùm decertârint? De quo sic Poëta. Flet quoq; ut in speculo, rugas aspexit aniles,

Helena plorans, visis in facie rugis.

Tyndaris, & secum, cur sit bis rapta, requirit.

17. Eandem, vel similem lamentabilem Scenam, in nobismet ipsis peragi conspicimus; vel, quod veriùs, ejus tragædi sumus. Natura enim nostra primò condita, quasi pulchra Helena fuit: Inerat quippe ei vel illa originalis in Capite Nostro Adam, vel singulariter loquendo, sacro jam renatæ in fonte baptismalis justitiæ pulchritudo & decor; quæ in tantùm cor Filij DEI rapuerat, ut pro illa cum inferno usq; ad sanguinem & mortem decertaverit. Nunc jam, tam eximia pulchritudo naturæ in nobis, turpibus, aut personalis, aut originalis culpæ obducta est rugis: Amarè utiq; omnes deploramus infelices nostras vices, cum David gemendo: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* 50. 4. Id unicum naturæ nostræ lugenti solatium esto; quòd decor ejus non in totum immutatus sit: siquidem vel saltim unam tam pulchram habeamus Helenam, SS. s. MARIAM, quæ decus nostri generis facta; uti ei in sua prædulci Melodia, Regius Noster Vates D. Casimirus occinit: *O cunctarum fæminarum decus, atq; gloria!* nunquam senio veteris Adæ infecta, & originalis rugæ omninò ignara, pulchram nimis, perfectissimâq; exornatam gratiâ, in Conceptione sua exporrexit FACIEM. Quam diligentiùs & reverenter contemplemur, primò in Sacra Scriptura.

Psal:

Maria, pulchrior Helena. cur?

Casim.

Proba-

Probatur

Scripturaliter.

Plura quidem adnotata in Sacra reperiuntur Scriptura, per quæ probari posset, FACIEM SS. MARIÆ, (per quam ex allegatis supra rationibus, intelligo primum punctum vitæ seu Conceptionis ipsius) immunem fuisse à ruga originalis peccati. Tria pro nunc tãtummodo tango ex illis, quæ in cõmendationem excellentis pulchritudinis FACIEI ipsius, observavit eadem S. Scriptura in vultu MARIÆ. Quorum primum sit, quòd FACIES, seu vultus ipsius dicatur admirabilis; idq; ratione pulchritudinis. Sic enim de ipsa Salomon. Cant. 1. 9. *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Et iterum c. 2. 14. *Facies tua decora.* Nonnulli SS. Patrum ex prætactis verbis colligunt, B. V. MARIAM fuisse eximiæ pulchritudinis, quoad corpus, & in sua specie, atq; sexu perfectissimam, formosissimam: ad cujus conspectum, dum S. Dyon: Areopagita à S. Joanne Apostolo deductus fuisset, fassus est, (ut testatur Dyon: Carthus: 1. Sent: d 16. q. 2.) quomodo sublimitate, & gloriâ ter venerandæ FACIEI ejus perculsus, præ stupore in terram corruerit, & tandem reversus ad se dixerit: *Nisi ex ratione & fide cognoscerem invisibilem esse DEUM, non aliam putarem Deitatem, quàm Virginem hanc sublimem.* Cæterùm principalis expositio horum locorum Scripturæ apud Commentatores currit pro explicanda interna pulchritudine & venustate SS. MARIÆ: videlicet de eximia, & nemini ex puris Creaturis concessa gratia, animæ ipsius speciali privilegio communicata.

18. MARIÆ Facies, ex tribus commendabilis.

Cant: MARIÆ Facies admirabilis.

Dyon:

Alterum, quòd de FACIE MARIÆ annuntiat Scriptura, est, quòd fuerit desiderabilis: Tædiosè enim loquentem ad eam Sponsum, in ijsdem Cantic: 1. c. 4. audio: *Ostende (inquit) mihi FACIEM tuam.* Et iterum 6. 12. *Revertere, revertere, ut intueamur te.* Patet, hæc posteriora verba, non unius fuisse, sed plurium, tædiosè nimis expectantium obtutum MARIÆ. quod advertit Richard: Laurent: l. 3. de laud. V. dum ait: *In hoc, quod dicitur, intueamur te, notatur TRINITAS personarum.* Primò ergò (ut idem devotus Author sentit) B. Virgo fuit desiderabilis ad videndum, oculis ipsius DEI, Unius & Trini; qui ejus humili-

19. *Cant:* MARIÆ Facies desiderabilis.

Richard:

militatem respexit, & cujus speciem semper desiderat intueri. Sicut dicitur Psal: 44. *Et concupiscet Rex decorem tuum:* Secundò, fuit desiderabilis oculis Angelorum; qui in eam, sicut & in Filium ejus, per quàm desiderant aspicere. Tertiò, oculis hominum: *Creditur enim* (inquit idem Richardus) *quòd ferè nullus potuerit illam intueri; quamdiu fuit in hoc mundo, qui eam statim non amaret; nunquam tamen fuit malè adamata.*

Psal. — Richard:

20. Tertium encomium FACIEI MARIÆ adstruit S. Scriptura: quod s. fuerit *Venerabilis*. De quo audio vaticinantem Regium Prophetam Psal: 44. Ubi cùm explicuisset desiderabilem pulchritudinem MARIÆ: (illi enim præcipuè servit allegatus Psalmus) per illa verba. *Et concupiscet Rex decorem tuum.* Subdidit: *Et filiæ Thyri in muneribus, VULTUM tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Quæ verba Thom: Blanc: hunc Psalmum de excellenti SS. MARIÆ pulchritudine exponendo, per divites plebis, intelligit primò Angelos; secundò omnes Sanctos excellentioris virtutis, & meriti; tertiò Reges & Principes. Porrò deprecari vultum, nil aliud est, quàm ex recognitione vilitatis suæ, & simul excellentiæ alterius, eum demissè venerari. Deprecantur ergo toties VULTUM MARIÆ, omnes divites plebis, scilicet, Angeli, Viriq; Sanctissimi atq; Principes, quoties ob excellentiam ejus, quâ præcellit omnem puram creaturam, summè illam æstimant, venerantur, & adorant; cultu illo, qui apud Theologos, dicitur, hyperduliæ: sed tamē specialiter, tum, quādo primò in orbe, quāvis adhuc sub Uteri Materni peplo, apparuit VULTUS iste venerandus MARIÆ: s. in Concep: ejus: tùm tēporis etenim, etiam perfectissimæ Creaturæ, conscia sibi vel originalis culpæ, vel ad summum, aliquando peccabilitatis suæ; (cum qua fuit creata etiam natura Angelorum, jam nunc confirmatorum in gratia) venustissimos suos operiunt & demittunt; deprecantes vel potiùs deprædicantes VULTUM MARIÆ, utpotè illius, quæ sine nota cujuscunq; nedùm peccati, sed peccabilitatis etiam proximæ, prima, & sola apparuit, dùm conciperetur.

MARIAE Facies venerabilis. — Psal: — Blanc: — Vultum deprecari, quid est? — Angeli peccabiles creati.

21. Ex hac itaq; FACIEI MARIanæ panegyri ex S. Scriptura desumpta; hoc est, quia fuit admirabilis, desiderabilis, venerabilis;

lis; sic arguo: si Facies MARIÆ, (ut supra dixi) denotat primum instans Ortûs seu Conceptionis ejus, jam ex hoc ipso liquidò colligere licèt, eam in sui Conceptione apparuisse cum admirabili & excellentissima pulchritudine; adeoq; sine omni ruga. Hanc consequentiam videtur inferre ipse Salomon: dum capite primo, & secundo Canticorum, per omnia adminicula speciositatis, Panegyrim Sponsæ graphicè describit; idq; sumpto exordio, à facie ipsius; & tandem quasi omnia concludendo, dicit: *Tota pulchra amica mea, & macula non est in te.* Cant: 4. 7. Omnes quippe conspirant Interpretes, hîc ex Persona appellari SS. MARIAM; & præsertim devotissimus Idiota; dum sic istum explicat textum. *Tota pulchra es, & ò plusquam, gloriosa Virgo MARIA. Tota pulchra es, & macula non est in Te: Tota pulchra es in Conceptione, ad hoc solùm effecta; ut Templum esses DEI altissimi. Tota pulchra es, non in parte, sed in toto, & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in Te, nec unquam fuit, neq; erit.* Apage! itaq; quisquis in venustissima Facie, s. in Conceptione MARIÆ, rugam quampiam te videre cogitas; quomodo enim tota pulchra, si vel in parte rugosa?

Cant:

Idiot.

Probatur

Figuraliter.

Inter illa quatuor elegantissima; quamvis valdè obscura, nec ab ipso Sapientissimo Salomone sufficienter intellecta, proposita ænigmata, unum lego, de via cujusdam colubri super petram: ita enim ipse loquitur. Prov: 30. 19. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro: viam Aquilæ in Cælo: & viam colubri super petram. &c.* Si de literali sensu agitur; rationem difficultatis, quotidiana suggerit experientia; nam cùm super mollem terram, vel tenuem arenam serpit coluber, rugas quasdam terræ imprimit, & vestigia motûs sui relinquit; secùs autem fit, si super duram gradiatur petram; nam quamvis mille gyros faciat, nullatenus vestigabilis erit. Cæterùm, si allegoricum perquiramus hujus loci Scripturæ sensum, hic longè difficilior est, & in diversas explicationes facit abire Interpretes. 22.

Ænigma Salomonis.

Prov.

Mihi pro tunc placet Did: Báèza in Evang: l. 1. c. 4. §. 15. 23.

Qui per colubrum, intelligit illum astutum paradisi Serpentem; alias personatum dæmonem; per terram mollem & arenosam, intelligit Adamum & Evam; qui etsi creati fuerint in perfecto decore naturæ & gratiæ; adhuc tamen molles, quia peccabiles erant. Per petram autem intelligit Christum, & SS. Ma-
Corn. trem ejus. De Christo dicitur 1. Cor: 10. *Petra autem erat*
Petra est, Christus & Maria. *CHRISTVS*. De SS. verò MARIA, omninò verificandum illud Isaiæ 16. 1. *Emitte Domine agnum, dominatorem terræ de petra deserti.* Petra autem dicitur SS. MARIA, specialiter ex ratione impeccabilitatis, seu immutabilis voluntatis suæ: quod privilegium primariò & per se competit Christo, à Christo autem communicatum est MARIÆ; quam amantissimus suus Filius, voluit esse lapideo rigore adversùs peccatum, & ejusdem planè
Guerr: immutabilitatis secum. Quod docuit Guarricus Abb: Ser: 2.
Impeccabilitas privilegium Mariæ. de Annunt: dùm ita fatur: *Hic ergò Petra CHRISTVS, ut ait Apostolus, non degenerat à Matre Filius; quando & ipsa, petræ nomine censetur: an non rectè vocatur petra, quæ & in amore integritatis, proposito firma, affectu solida, sensu quoq; ipso adversùs illecebram peccati, tota insensibilis erat & lapidea.*

24. Porrò tortuosus ille paradisi coluber, facilè Protoparentum Nostrorum deformare poterat, uti & deformavit, pulchritudinem: quia molli illi terræ vestigia sui, & rugas imprimere va-
Ambr: luit, & defacto impressit: ut notavit S. Amb: l. de Salom: c. 2. scribens: *Diabolus in ipsis natalibus mundi invenit corruptibilem terram Adam & Evam, libenter audientem, quæ eis locutus est; fecit in auribus semitam, fecit & in pedibus, fecit & in manibus, à quibus contrectata sunt poma.* Et cùm jam coluber iste, universam speciem generis humani, gyris suis sulcando, turpiter deformasset, ventum tandem est ad Petram s. CHRISTUM & MARIAM; sed neutri illorum ullas rugas, vel vestigia imprimere, imò nec gyris suis vel minimùm attingere eos valuit; idq; ob insignem in utroq; prærogativam impeccabilitatis. De
Baeza. quo verba citati supra Commentatoris appono: *Etenim Adamus, quà terra, serpentis impressionem accepit; verè petra CHRISTVS, qui ut ideò à Matre non degenerat, sic Mater & Filius, petra & petra, primævi Serpentis vestigia minimè receperunt.* Specialiter autem

tem ad ipsam SS. MARIAM hunc locum Scripturæ applicando Richar: Laur: l. 8. de laud. V. sic inquit: *Hæc est petra, super quam non est inventum vestigium colubri seu Diaboli.* Richard.

Hoc autem privilegium impeccabilitatis, etiam pro primo puncto Conceptionis MARIÆ, luculentèr asserit & astruit ipsi doctissimus Theologus Franc: Suarez in 3. p. Tom. 2. Sec: 4. dicens: *Virginem non fuisse minùs impeccabilem in prima Sanctificatione, quàm fuerit post secundam sanctificationem; quam adepta est, cùm concepit DEI Filium: nisi dicas, post Incarnationem fuisse magis impeccabilem: quia actu jam habebat dignitatem Matris DEI; cui velut ex natura rei, debita erat hæc gratia s. plenitudo gratiæ, in tota latitudine gratiarum ab homine participabilium; intra quas continetur & in primo Conceptionis ejus instanti collata gratia inamissibilis, quæ eam redderet impeccabilem.* 25. MARIÆ impeccabilitas concreata.

Quod si ita est, s. quòd SS. MARIA statim in primo Ortu suo, ratione inamissibilis gratiæ, solida petra fuerit, jam facilè colligere est, procul ab ea Stygium colubrum cum gyris suis fuisse, nec ulla peccati vestigia, rugasq; in ipsa imprimere potuisse: atq; sic FACIEM SS. MARIÆ s. Conceptionem ejus, speciosissimam, & sine ruga originalis labis, felicitèr in medio purarum Creaturarum apparuisse. De quo, quis etiam sit sensus SS. Patrum? videamus. 26.

Probatur

Doctoralitèr.

S. August: Serm: de Incarn: Speciosæ formæ SS. MARIÆ pulchritudinem describens, omnem in ipsa rugam, & maculam negat, ita enim fatur: *Tu tota pulchra, tota formosa, tota delectabilis, tota gloriosa: Tu macula non fuscaris, tu super omnes virtutes sancta in carne, tu cunctas fæminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos Spiritus, excellentia sanctitatis.* 27.

S. Amphilog: Sydæ Episc: Orat: de S. DEIp: *MARIA est FACIES divinè fulgens, admodumq; gratiosissima.*

Seraphicus Doctor S. Bonav: rythmicè venerandum vultum MARIÆ sic deprecatur.

Ave Virgo cujus vultus *Mores, modus, forma, cultus;*
Cuncta placent ad perfectum: *In Te nihil est neglectum.*

Notanda Doctoris verba *Cuncta placent ad perfectum*: quomodò à vultu MARIÆ, ſeu interna pulchritudine ejus, omnem removent imperfectionem, maculam atq; rugam.

S. Petrus Damian: Ser: 3. de Nativ: *Quid enim ſanctitatis, quid juſtitiæ, quid perfectionis ſingulari huic Virgini deeſſe potuit; quæ totius Divinæ gratiæ chariſmate plena fuit? quod rogo vitium in ejus mente, aut corpore vendicare ſibi locum potuit, quæ inſtar Cæli plenitudinis, totius Divinitatis meruit eſſe Sacrarium.*

Richar: à S. Laur: l. 5. de pulchritudine MARIÆ quoad corpus & animam, ita diſſerit: *Tota fuit pulchra, in carne puritate Virginitatis, & in voluntate perfectione actionis, & in mente conſummatione ſpeculationis. Et nec in carne habuit maculam contagionis, nec in mente rugam duplicitatis.*

Hugo de S. Vict: ap: Buſt: Marial: P. 1. S. 4. *O Virgo MARIA! antiqua illa Eva, nominis tantùm, non lepræ te reliquit hæredem, quæ nec maculam, nec rugam habuiſti, quæ unguento egerent; ſed unguenta gratiæ accepiſti, ut ſpeciem tuam, & formam commendarent.*

Ivo Carnoten: de Nativ: uſus illo decantatiſſimo D. Anſelmi dicto; *Decuit MARIAM eâ puritate nitere; quâ major ſub DEO nequit intelligi.* Sic ad rem noſtram fatur: *Ut eâ puritate (MARIA) niteret, quâ major ſub DEO nequit intelligi, omnem nævum, tam originalis, quàm actualis culpæ in ea Dominus delevit.* Ly *Delevit*: intellige accommodè ſ. de deletione præſervativa.

Claudius Rapineus Cæleſt: Ser: 2. de Concep: ap: Polyanth: Marianam. *MARIA amica DEI, tota pulchra ſine ruga, ſine labe, ſine macula, tota formoſa, & ſuavis abſq; delicto, tam actuali, quàm originali.*

Probatur

Miraculosè.

28. Eruditiſſimus atq; in Sacris Canonibus verſatiſſimus Doctor, Bernardinus de Buſto; & ex ipſo, non minoris doctrinæ ac nominis Carthagena, miraculoſam quandam apparitionem D. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici referunt in ſuis Tractatibus de Imm: Conceptione. videlicet: Cùm Dominus Fautinus Epiſcopus Patavij, devotus B. Virgini, legeret tertiam partem Summæ D. Thomæ, & miraretur, quòd tam Sanctus piuſq;

usq; aliàs in MARIAM Doctor, determinaverit ibi, Beatissimam Virginem fuisse conceptam in originali peccato: cogitanti talia, apparuit S. Thomas, & dixit: Scias Domine Episcope, quòd quando talem opinionem posui, solùm habui respectum ad Divinum statutum, quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per Filium suum fuisset præservata: sed DEI Filius Matrem suam ab originali macula præservavit. Hisq; dictis disparuit. Ipse verò Episcopus, quoad vixit, cum magna solemnitate Festum Immac: Conceptionis celebravit, & deinceps in suo Episcopatu celebrari præcepit. Noveris quæso pie Lector, quòd plures doctissimi Scriptores, etiam ex Almo Ordine PP. Prædicatorum, solidis rationibus vindicent S. Doctorem Angelicum à calumnia, quam ipsi, nonnulli ex suis, imponunt, quasi ipse alicubi contra originalem innocentiam SS. MARIÆ absolutè determinasset. Quia itaq; in alio supposito & statu, de hac materia sparsim in opusculis suis scripserat S. Doctor, quæ ultra intentionem ipsius, à nonnullis discipulorum ejus violenter trahebantur, ut rugam hanc originalis labis, Matri DEI actu infuisse, probarent; minimè hoc in discipulis suis pati voluit S. Doctor; sed vel ideo miraculosè apparens, mentem suam, sensumq; suæ doctrinæ de plano aperuit, ut rugam hanc etiam imputativam, à Matre DEI amoveret. utpotè non degener Magni & Sanctissimi sui Patriarchæ Dominici filius: qui ut refert Canisius l. 1. c. 7. de B. V. piam hanc pro Immac: Conceptione MARIÆ sententiam expressè professus est: in Tract: de Corpore Christi, ita inquiens: *Sicut primus Adam, fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta terra formatus: ita decuit in secundo Adam fieri.*

Apparitio S. Thomæ Aquinatis in favorem Immac: Conc: B. V.

S. P. Dominicus assertor Immac: Concept: B. V. M.

Probatur

Scholasticè.

THEOL: Sponsa Christi non tantùm dicitur Ecclesia DEI, quam sibi Christus desponsavit in sanguine; sed etiam, & quidem principaliter, SS. MARIA appellatur Sponsa Christi: ita ut simul, etsi diversis respectibus, sit & Mater, & Sponsa ejus. Unde SS. Patres totum illud Epithalamicum Canticum Salomonis, exponunt & applicant SS. MARIÆ, ut Sponsæ Christi; 29.

MARIA simul Sponsa & Mater Christi, cur?

Ricar: cujus rei pulcherrimam subjungit rationem Richar: Laur: l. 6. *MARIA Sponsa Filij, quia in matrimonio solent fieri donationes: Uxor enim dat aliquid Viro propter nuptias, & Vir dotat Uxorem. Dedit enim MARIA Christo carnem suam de carne; Ipse verò dedit illi quasi duplicem dotem, gratiam primò, & gloriam in excelsis.*

MARIAE dos Sponsalitia, Concep: Immac: Atqui Spõsus Christus, secũdariam Sponsam, s. Ecclesiam, voluit esse (ut ait S. Paulus) sine macula & sine ruga peccati; ergò à fortiori primariam Sponsam SS. MARIAM, voluit esse sine ulla macula & ruga; adeoq; sine originali peccato.

30. Animal bile carens diu vivit. *PHILOS:* Physicorum illorum, qui Medici vocantur, asseritur esse doctrina, quòd animalia, quæ bile carent, non senescant, nisi valdè tardè; ut experientia probat in cervis, corvis, columbis; quorum ætas solet esse longæva; magis quàm cæterorum animalium. Hinc ijdem Medici observant, formosissimas etiam fæminas, si nimiùm bilosæ & iracundæ sint, facilè rugas in facie contrahere, senescereq; citiùs, quàm oporteat, & ipsæ desiderent. Sanè jam luculentèr sub Litera C. *Tit: Columba*, probatum esse memini, Beatissimam Virginem MARIAM, caruisse bile Adamicâ; utpotè illam, quæ dicitur speciosissima Columba, Unica, Amica, Soror, & Electa Genitricis suæ, Sancti videlicet Spiritûs. Quod si ita est; quomodo itaq; poterat FACIES seu Conceptio ejus, contrahere has rugas, originalis labis, & fæda vestigia, senij veteris Adæ? quas nonnulli in tanto pulchritudinis Archetypo, se vidisse imaginantur.

31. Pomum cum inscriptione: Pulcherrimæ debetur. *SYMBOL:* Quidam alludendo ad illud Paridis funestum duobus Regnis pomum; quod ipse uni ex tribus Deabus s. Veneri, & si suo, suæq; Patriæ damno adjudicaverat; depinxit Pomum illud aureum, cum inscripto Lemmate tali; *Pulcherrimæ debetur.* Portò B. V. MARIA Cant: 7. 13. in persona sua, ore Sponsæ de quibusdam præstantissimis pomis narrat: eaq; deprædicat. Cant: *In portis (inquit) nostris, omnia poma.* Ubi per Portas, initium vitæ, seu instans Conceptionis, per poma verò virtutem immaculatam, intelligit Noster Poëta Academicus; dum tali in præfata verba, carmine ludit.

In vitæ portis, funestæ noxia mortis
Poma homini, sine Te, culpaq; styxq; fuit.

Portis

Porta meæ vitæ, tecum fuit. inde salutis
Poma mihi, virtus immaculata fuit.

Ipsum hoc Lemma: *Pulcherrima debetur* innuebat tacitè, quòd Beatiss: Virgo MARIA, exquò tam eximio originalis justitiæ fuit donata honorataq; pomo, eo ipso demonstratur, illam in suo Ortu apparuisse omnium mulierum pulcherrimam, & nullâ rugâ peccati infectam. 32.

POET: Tu mihi ab æterno placuisti Regia Virgo.
In Te Rex Regum, cordis amore feror.
Si te deperii pulchram, tuus ipse Creator,
Quæ FACIES animæ, quamq; decora Tibi?
Omni momento fueras purissima vultu:
Omni momento, non Tibi RUGA fuit.
Te decus electum, mea gratia fecit, amorq;
Quo, post me, voluit pulchrius esse nihil.

PROG: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.*
ANAG: Speciem à natu Virgineam ortam, lauda:
Nævum mali Adami, purè, castè ignorat.
O malum i: actu sine RUGA manet DEIpara.
Divulgo à manu: Mirâ specie nata Mater.

Probatur

Historicè.

Plutarchus narrat, semel contigisse Athenis, quòd cùm quædam formosissima illius temporis puella, Phrynem dicta; cujusdam sceleris in judicio accusaretur; & Euthias Orator in defendenda innocentia ejus nonnihil vacillaret, Hypericles alter Orator citò accurrens, rupto orationis filo, opertæ, reorum more puellæ, exclusit velamen; & sic quæ latebat pulchritudo, conspicua facta, omnem facinoris suspicionem erasit, atq; innocentiam accusatæ Phrygen persuasit: effecitq; quòd à causa sua in judicio non ceciderit puella. 33. Pulchritudo ream excusat.

En ego, ò severiores quidam Conceptionis Marianæ Judices! simile quid, quod olim Hypericles pro puella fecerat, pro Virgine Virginum MARIA, facturus accedo: si fortè vobis ignota est pulchritudo, venustaq; FACIES s. Conceptio MARIÆ; eam quippe quasi primævi facinoris ream accusatis. Ecce vo- 34.

bis, subducto velamine pulcherrimæ puellæ scintillat FACIES; quam Damascenus *Naturæ venustatem*; Augustinus *ut Formam DEI* admiratur. Sed, ut usq; ad internam sanctissimæ animæ ejus pertingatis pulchritudinem, ipse eam Cælestis Sponsus revelat, ostenditq; non utcunq;, fuisse pulchram, sed in excellenti quodam gradu: dùm eam in conspectum vestrum evocando, sic alloquitur: Cant. 1. 7. *Egredere, ô pulcherrima inter mulieres.* Quæ verba B. Alanus, intelligit de interna ipsius animæ pulchritudine: dum ita ait: *Quæ enim pulchra inter mulieres? nisi Virgo MARIA: quæ præ cæteris privilegiata est, donis spiritualibus.* Ergone tanta pulchritudo censeri poterit rea cujuspiam sceleris, & complex illius furti, pomi Adamici? Ergonè si ipsa rugam originalem in FACIE Ortûs sui s. in Conceptione contraxisset, justè, & non mendaciter, pulcherrima inter mulieres, diceretur ab illo, quem mentiri implicat? Ignoras planè pulchritudinem MARIÆ, quisquis in FACIE s. in Conceptione ejus, rugas & maculas originalis labis imaginaris.

Damasc. *August.* *Cant.* *Alan.*

MARIA pulcherrima inter mulieres; & ideò immaculatè Concepta.

EPILOGUS.

35. Annales Ecclesiastici, circa tempora Pontificatûs Urbani IV. referunt. Julianam Leodiensem Virginem in Leprosorio, quod Mons Cornelij appellabatur, sanctitate conspicuam; ob multas extases, prædictiones, cogitationum alienarum cognitiones, in magna veneratione habitam, crebrò in oratione conspexisse quandam Lunam plenam, unâ tantùm rugâ deformem, ob oculos ejus sese versantem: diu mysterij ignara, pro revelatione ipsius precabatur Dominum; tandemq; didicit, per Lunam designari Ecclesiam Christi; quæ, quia adhuc inter majores Solemnitates, Festaq; Sabbaoth, non instituerat celebritatem Festi Corporis Christi, propterea unâ illâ rugâ videbatur deformari. Moneret proinde Clerum, de instituendo novo Solemni Festo Corporis Christi: quod quidem postea Pontifex Urbanus pro tota instituit Ecclesia.

Luna cum Ruga apparuit cuidam, cur?

36. Applicabilem valdè, quia plurimùm affinem proposito nostro, hanc existimo visionem. Novimus sanè ex ipsis Angelicis de MARIA laudibus, ipsam prædicari veluti Lunam.

Pul-

Pulchra (ajunt) *ut Luna*, Cant: 6. 9. Similem fortè, ob non-nullorum oppositos, immaculato suo Ortui sensus, Luna hæc MARIA patiebatur rugam; quando in Ecclesia DEI, etsi à primis Apostolorum temporibus concederetur devotio & Festum Immac: Conceptionis ejus, non tamen universaliter pro omnibus fidelibus de præcepto promulgabatur. Accidentalis nihilominùs ruga hæc fuit; neq; diu passa est ipsam, Luna nostra, SS. MARIA, tam in se, quàm in altera Luna s. in Ecclesia Christi: ut enim toti mundo pulchram & sine ruga FACIEM s. Conceptionem suam fuisse luculentiùs demonstrasset, institutionem pro tota Eccesia Festi Imm: Conceptionis suæ, miraculosè promovit: hoc est; (ut notavit S. Anselmus) miris apparitionibus quosdam devotos de celebrando Conceptionis suæ Immac: Festo edocendo. Quibus fortè permoti Summi Pontifices, Festum hoc ad totam Ecclesiam universaliter extendēdo, celebrandum præceperunt; quod novissimè fecit (cum ingenti & solemni tripudio Familiæ Franciscanæ) feliciter regnans SS. Clemēs XI. sub data 6. Decembr: 1708. opem Imm: ConceptæV., pro cōcilianda pace in Italia, implorando; felici satis eventu; primo enim sequentis anni mense, optata coäluit pax. Hinc S. Ildeph: tanquam valido usus hoc argumento, concludit Conceptionem SS. MARIÆ, immunem fuisse ab omni ruga peccati etiam originalis: dum talitèr ait: *Dies, quando inchoata est Nativitas MARIÆ: (nota inchoatam Nativitatem, dici Conceptionem) beata pronuntiatur, & colitur religiosè satis. Quòd si in peccato esset, jure maledicta diceretur; & gemebunda potiùs, quàm benedicta.*

Cant: Festi Immac: Concep: antiquitas.

Anselt Festum hoc de præcepto est.

Ildeph.

Immac: Conceptio B. V. infertur ex celebratione Festi.

Vos ergò, quotquot clientes & devoti estis MARIÆ, erigite aures: verbis enim Seraphici Nostri Doctoris vos alloquor: *Honorate Reginam vestram plenam omni gratiâ; & contemplemini cum veneratione vultum eius.* Vidimus jam tam speciosam, tam pulchram, & sine omni ruga culpæ, FACIEM s. Concep: SS. MARIÆ; ergo proni mente, & corpore, procidamus ante FACIEM ejus in confessione tam excellentis Mysterij, & in lætitia inenarrabili cordis jubilemus ei; cum Ecclesia DEI quàm devotissimè ipsam salutantes: *Gaude Virgo gloriosa, super omnes speciosa. Vale ô valde decora! & pro nobis Christum exora.* Ad extremū ex abundātia lætitiæ, tripudiāti corde, triūphale Cōcept: ejus addam⁹ epinicion. 37.

Votum Authoris.

Io! vivat Immaculata SS. DEIparæ Conceptio.



GRANUM,
ſine Palea,
SS. Virgo MARIA,
ſine labe Concepta.

Jacob genuit Joſeph. Matt: 1.
Venter tuus, ſicut acervus tritici. Cant: 6.

1. ETſi ſub rigido Boreâ, ferijſq; hyberno Solſtitio proximis; tamen in primo Marianæ Conceptionis exortu, nova quædam Orbi cogito diſponi Cerealia; dùm in Genethliaca Nativitatis SS. MARIÆ OEconomia, quam Sacer nunc produxit Evãgeliſta, Joſephum recenſeri audio. NN. Joſeph enim iſte digniſſimus Sponſus MARIÆ, nomen, & memoriam refricat celeberrimi illius Proregis Ægypti, Joſephi Patriarchæ; qui juxta S. Bernardum, typus fuit Joſeph Viri MARIÆ: nec omninò, & abſolutè excludendus à ſanguine CHRISTI & MARIÆ: ob dicenda alibi Tit: Ovis. n. 1. Novimus itaq; ex Sacris Codicibus, illum Sanctiſſimum Patriarcham, dictum fuiſſe Salvatorem Ægypti, ex eo, quòd futuræ per univerſum Orbem famis præſcius, toto Septennio diligentiſſimè incumbens meſſi, Cerealia egerit. quod etiam notavit S Gr: Turon: l. II. hiſt: *Horrea (inquit de illo) miro opere, de lapidibus quadris, & cæmento ædificavit; ita ut in fundo capaciora, ad ſummùm verò conſtricta ſint, ut per parvulum foramen ibidem triticum jaceretur; quæ horrea hucuſq; ſervantur.* Verbo dicam. Strenuus ille

Greg:

Horrea artificioſa in Ægypto.

ille Vir, suâ solertia effecit; quòd tanta in Ægypto fuerit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet: sic attestante Scriptura Gen: 41. Propter quod præstitum Regno beneficium, nedum à Pharaone, nomen Salvatoris acceperat, sed præterea ab Ægyptijs (quod observavit *Cornel: à lap:*) fuit cultus, ut DEUS, sub nomine Serapis. Iosephus Patr: AEgyptijs Serapis DEVS.

Juxta communem sensum Patrum, iste Joseph, Salvator dictus Ægypti, etiam antypus fuit Salvatoris totius mundi, Filij DEI in carne venturi. Porrò post degustatas modicè à Protoparentibus nostris in paradiso vetiti pomi cupedias, gravissima universum genus humanum occupaverat fames gratiæ; idq; ob amissam originalem justitiam: Altissimæ tamen bonitatis Divinæ consilijs, Filius DEI eligitur, ut famelico Orbi fieret simul, & Salvator, & Panis. de quo Joan: 6. *Hic est Panis de Cælo descendens.* Quod venustè Hieron: Lauretus *in Sylva Alleg:* ad nonnulla alia loca Scripturæ alludendo, enucleat dicens. *Dicitur Christus Panis in spica, propter statum legis naturæ, in fide Patrum: & Panis in simila, in doctrina legis, & Prophetarum: & Panis formatus, sumptâ carne; & coctus in clibano, hoc est, in Virginis Utero, igne Spiritûs S. & Panis in sartagine, per labores: & Panis in craticula positus s. in Cruce.* 2. Ioan: Christus, Panis dicitur multifariè.

Huic ergo præstantissimo, & mundissimo conficiendo Pani; videlicet, gignendo in carne Filio DEI, selectissimum, & quod esset sine omni palea, debebatur GRANUM, s. Mater ab omni labe peccati immunis. Et hæc quidem inter tot Sanctissimarum Familiarum semina, à tot quærebatur sæculis, nec tamen inveniebatur: cunctarum enim granis s. animabus, si non personalis culpæ, tunc saltem originalis peccati, adhæserat palea. Hodie jam primùm in Utero Dignissimæ SS. Annæ, novum conditur GRANARIUM, dùm immaculatissimè concipitur Beatissima Virgo MARIA. Hanc etenim sub Figura Sponsæ alloquitur Cælestis Sponsus: *Venter tuus, sicut acervus tritici.* In ea etenim Cælestis Paterfamilias collegit veluti in acervo, omnia gratiarum GRANA, eaq; selectissima; imô ipsammet Sanctissimam ipsius animam, in creatione voluit esse purissimum GRANUM, mundum ab omni palea, etiam originalis peccati; ut 3. Cant: MARIA Granarum gratiarum.

 tantò

tantò magis idoneam conficiendo Cælesti Pani providisset materiam s. Matrem incarnandi Filij sui. Hoc ipsum mihi in præsenti probare liceat; præmisso morali, de causis nonnullis palearum, quæ plerumq; adhærent animabus nostris. Interea rythmicè salutemus Neo Conceptam MARIAM.

Propositio.

O! electum Virgo GRANUM Semper plenum, nunquã vanum:
Panem nobis condidisti, Quando DEUM concepisti.

PARS I.

Tres causæ palearum internarum.

4. SEraphicus Noster Doctor S. Bonav: obitum felicem Patris & Patriarchæ nostri describens, hâc grani usus est similitudine: inquiens: *Granum purum, excussâ paleâ, Summi Regis intrat in horrea.* Ex quibus Doctoris verbis, duo elicio moralia dogmata. Unum, quòd quælibet anima, sit quasi granum insitum terræ s. corpori, cum quo ipsa unitur substantialiter; ad hoc, ut secundùm doctrinam Christi, mortuum seu mortificatum in pravis suis desiderijs, fructum centuplum reddat: nova & nova semper germinando bonorum operum, & meritorum grana. Alterum est; quòd quandoq; hisce GRANIS nostris, adhærescat stipula, & palea: ut innuit Apostolus 1. Cor: 3. 12. *Si quis autem ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam.* Per quam stipulam intelligit S. Chrysost: peccata etiam mortalia. Alij verò intelligunt peccata sola venialia; quæ interdum intermiscentur GRANIS bonorum nostrorum operum. Cùm autem, ut GRANA nostra intrent in Summi Regis horrea, necesse sit, ut à sua palea excutiantur, atq; mundentur; alias piaculari igne post mortem omninò exurenda; ut ibidem asserit Apostolus. *Uniuscujusq; (inquit) opus, quale sit, ignis probabit:* expedit, ut nonnullas origines tam noxiarum palearum cognoscamus.

Bonav.

Anima in corpore, veluti granum in terra.

Cor.

Peccatum, est palea animæ.

Probatur **Scripturaliter.**

5. Tribus plerumq; de causis GRANUM acquirit paleas s. vel ex gleba nimiùm stercorata; vel ex triturantium negligentia, vel

ex vitiato semine. Similibus de causis, GRANA quoq; animarum nostrarum, paleâ sive mortalium, sive venialium peccatorum infici contingit. Primam ergo causam mali hujus, dico esse glebam nimium stercoratam, & pinguem, s. abundantiam rerum temporalium; quæ ex sensu Pauli fimus, & stercora dicuntur: *Omnia arbitratus sum, ut stercora; ut Christum lucrifaciam*, ad Philip: 3. Sicut etenim, ob nimiam pinguedinem glebæ, luxuriant in stipula aristæ; ipsaq; sua grana oblongis & punctivis involucris, veluti lanceolis, integunt; quæ deniq; dum triturantur spicæ, multiplicant nonnisi stipulam, atq; paleam: ita similiter, quando homo abundat temporalibus bonis, eisq; afficitur nimiùm; facilè anima ipsius luxuriat in stipula, induit lanceolas cupiditatum pungentium, stimulantium ad vetita; atq; folliculis mundanarum solicitudinum involuta, labitur & multiplicat peccata. Audiamus quid Divinus Psaltes, de quibusdam dixerit: *A fructu (inquit) frumenti, vini, & olei multiplicati sunt.* Dyon: Carthus: Remigius, & alij, verba hæc Davidica tropologicè intelligunt, de aliqua ubertate laudabili, quia spirituali: cæterùm S. Aug: cum nonnullis, intelligi ea vult, de ubertate quadam vitiosa, seu de perniciosa multiplicatione distractionum; quæ ex ubertate rerum temporalium subnascitur. Ita enim super hæc verba discurrit S. Doctor. *Non semper multiplicatio ubertatem significat, sed plerumq; exiguitatem; cùm dedita voluptatibus temporalibus anima, semper exardescit cupiditate, nec satiari potest, sed multiplici, & ærumnosâ cogitatione distenta, simplex bonum videre non sinitur. Talis ergo anima, temporalium bonorum decessione ac successione, à fructu frumenti, vini, & olei sui, innumerabilibus completa phantasmatibus, sic multiplicata est, ut non possit agere, quod præceptum est in libro Sapientiæ. Sentite de DEO in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: ista enim multiplicitas, illi simplicitati adversa est.* Hactenus S. Doctor.

Causæ palearum animæ quæ?

Philip.

Abundantia temporaliū multiplicat peccata.

Psal.

Dyon:

Remig.

Hugo

Idem Regius Propheta, iterum confirmat rem nostram: quando de pinguibus, hoc est, de amatoribus, terræ tractans, primam causam in ipsis iniquitatum indicat, non aliam, nisi pinguedinem, seu abundantiam rerum temporalium: dum ait Psal: 72. 7. *Prodijt quasi ex adipe, iniquitas eorum.* Ubi statim subjun- 6.

Psal.

Peccata, quomodo ex adipe prodeunt. subjungens, sigillatim enumerat nonnulla ipsorum malorum germina: & quidem primò, peccata pravorum desideriorum. *Transierunt (inquit) in affectum cordis.* deinde peccata perversarum cogitationum: quas S. Gregor: in Job: 31. vocat paleas. *Cogitaverũt nequitiã.* Tandẽ ponit peccata oris; præsertim blasphemiarum, mendaciorum, jurgiorum &c. *Posuerunt (inquit) in Cælum os suum, lingua eorum transivit in terra.* Hinc S. August:

Aug: istum locum Scripturæ versando, ingeniosè observat, & monet, pauperum vitia oriri ex macie, vitia verò divitum ex abundantia. Verba sunt S. Doctoris. *Pauper mendicus furtum facit; ex macie processit iniquitas ejus. Dives abundans rebus tantis, quare diripit res alienas? illius iniquitas ex macie, hujus ex adipe processit.*

7. Ad eundem quoq; sensum collimat, & quidem clariùs ad propositum, interpretatio, quam dedit S. Bernard: Ser: Tom: I. Ser: 50. Super eadem Davidica verba. Ita enim ait: *Propter abundantiam deliciarum deficiunt in bonis, & proficiunt in malis multi. Defectum autem bonorum, ipsa rerum natura ostendit; nam ad maturitatem non venit, nimia fæcunditas fructuum & pomorum: segetem etenim nimia pinguedo destruit. Hinc Psalmista ait: Prodijt ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.* Inde ergo est, quòd pinguioris glebæ seu fortunæ (ut ajunt) homines, infaustè satis salutis suæ Messem operentur & colligant: aut enim GRANA sua s. opera bona quæ faciunt perdunt, dum ea in peccato mortali exercent; nam talia quasi mera stipula, quia meriti evanida sunt; aut si quæ contingit ipsis colligere meritorum GRANA, sine multa palea imperfectionum & venialium peccatorum non reperiuntur. Hæc ergo sit causa & origo prima palearum nostrarum internarum. Videamus aliam sub Figura.

Bernar. Ser.

Probatur **Figuraliter.**

8. Altera causa & origo palearum multiplicatarum inter GRANA, contingit per negligentiam purgantium illa seu triturantium: qui dùm minùs diligenter sua agunt, nec ventilabro, nec scopis in purgando rectè utuntur; remanens stipula impurum

Neglectus examinis cōscientiæ, causa peccatorum.

rum reddit Granum. Simile quid evenire video, in illis, qui frequenti discussioni conscientiæ suæ, omniumq; suarum actionum quotidiano examini, seriò non incumbunt, vel, quod pejus est, illud absolutè intermittunt: tales etenim, quantùm in OEconomia spirituali deficiant, & quàm ingentia salutis suæ damna incurrant, videre est sub hacce Figura 2. Reg: 4. 2. Reg: 4. Legimus quomodo impij illius & DEO ingratissimi Regis Israel Saul, ultimus filius & heres, Isboseth dictus, miserè, ipso etiam compatiente David, Antagonistâ olim Domûs Saul, perierit. Quod Scriptura recenset taliter: *Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rebab, & Banna, ingressi sunt fervente die, domum Isboseth, qui dormiebat, super stratum suum meridie. Et ostiaria domûs purgans triticum, obdormivit. Ingressi sunt autem latenter, assumentes spicas tritici, & percusserunt eum.* Vide hîc pulcherrimum propositæ à nobis doctrinæ Typum.

9. Juxta sensum S. Gregor: l. 1. Moral: 18. *Ostiaria domûs, significat conscientiam hominis; quæ tùm triticum purgat, cùm mentis custodiâ discernendo, virtutes à vitijs separat.* Ventilabrum autem, quo communiter Grana purgantur à palea, non abs re intellexerim examen conscientiæ: quia per illud ad ventum, seu motum spiritûs & luminis cælestis, agitat, discutit, & expurgat homo actiones suas à palea imperfectionum: cui pientissimæ circa animam suam occupationi, quò crebriùs & diligentiùs incumbit, tantò plura, & selectiora meritorum suorum Grana, & alia conservandæ vitæ suæ spirituali opportuna alimenta, sibi comparat: atq; Cælestibus horreis ex sua Messe, non evanidos, sed justo pondere, in exultatione spiritûs sui intima conscientiæ pace fruens, importat manipulos suos.

Greg:

Examen conscientiæ, ventilabrum animæ.

10. Verumtamen, si cuipiam Ostiaria hæc, animæ ipsius f. conscientia, vel tædio spiritûs acediosi, vel multitudine solicitudinum temporalium fessa obdormierit; videlicet, ubiprimùm homo ab ordinario & diligenti omnium suarum actionum examine destiterit; imminet statim mortiferum damnum, & fatalis ruina Isboseth. quod interpretatur. *Vir confusionis*: fit etenim in hujuscemodi anima, summa confusio: confunditur enim Granum cum palea, f. opera bona fiunt valdè imperfecta:

Neglectus examinis, mors animæ.

cta: & quod damnabilius est, fiet quòd plerumq; tales, parùm, vel nihil sollliciti circa emundandam frequenti examine conscientiam, cum illo Stygio Leviathan apud Jobten, Job: 41. 18. *Ferrum* s. gravia peccata, *reputabunt sicut paleam*: hoc est, vilipendent illas quasi exiguas imperfectiones: adeò, ut tandem in reprobum sensum dati, obdormiscente istâ ostiariâ s. vigilantiâ conscientiæ, miserabiliter cum illo Isboseth, imò miserabiliùs, quia in anima pereant.

11. Ah! (quod longè magis dolendum) id non infrequenter contingere solet etiam in Viris perfectioribus, dum ostiaria hæc conscientia, somnolenter grana purgat s. examinat opera & actiones: nam quando sedulò expurgare ipsas à paleis imperfectionum non curant, fit ut nonnunquam videamus verificari de ipsis illud Propheticum, Isa: 11. 7. *Leo quasi bos comedet paleas.* Dum enim illi, qui Leones ob heroicarum virtutum actus dicebantur; nimiâ confidentiâ præteritæ sanctioris vitæ suæ inescati, perspicaci indagine actus suos ventilare intermittunt, sensim paleis multarum, etiam graviorum imperfectionum, anima ipsorum repletur: & ad quæ antea timorata eorum conscientia expavescebat, vel quæ nauseabat; jam deinde quotidianus ipsorum cibus fiunt: atq; qui olim jucundè quotidiè epulabantur in croceis spiritualium consolationum, amplectentur paleas, imò stercora corporalium commoditatum; parùm deinceps, vel nihil degustando ex eis, quæ spiritûs sunt & virtutis: adeò, ut contenti paleis illis, justè usurpare sibi poterint illa verba Ephratæi Levitæ. Jud: 19. *Habentes paleas, & fœnum asinorum, pabulum -- re indigemus.*

12. Sapientissimam proinde praxis quotidianæ methodum, præscripsisse sibi Solimæum Vatem, quis negabit? quam, propter mundè conservandam animam suam à paleis imperfectionum, etiam inter Regias curas, æstuſq; bellorum, indispensabiliter exercebat: quotidie strictâ discussione conscientiæ suæ, omniumq; suarum actionum, purgando, scopando, ventilando spiritum suum. De quo ait Ps: 76. 7. *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Cassiodor: legit: *Ventilabam*; id est, (ut exponit Thom: Blanc:) *Ventilabro*

Job. | Isaie. | Comedere paleas, quid est? | Iudic. | Psal. | Scopare spiritum, quid est?

bro in altum ejaculabar, vt ventorum flatu à paleis repurgaretur. Per quam ventilationem, nominatus Commentator intelligit, examen conscientiæ: in quo anima cælesti lumine irradiata, paleis quotidianarum imperfectionum deprehensis ab ijsdem ad ventum Spiritûs S., hoc est, gratiæ ipsius supernaturalibus motibus, per amaram pænitudinem, firmiora contra lapsus proposita, magis & magis in dies seipsam expurgat.

Probatur

Historicè.

Tertia origo, & causa multarum palearum inter GRANA, contingere solet ex vitiato semine; inde enim fit, quòd excrescens germen, plùs habeat de stipula, quàm de GRANO. Profectò indubium est, Protoparentem nostrum, glebæ nostræ pessimum injecisse semen; originale nimirùm peccatum; quod simul cum semine & fætura illorum, miserrima posterorum germina ab ipsis participamus: ipsumq; est illud primum, & principale, pessimumq; seminarium, causa, & origo, tot in animabus nostris palearum, imperfectionum, & concupiscentiarum: de quo sic loquentem audiamus S. Greg: 6. Moral: 15. *Peccatum in se inhabitans, appellavit Apostolus originalem culpam; quia ergo ex originali culpa fit peccatum actionis, Matrem ejus esse primam culpam rectè appellamus: Liberi autem hujus Matris sunt omnes concupiscentiæ, peccata, & vitia.* O miserabilem & infectam filiorum Adæ messem! non absimilem illi alteri nimiùm portentosæ; de qua lego in Theatro vit: hum. 13.

Peccatum originale, semen peccatorum.

Greg.

Scribitur ibi, de quodam Rege Cadmus dicto: quòd bellum contra finitimum Regem gesturus, cùm sibi deessent ad numerum milites, ex consilio cujusdam Veneficæ, dentes occisi Draconis, in subacta aratro gleba, latè seminaverit; Unde non jam spicæ, aut GRANA prodiêre, sed tot cataphracti expeditissimi ad prælium, quot erant proseminata grana. Justissimè originale peccatum, dentem Stygii Draconis appellavero: isto etenim dente universum genus humanum, ad morsum vetiti pomi Protoparentes inducens, lætalissimè draco ille momordit. Veneficam deinde vocari Evam, alibi audivimus *supra à Ruperto:* hujus ergo suasu, Adam inductus; dentem hunc Sty- 14.

Milites, ex seminatis dentibus draconis.

gium in gleba carnis nostræ sevit, dum vetitum pomum dentibus prehendit; comeditq; de illo: hinc statim erupit in nobis tàm numerosa, tàm pestifera imò armata messis tot pravarum cupiditatum, & peccatorum; quibus contra ipsum DEUM, rebelles, hostes, & inimici facti, bella gerimus. Cùm itaq; ex dictis pateant origines, & causæ tàm universales, quàm particulares, ob quas tantâ multitudine palearum inficiantur granaria nostra s. animæ; facilè jam concludere est, neminem ex puris hominibus; (excipio SS. MARIAM ob mox dicenda.) appellari posse GRANUM sine palea, saltim originalis culpæ.

PARS II.

SS. MARIA sine palea originali.

15. INgeniosè satis quispiam, de Principe Planetarum s. Sole: dixit: *Sol non vulgarem in terra habet suam glebam, sed auream*. Dogma enim est Astronomorum; sicut Martem ferro, Lunam argento; aliosq; Planetas, alijs præesse mineralibus, & in ipsa specialiter influere; ita quoq; Solem præesse auro. Cùm enim metalla sint partes depuratiores terræ; expedit eas à Planetarum Cælestium influxibus, in suis incrementis vel decrementis dependere: & quia inter Planetas, præstantissimus est Sol, purissimum etiam omnium metallorum, aurum videlicet sibi vendicat. Hanc ergo suam divitem glebam ipsemet, occultâ quadam vi per medium diffusa continuò excolit, areolas jugeraq; ordinat, quando venas pretiosi metalli, huc, illucq; in visceribus terræ ducit; & sic radijs suis, aureum illud semen maturando, feliciter ad percupitam hominibus messem disponit.

Solis gleba aurea; quæ?

16. Hanc ego auream Solis æterni glebam, nonne jure dixero SS. MARIAM? cæterorum animæ, rudes sunt agri: quia quamvis aliquæ ex illis argento sanctimoniæ, cæterarumq; virtutum metallis, ex fodinis Cælestibus depromptis dotatæ, mirè effulserint; non fuêre tamen sine ulla scoria imperfectionum, vel saltim sine impuritate originalis peccati. Ipsi tamen æterno Soli justitiæ s. Filio DEI in carne venturo, debebatur, & ab æterno reservabatur aurea gleba, simul cum depuratissimo ab omni

MARIA aurea gleba Solis æterni.

palea GRANO, SS. f. Mater ejus MARIA: ut statim in Exortu, seu Conceptione sua prodiret plenitudine gratiæ aurea, & omnis paleæ originalis expers. Quod jam probo.

Probatur

Scripturaliter.

Unum sed præcipuum ex S. Scriptura assumo locum, qui me non modicum juvare poterit in probando, quòd f. SS. MARIA in sua Conceptione fuerit GRANUM purissimum, & immune à palea originalis culpæ. Hunc locum habeo ex Isa: 85. 8. Ubi Dominus justissimam sumpturus vindictam, de ingratitudine & incredulitate populi Judaici; qui expandentis DEI ad se manus nec respicere, vel vocem invitantis auscultare voluerat; imò propudiosè spreto Creatore idolis immolarat: ultionem inquam, de tam pessima gente, & populo facturus, ubi jam iræ suæ evaginasset rhompheam; speciosum tamen quendam intuitus botrum, GRANO etiam ipsius botri, quod benedictionibus plenum erat, imò & pluribus alijs propter illud, pepercisse legitur. Quod sic refertur à Propheta: *Hæc dicit Dominus: Quomodo si inveniatur GRANUM in botro, & dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est; sic faciam propter servos meos, ut non dispergam totum.* Loquitur hîc Dominus, (ut observant Expositores, nominatim S. Hieronym:) sumpta similitudine à grano, de quibusdam justis, qui manent inter malos, tanquam grana in botro; & præsertim de Apostolis, quos DEUS ab æterno ex gente illa Hebræa sibi delegerat, ut essent sibi grana futuræ vindemiæ sub venturo Messia colligendæ in vinea illa: ad quam ille invitavit, qui dixit, Matt: 20. *Ite & vos ad vineam meam.* Nam familias Apostolorum, proavos, abavosq; eorum, propterea in communi illa clade, & ruina Israelis à Chaldæis, Babylonijs, illæsos remanere voluit: *Vid: Corn: à lap: hic.* 17.

Isaiæ

Apostoli, grana Messiæ Christi.

Matt:

Hinc à fortiori nonnihil mutatâ allegoriâ, audeo eundem locum Scripturæ adstruere SS. MARIÆ: cùm hæc sit Primiceria, imò Mater omnium justorum, & Apostolorum Regina. Per Botrum cum S. Ambr: l. de fide 9. intelligo. Christum Dominum, præsertim pendulum de stipite, seu Cruce Passionis suæ, 18.

Ambr:

 præsi-

Num: præfiguratum in illo, quem Num: 13. de Terra promissionis portaverant duo Viri explorantes. Cui quoq; apposite servit illud, quod Sponsa cecinit de Sponso. Cant: 1. 13. *Botrus Cypri,*

Cant:

Botrus Christus, granum ejus Maria.

dilectus meus. GRANUM verò, quod solet haberi in botro, estq; veluti cor in animali, principium parensq; succositatis ex vite participatæ, in uva; audacter appellabo SS. MARIAM, Matrem illius Botri s. Christi: quæ fæcunditate participatâ à Spiritu S., Filio DEI incarnando præbuit succum carnis & sanguinis sui.

19. De illo ergo apud Prophetam Botri GRANO, inter cætera duo præcipua observo; quæ simul causa videntur fuisse, quòd prohibuerit Dominus dissipari illud: unum; quia inerat ipsi quædam benedictio, idq; ex illis verbis: *Non dissipes illud; quoniam benedictio est:* alterum; quia fuit in botro. Unde duplex pariter insinuat se ratio, & argumentum, quòd, & cur SS. MARIA in sui Conceptu, fuerit GRANUM mundissimum, immuneq; ab omni impuro Adamico. Et quidem quoad primum; cùm dicitur: *Ne dissipes illud; quia benedictio est.* benedictio GRANI (apud

Psal.

Cornel: à lap:) appellatur hic, spes futuri ex GRANO illo fructûs. Et quis quæso est, GRANI nostri, videlicet SS. MARIÆ fructus? nisi ille, de quo toties id asserimus, quoties salutamus MARIAM: *Et benedictus fructus Ventris tui JESUS.* Nonne hic substantialiter benedictus. Et benedictio est? cùm dicat Psalmista. Psal: 20. 4. *Domine prævenisti eum in benedictionibus.* Et iterum. Psal: 71. 17. *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ.*

20. Merebatur proindè substantialis hæc benedictio, Authorq; benedictionum omnium, s. JESUS CHRISTUS, Filius MARIÆ, ut GRANUM, hoc est, futura Mater ipsius, cui ipse nedum inesse, sed ex ea nasci quoq; debebat, in communi ruina generis humani per Adæ peccatum, non dissiparetur, vel contaminaretur mixturà originalis noxæ; ut vel ita Filij superbenedicti Mater nunquam maledicta opportunè haberetur. Et hoc velim (pie Lector) diligentiùs nota, quod dicitur: *Quoniam benedictio inest ei.* Si per benedictionem intelligamus gratiam sanctificantem animæ: Hæc eo ipso, magis inhærenter infuisse MARIÆ innuitur, quam cæteris justis: ipsis etenim inest vel infuit,

MARIAE magis, quam alijs, inhæsit benedictio, seu gratia.

infuit, ita, quòd aliquando in ipsis abfuerit, & abesse potuerit: MARIÆ verò inhærenter infuisse, & inesse dicitur benedictio hæc s. gratia: ut ita GRANUM illud ab initio statim benedicto fructui in seminarium destinatum, nunquam sine benedictione s. sine gratia maneret. Unde non sine mysterio Elizabeth salutans visitantem se MARIAM, taliter eam affata est. Luc: 1. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Quasi per causalem ex benedictione fructûs, benedictionem, statumq; gratiæ in MARIA demonstrando. Ex his facilè collige, huic GRANO omni momento benedicto, nunquam adhæsisse noxæ originalis maledictionem. Hanc, quasi novam hujus Loci Scripturæ explicationem, in parte juvat S. Alb: M. quem apud Polyanth: Marianam taliter scribentem lego: *MARIA (inquit) est GRANUM ab omni peccato illæsum, in botro humani generis inventum.* Luc. Alb: M.

Quando autem iterum dicitur apud Prophetam; GRANUM illud non dissipandum si inveniatur in botro; cùm botrus ille, GRANO quasi Matri suæ per quam vegetatur, sit veluti lorica, & tutamen contra injurias Cæli, illudq; mutuò fovet & tuêtur; & inde fit, quòd quantò magis maturescit botrus, tantò perfectiùs adolescat GRANUM: ex hoc ipso sat pulchrè demonstratur, Botrum s. CHRISTUM, GRANUM suum, videlicet, Matrem MARIAM, prævenienti gratiâ ex prævisis meritis Passionis suæ deprompta, contra originalem labem, fovisse & tutasse: ut sic SS. MARIA, maturi seu omni gratiâ & Spiritu pleni Botri, esset purissimum semen & GRANUM, s. selectissima Mater JESU. Quod ipsa de se per Poëtam Academicum modulatè cecinit. 21. Grani MARIAE, contra originale tutamen, botrus Christus. Biczam:

Ille meo fuerat sumptus de Sanguine Sanguis,
Quem pulcher Cypri, fuderat ille botrus.
Si pulcher est meus Botrus, vitisq;, parensq;
Divini, cur non immaculata Botri.

Probatur

Figuraliter.

Inter plurima alia ornamenta naturæ, ex quibus Sponsus ille Regius, in Epithalamio, Sponsæ suæ dilaudat venustatem, 22.

& formam, notandam valdè ventris ipsius adjecit commendationem; inquiens: *Venter tuus, sicut acervus tritici, vallatus lilijs.* Cant: 6. 3. Corticem literæ relinquo, nec pro tunc solicitus esse volo de sensu Sponsi: multipliciter enim hoc interpretantur Scripturæ Expositores: illud potiùs mihi sapit, quod in nucleo latere adverto. Conveniunt penè universi Commentatores, id dictum typicè de SS. V. MARIA: *Cujus venter* (ut ait Richard: Laur: l. 5. de laud: V.) *dum GRANUM illud, quod pro redemptione generis humani in Cruce passionis portavit, acervus tritici fuit: & quidem ob miram unius hujus grani fæcunditatem.* De quo acutè satis S. Ambros: l. de instit: Virg: scripsit: *Unum granum frumenti fuit in utero Virginis CHRISTUS Dominus, & tamen acervus tritici dicitur; quia granum hoc virtute continet omnes electos, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Dum autem acervus hic vallatur lilijs; eximius quidam candor, & puritas Virginis, per hoc denotatur.

Cant: — Venter MARIAE, acervus tritici: quomodo? — *Rich.* — *Ambros.*

23. Cæterùm cùm S. Scriptura sit inexhaustum in significationibus, præsertim Typicis pelagus, imò quædam abyssus Spiritûs S., liceat à ter benedicto Ventre Filiæ, ad benedictum dignissimæ Matris ejusdem s. S. Annæ, eundem promovere Typum. Equidem memini olim me legisse in quodam recentiori Scriptore, Uterum S. Annæ, in quo hodie SS. V. MARIA concipitur appellatum fuisse acervum tritici vallatum lilijs: ex quo loco idemmet Scriptor pulchra nonnulla in laudem, ac commendationem S. Annæ deprompsit elogia: ex eo solo, quòd Genitricis Filij DEI meruisset fieri Mater. Si ergò ex sensu hujus, Uterus S. Annæ acervus est; jam SS. V. MARIA, Filia ejus, hodie in Utero ipsius concepta, respectivè ad S. Annam Matrem suam granum tritici dici poterit. Sed cur quæso Neo-Concepta MARIA GRANUM tritici, non in spicis adhuc manenti, sed jam in acervo appellanda? venustum inde ni fallor, pro mundissimo, & ab omni palea peccati immuni Ortu MARIÆ, opinor posse erui argumentum.

S. Annæ Uterus, acervus tritici: cur?

24. Equidem GRANUM in acervo benè cæteris cohæret, alijsq; facilè unitur; nec aliter venit in acervum, nisi benè à stipula & palea mundum: ac proinde apud Umbram Novarini n. 1009.

Maria granũ non in spica, sed in acervo, dicitur, quia sine peccato concepta.

GRANUM in acervo, sumitur pro Symbolo concordiæ. Secùs verò dicendum de GRANIS tritici, quamdiu manent in spica: hæc etenim, quamvis tum uni innæreant culmo, mutuò tamen separantur, & quasi ad pugnam prodeundum esset, armata conspiciuntur, aculeatis tegumentis, quæ postea palea fient, veluti thoracibus induta, lanceolisq; quasi munita; quibus plerumq; fluctuantes vento aristæ inter se colliduntur. Cùm itaq; SS. V. MARIA hodie Concepta, GRANUM in acervo s. in Utero dignissimæ suæ Matris Annæ appellatur; per hoc ipsum non obscurè immaculata Conceptio ejus asseritur.

Enimverò omnes nos in universum filij Adæ, quia de infecto semine Parentis orti, GRANA meritò misera dicimur & sumus, olim statim in Utero Matrum, orti cum aculeo: vix etenim sati & animati fuimus, nimis præmaturè erupimus in spicam, ob peccatum originale inanem & vacuam, solis tantummodo paleis peccatorum onustam. De quolibet nostrum meritò illud usurpandum erat: Oseæ 8. 7. *Culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam.* Imò concupiscentiarum malarum armati lanceolis, & duram fomitis peccati induti loricam, ex Utero Matrum prodimus culmi vacui, simulq; rebelles, in aciem contra Creatorem Clementissimum. Porrò SS. V. MARIA longè aliter; nam licetsi ex semine Parentum, originali olim peccato infectorum, Summi tamen Præservatoris manu, novo quodam & alijs non concesso Privilegio, in Utero Matris suæ Annæ hodie seritur; & quidem non vulgariter; nam simul reconditur, veluti GRANUM in acervo. Videlicet, prodit purissima, mundissima ab omni palea, stipula & aculeo peccati. 25.

Omnes nascimur velut inanes spicæ.

Osé.

Profectò hoc benedictum & selectissimum in Utero Matris suæ GRANUM, in illo etiam sationis seu creationis suæ puncto, non armaverat se contra Dominum: nec retorsit veluti spica spicula, nec induit thoracem Adæ peccati, nec unquam, vel in minimo, contra Creatorem suum levasse arma visa est. Ipsam etenim Regius Psaltes vocat terram, à cujus finibus, abstulit DEUS cuncta bella, inquiens Ps: 45. 10. *Auferens bella, usq; ad finem, terræ; arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Quos autem fines alios hujus terræ fuisse cogitabi- 26.

MARIA in Ortu primo, spica sine spiculo peccati.

Psal.

Maria terra, à cujus finibus; s. initio & fine vitæ, ablata bella peccati.

mus? nisi ipsum exordium vitæ MARIÆ, s. punctum Conceptionis ejus, atq; finem vitæ, seu mortem in excessivis amoribus suavissimam: Ab his ergò finibus pariter omnia bella & arma peccati censuit David ablata fuisse. Cui conjecturæ favet Escob: l. 4. de Conc: Sec: 2. 11. n. 63. dum eadem verba Davidica premens; ait: *A primo Conceptionis instanti, usq; ad vitæ terminum, mirabiliter fuit DEIpara, arcu contrito à peccati bello liberata.* Si ergò Neocepta MARIA in acervo Uteri Materni reposita s. creata fuit veluti GRANUM, jam exarmatum stipulâ, spinis & aculeis: unde itaq; GRANUM hoc originalem paleã habere potuit? atq; sic justè dicenda, in Conceptione sua fuisse mundissimum & selectissimum GRANUM: Quod etiam non modicè juvat illud adjunctum, dum grana illa in acervo tritici, dicuntur vallata liliis: lilia quippe, sunt nativum quasi Symbolum Immac: Concept: MARIÆ, eamq; innuunt: juxta illud

Cant: Cant: 2. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic Amica mea inter filias Adæ.*

Probatur Doctoraliter.

27. S. Bernardi vulgò circumfertur effatum: *Quòd Spiritus S. nec minimam (intellige alicujus letalis culpæ) paleam, intra cordis, quod possidet habitaculum, patitur residere.* Hinc implicitè idem censuisse putandus est S. Doctor, & quidem excellentiori modo, de SS. Virgine MARIA, pro instanti Conceptionis ejus; siquidẽ pro illo statim puncto, fuit anima ipsius in perfectissima Spiritûs S. possessione. juxta illud: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Atq; sic necessariò sequitur ex mente & principio Melliflui Doctoris, eam statim in sui Conceptione, fuisse immunem ab omni palea peccati.

Idem Mellifluus Doctor Ser: 2. in Assump: docet, ideo MARIÆ Domum scopis non indiguisse, quia omni immunditie & paleâ, quæ plerumq; scopis purgantur, caruit. Pensando enim verba Evangelij, ubi sub Typo Mariæ Magdalenæ, MARIA Mater JESU inducitur, sciscitatur, cur nam ibi nullam faciat Evangelista mentionem pronominis MARIÆ illius, seu Magdalenæ, sicuti neq; Fratris ejus Lazari, & fidissimi amici JESU. Ad quæ respondendo, sic ait: *Virginalem Domum in-*

telligi

telligi volens Spiritus S., siluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum utiq; comitatur: absit enim, ut proprij quidpiam inquinamenti domus hæc habuisse dicatur, ut proinde Scopa Lazari quæreretur. Quam sententiam Bernardi considerans Ferdin: Salaz: c. 25. ita innuit: *Ipsa verba Bernardi, utramq; culpam actualem & originalem à Virgine removendam suadent, ait enim: Absit, ut proprij quidpiam inquinamenti domus hæc habuisse dicatur. Atqui originale peccatum non est alienum in Adamo tantùm inhærens, sed est proprium cuilibet; ut S. Synodus Trident: decernit. Ergo &c.* Trid: Sess: 5. n. 2.

28. Et quia paleæ ne dum Scopis, sed subflante quoq; purgantur vento: quomodo SS. Virgo MARIA, vehementi superventu Spiritûs S. non tam purgata, quàm præcustodita, ne inficeretur, à palea originalis culpæ fuerit, enarrat S. Cyprian: Ser: de Nat: his verbis: *Nihil in hac reperit ultio, nec præcedens delectatio aliquam expetijt pœnarum usuram: Spiritu S. obumbrante, incendium originale extinctum est: ideoq; innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat justitia; ut illud vas electionis communibus lassaretur injurijs, quod plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.*

Probatur

Miraculosè.

29. Adamus Weber Tractatu de arte conversandi, Reg: 10. n. 85. Ex Bernard: de Bustis, & ex Mundo Mariano, refert hujuscemodi Miraculum: In quodam Italiæ pago, exorta fuit publica disceptatio circa Imm: Conceptionem B. V. MARIÆ, inter unum Franciscanum, & Religiosum cujusdam alterius Ordinis: ex qua disceptatione, orta est alia quædam altercatio inter mulieres tertij Ordinis, utriusq; Religionis; quæ eo audaciæ, vel potiùs fiduciæ processit, ut illa tertij Ordinis S. Francisci, conditionem obtulerit, probandi rem per miraculum. Accendatur (inquit) copiosus ignis, in quem ambæ ingrediamur; ut quæ ex nobis combusta fuerit; falsæ opinionis fuisse comprobetur. Placuit conditio alteri: accenditur ergo ignis, quem pari animi audaciâ, sed non pari fidei veracitate, ambæ ingrediuntur: ubi illicò Tertiaria illa opinionis contrariæ, primò in flammas, postea in favillas redacta est, Tertiaria S. Francisci, zelosa assertrix Immac: Conceptionis illæsa permansit. O prodigium!

Assertrix Immac: Cōceptionis B. V. illæsa ab igne.

digium! ô miraculum par illi in fornace Babylonica, renovatum, nostroq; proposito quàm opportunum! Si etenim, ex verbo Salvatoris, Matt: 3. 12. selecta GRANA tritici in horreis DEI conservanda, paleæ autem igne comburendæ sunt; dum adversantem Ortui immaculato fæmellam, & imprudenti zelo, paleam hanc originalis peccati selectissimo GRANO, innocentiæ Marianæ inspergere nitentem, ultrix flamma consumit, sat evidenter comprobat, SS. Virgini MARIÆ, in sui Conceptione, nullius culpæ infuisse paleam, sed potiùs originalem ipsius justitiam, fuisse GRANUM selectissimum, seu donum, de Cælestis Omnipotentiæ, & Sapientiæ Granarijs, id est Privilegijs, excellentissimum.

Matt.

Probatur Scholasticè.

30. *THEOL:* Morales Theologi docent in tract: de Sacram: Materiam consecrationis Eucharistiæ, debere esse panem confectum de purissimo triticeo GRANO; adeò, ut si misceatur aliquid de farina alterius frumenti, imò paleæ aut festucæ, jam non sit idonea materia consecrationis panis ille: vel enim invalida; si notabilitèr habuerit de extraneo; vel, si parùm quidpiam, illicita esset consecratio hujuscemodi panis. Unde apud Cæsarium legimus; cuidam celebranti Missam ad altare, ter à vento non sine miraculo ex patena sub tempus offertorij, dejectam fuisse hostiam offerendam, cujus massæ inhæserat musca, dum pinseretur panis. Atqui SS. Virgo MARIA, dicitur quoq; & quidem specialitèr, materia, seu GRANUM, ex quo confectus est Panis, qui de Cælo venit, & qui verè continetur in Eucharistia. Ait enim de ipsa Rich: Laur: l. 10. *MARIA continuit in se frumentum, quo in Sacramento Altaris, reficiuntur homines, & Angeli.* Item, suo modo præbuit materiam cujusdam novæ consecrationis: Caro enim & Sanguis ex illa assumpta, sanctificata est & consecrata in Incarnatione Sancti Sanctorum, Filij DEI; idq; per veram unionem hypostaticam, cum VERBO DEI. Ergò, si non à fortiori vel pari, saltim à simili, hoc GRANUM, seu Alma Filij DEI Mater, ut tâm magnis, per se & in se complendis mysterijs, esset peridonea, debuit, vel saltim con-

Hostia oblationis Missæ, rejecta ob muscam.

Richar:

Maria præbuit materiã Panis, qui est in Eucharist: ideo sine macula originali.

congruum fuit, ut esset semper GRANUM mundissimum, ab omni palea peccati.

JURID: Jura, vel potiùs recepta ubiq; gentium consuetudo, quæ vicaria est Jurium, & altera quædam lex, dictat, docetq;: ut vulgare fert proverbium: *Currus levis, vel vacuus, onusto curruí cedat.* v. g. currus cum palea, vel stramine, currui referto frumento, & puro GRANO. Quod si ex sensu S. Gregorij sup: 1. Reg: 8. *Fideles animæ, currus DEI dicuntur;* quantò magis SS. Virgo MARIA; quæ Almo suo Ventre, Cælestem Regem deportavit in terram, Currus triumphalis gloriæ DEI appellanda venit. Et sanè in uniuscujusq; nostrûm Nativitate, vel Conceptione, Protoparentes nostri Adam & Eva, veluti duo conjugalia sibi jumenta, (facti enim per peccatum (ut ait Psaltes) tanquam equus & mulus) trahunt plaustrum: sed stridentibus præ mæstitia rotis; acsi ille, cujus meminit Amos. 2. 13. *Sicut stridet plaustrum onustum fæno.* atq; hunc cum palea originalis culpæ, quam animæ cujusq; nostrûm important; palea inquam illa, quam Sathanas cribrando illos per primam tentationem, excussoq; originalis innocentiæ GRANO, ipsis, nobisq; miseris eorum posteris, residuam reliquit. Sed levem hunc cum palea, tamen nimis stridentem, Protoparentum currum, in auspicatissimo, primoq; exortu MARIÆ, prævenit Cælestis Quadriga, Spiritus videlicet S. selectissimo omnium gratiarum GRANO onustus. Nam ut dicit D. Hieron: *Cæteris gratia datur per partes: in MARIA autem tota se infudit plenitudo gratiæ.* Unde in præsenti optimè usurpandum videtur illud Davidicum: Psal: 67. 18. *Currus DEI, decem millibus, multiplex millia lætantium.* Solius enim MARIÆ inter puros homines, proprium est, in Ortu primo vitæ, seu in Conceptione sua, non stridere; sed tum etiam, sicut & in tota vita sua unctionibus Cælestibus, & oleo lætitiæ delibutam exultare. Quod Rupertus l. 3. in Cant: de tota vita MARIÆ disertè affirmat; inquiens. *Cujus vita integerrima non habuit, cur gemeret; nisi vulnus charitatis, propter dilationem plenæ & perfectæ beatitudinis.*

31.

Vacuus currus, cedat onusto.

Greg.

Amos.

MARIA Spiritûs S. curru gratiarũ præventa.

Psal.

MARIA Oleo lætitiæ delibuta.

Rup.

SYMB: Effigiavit quispiam formicam colligentem & comportantem suo usui GRANA, cum inscripto Lemmate. *Nunquam* 32.

Formica, nũquam comportat inane granum. *inane.* aut: *Ad inania nunquam.* Formica enim, etsi exiguum sit animal, solertissimum tamen & exquisitum est præsertim in deligendis GRANIS; ita, ut nonnisi selectiora accipiat & comportet GRANA: & ideò laudata à Spiritu S. Prov: 6. 6. illis verbis. *Vade ad formicam, ô piger.* Hunc ergo sensum Emblemati Inventor indere voluit; id est per Formicam, quæ est vermis, designare intendebat Christum D. in cujus Persona dixerat David: Psal: 21. 7. *Ego autem vermis, & non homo;* per GRANUM verò nunquam inane, sed semper succosum, & plenum, SS. Matrem ejus, gratiâ selectissimâ semper plenam & superplenam: atq; sic ab omni imperfectione, atq; palea originalis culpæ immunem.

Prov. Psal. Christus formica.

33. *POES:* Angelicum Panem, pia Virgo quando ferebat,
Verè triticeus venter acervus erat.
Floribus jam fuerat, sacer hic vallatus acervus;
Candida Conceptûs lilia quando dedit.
Non paleam primæ culpæ hìc permiscuit Adam:
Messuit hanc purâ, Spiritus ipse manu.
Siccine non purum GRANUM tibi? Virgo MARIA,
Quæ massam Pani, præbuit Angelico.

PROG: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.*

ANAG: MARIA GRANUM DEO auctum, sine palea it.
Sit DEI GRANUM novum, paleâ jam careat.
MARIÆ GRANUM, dat Panem vitæ oculis.
GRANUM! da Panem Cæli, ori suavitatem.

34. *Probatur* Historicè.

Zonaras antiquus Historicus refert, quòd sub Valentino Imperatore simul & Tyranno, quidam curiosiores de Successore ejus, gallo gallinaceo divinatore usi sunt, taliter: Descripserunt in pavimento totius Alphabeti literas, ipsasq; superseminato leviter grano cooperuerunt: dum ergo famelicus gallus, hinc, & inde colligeret grana, diligenter observarunt discopertas literas: hisq; in unum compositis, de nomine futuri Imperatoris præsagiebant. Secundùm Origenem sup. Matt: hom: 26. & S. August: Gallus denotat CHRISTUM: & rectè, cum

Gallus gallinaceus, divinatur, in granis collectis. Orig: August.

cum nec ipse dedignatus fuerit se assimilare gallinæ congreganti sub alas pullos suos: Eligenda erat ab æterno illa, quæ esset Imperatrix, Cæli, terræq; Regina, ac simul Mater Filij DEI, magnificumq; ipsius inquirendum nomen. Porrò cunctorum filiorum Adæ nomina scripta erant in terra quidem, nam omnes in lumbis Adæ de terra formati, bene fuimus DEO præcogniti: sed latebant quodammodo latentq; nunc hæc nomina, quia inspersa densâ originalis peccati paleâ; ipsum solùm admirabile nomen MARIÆ, Divinus Spiritus, prodidit; dum enim Ipsam selectissimo originalis gratiæ superimplevit GRANO; factum est, ut Cælestis ille Ales magnarū alarum, Filius DEI, famelicus salutis nostræ, nomen ipsius collegerit; atq; sic non jam præsagio, sed prodigioso privilegio ipsam sibi eligendo in Matrem, eandem simul in Dominam, & Imperatricem totius præsignaverit Creaturæ.

Gallus Symbolum Christi.

MARIÆ nomen mirabiliter proditum, seu electum.

EPILOGUS.

35. Fabulabatur olim cæca antiquitas, in Ortu Minervæ Deæ Sapientiæ, auream de Cælo descendisse Messem, & Nubes loco pluviæ, GRANA stillasse auri. de quo Claud: *Auratos Rhodijs imbres, nascente Minervâ, Indulsisse Jovem perhibent.* Non commentitium quid; sed genuinum Fidei habetur Dogma, hodie in Utero B. Annæ, oriri æternæ Sapientiæ, non jam Deam, sed Matrem: en præstò prodit aurea Messis, dum in innocentissimam MARIÆ animam, pretiosissimæ gratiæ selectum, & paleæ Adamicæ labis inimicum descendit GRANUM. Ergò juxta illa, quæ in temporibus Messiæ ventura prædixerat Isaias c. 9. 3. inquiens. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in Messe.* adsumus & nos huic Sacratissimæ aureæ Messi, ô Virgo ter benedicta? ô mundissimum ab omni peccati palea GRANUM, conficiendo Cælesti Pani, de quo totus famelicus expectat refici mundus; præparatum. Adsumus inquam numerosè universi, etsi indigni Coloni gratiosissimi agelli tui s. Mysterij Immac: Ortûs tui: ut jam ampliùs nequeat dici: *Messis quidem multa, operarij pauci.* Lætamur coram Te, sicut in die Messis, gratias infinitas agentes DEO, pro tanto tibi concesso privilegio.

Aurea pluvia, in Ortu Minervæ.

Isai.

Nos

36. Nos porrò miſeri, ſumus quidem GRANA, ſed partim paleis peccatorum plena, partim evanida, partimq; decidua: cribramur, ventilamur plerumq; à Sathana, ſed non mundamur ab his paleis; imò agitati tentationibus, GRANA deperdimus gra-
MARIA Ruth colligens ſpicas. tiæ; brevi fortè ferali mortis demetendi falce: numquid ergò cum paleis, flammis æternis exurendi relinquemur? Tu itaq;
Bonav: quæ juxta S. Bonav: in ſpec: c. 5. *Es Ruth pijſſima, quæ in oculis æterni Booz. ſ. DEI, hanc gratiam inveniſti, ut ipſas ſpicas, id eſt à meſſoribus derelictas, colligere ad veniam poſſis.* Tu inquam,
Votum Authoris. SS. Virgo MARIA, meſſis noſtræ & GRANORUM curam aſſume, ſolerter ut aſſoles, ſpicilegium facito: nulla rationalis ſpica ſit adeò deſpecta, rejectanea & derelicta, quam ſolicitâ charitatis tuæ operâ non colligas, & in Cæleſtis Boozi area reponas, ut congregetur tandem in horrea Domini; ut inibi æternùm veluti in die Meſſis lætabundi omnes, DEO & Tibi feſtivè acclamemus.

Io! vivat Sanctiſſimæ DEIparæ Immaculata Conceptio.



HOR-



HORTUS, sine Urtica, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

Beatus Venter, qui te portavit. Luc: 11.
Veniat dilectus, in Hortum suum. Cant: 5.

I.

IGnoro planè, quidnam naturæ arcani habeat hortorum amænitas, quòd abscondita quâdam vi, & impulsu, homines Deosq; allicere, imò trahere ad se videatur. NN. Legimus quippè, Reges & Imperatores quosdam splendentia auro, & quovis pretioso apparatu ornatissima deserüisse palatia, & inter rurales commigrasse macerias; gratiùsq; sub gravidis hederatâ fronde corymbis, quàm sub Phrygijs mansisse papilionibus. Testatur enim Rosinus de Diocletiano, & Aurelio Imperatoribus Romanis; Justinus de Attalo Rege; qui abdicatis Imperij fascibus, pro Sceptris rastra, sarculos, ligones, cæteraq; hortensia assumentes arma, terram fodicando, semina aptando, areolas runcando, hujuscemodi administratione & delicijs hortorum, usq; ad mortem occupati, mirè jucundabantur. Hic autem præcipuus mos erat Regum Persiæ & Medorum. Unde Magnus Rex Medorum Assuerus, ex illo convivio, quod fecerat centum, & octoginta diebus, famosissimus; cujus mirum apparatum, graphicè circumscripsit Sacer textus *Esther 1.* parum putaverat ad ostendendas divitias Regni sui,

Horti, Summæ deliciæ Imperatorum.

Esth: 1.

sui, pendere ex omni parte tentoria aërei coloris, & carbasini, ac hyacintini, sustentata funibus byssinis, atq; purpureis, qui eburneis circulis insiti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoq; aurei, & argentei, dispositi super pavimentum smaragdino, & pario stratum lapide: nam præterea, ad jactantiam magnitudinis potentiæ suæ, non alta & splendida, pro loco tàm magnifici convivij destinavit palatia, sed potiùs (ut habetur loco citato Scripturæ) *Jussit præparari convivium in vestibulo horti, quòd regio cultu, & manu consitum erat.* Nec demùm ipse Sapientissimus Salomon, satis ad delicias sibi esse arbitrabatur, admirandam toti Orbi, & sæculis, inhabitare Regiam, inibiq; tractare regia, nisi quoq; & hortensia egisset: De quo

Bibl: ipse narrat: Eccl: 2. *Feci mihi hortos, & pomaria, & consevi ea cunctis generis arboribus.*

2. Cæterùm non adeò mirandùm censeo, homines, qui de terra sunt, terrenis hisce hortorum delicijs mirè affici; Cælitibus quoq;, imò ipsi DEO, non dissimilem genium inesse adverto. Ipse etenim Magnum illum, primumq; terræ & maris Dominum, Adam s. creaturus, hospiti futuro non celsa, & superba, marmore vel auro, aut ebore, erexit palatia, sed floridum præparavit hortum. *Plantaverat autem Dominus Paradisum volu-*

Gen: *ptatis; in quo constituit hominem.* Gen: 2. 8. Et iterùm, quando jam festinabant adesse percupita generi humano tempora adventûs novi Adæ scilicet Filij DEI in carne, invitantium

Cant: ipsum ore Sponsæ tales subaudio voces: Cant: 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum.*

Hortum hunc, seu Paradisum, non alium interpretantur

3. Patres, quàm Uterum, hodie Immac: Conceptæ SS. V. MARIÆ: cui devotissima Encomiastes, Evangelica mulier, elatâ acclamat voce: *Beatus Venter, qui te portavit.* Audiamus, quid de hoc

Richard: Mariæ Vterus Hortus. beatissimo Ventre scripserit Richard: Laur: l. 12. *Benè* (inquit) *Paradisus Uterus Virginis, quem S. Spiritus, imò tota TRINITAS, cujus opera ad extra inseparabilia, tantâ gratiarum ubertate perfudit; quòd DEI Filio factus est Paradisus deliciarum, & hortus voluptatis.* Præstantissimi hujus Horti, qui hodie plantatur in Utero Dignissimæ Matris Annæ, quinquaginta commendationes, idem

Richard

Richard: satis ingeniosè, quindecim complexus est versibus: quibus adhuc unam sed præcipuam adjicere intendo: videlicet, quòd Hortus iste hodie plantatus, sit sine urtica: cùm alias urtica, nedum sit commune, permolestumq; hortorum vitium, sed tangentibus quoq; illam valdè sit infesta, suis tenuissimis spinis eos feriendo: Hæc juxta S. Hier: in Isa: 55. *Moraliter designat vitia, seu ardorem vitiorum & prurigines cogitationum.* Hinc reor, originale peccatum, quod adussit totum genus humanum, rectè appellari posse urticam. Hâc ergo infestâ herbâ, seu urticâ originalis peccati, HORTUM MARIÆ in hodierna sui plantatione caruisse, probare intendo: aliquid præmittendo de causis urticarum animæ, seu concupiscentiarum. Nunc rythmicè salutemus Neo-Conceptam.

Hieron. Vrtica designat vitia. Propositio.

Salve HORTUS DEItatis
Semper vires, semper flores.
Paradise voluptatis:
Nec Adami labem oles.

PARS I.

Cur nimiùm uramur à Concupiscentijs.

4. Cujusdam ex pientioribus Catholicis, occurrit mihi ingeniosum simulq; devotum, datum curiosis responsum; dum enim à nonnuilis invisentibus se amicis, beneq; ordinatum Palatium ipsius videntibus, fuisset requisitus, ut hortum quoq; suum illismet demonstrare vellet; protinùs prospiciens è fenestra Domûs, ostendit ipsis in proximo sui Palatij erectum ad hunc finem magnum Xenodochium, plenum pauperum, & infirmorum: inquiens. Hic est (Domini mei) Hortus meus, hæc sunt peramæna, ubi quotidiè perambulo Viridaria, hi sunt flores, & deliciæ meæ.

Xenodochiũ, hortus deliciosus.

5. Simile quid, etsi cum aliqua differentia, in præsentiarum mihi cogito. Si fortè primus ille homo, in delicijs Paradisi olim creatus, nunc à quopiam interrogaretur; ubi nam nunc esset hortus suus ille peramænus, in quo creatus fuit; (intelligo originalem perfectionem, in qua condita fuit natura humana:) puto, quòd rectè simili usus ingenio, indigitare posset vastissimum, quia totius mundi, hominum originali peste infectorum

Mundus totus Xenodochium infirmorum. ctorum Xenodochium: siquidem jam infecta gleba nostra, s. caro nostra, nil penè, nisi lolia, & pungentes animas nostras, progeminat urticas, hoc est concupiscentias malas; quibus dum continuò urimur, & pungimur, infirmi, & debiles facti, gemitibus, clamoribus, & lacrymis continuè mundum implemus. Genim. Dicit Joan: à S. Genim: c. 76. *quòd urtica, cùm sit naturæ igneæ & fervidæ, est se tangentium uritiva, & talis (inquit) est caro nostra humana, quæ semper secum portat ignem concupiscentiæ.* Et utinam germen hoc pessimum, folius glebæ nostræ, s. carnis depravatæ per originale peccatum, vitium esset! sed plerumq; fit, quòd dum corpori nostro, nova ignea fomēta subministramus, nimium indulgentes commoditatibus ipsius, eò copiosiùs in nobis pullulent, magisq; nos pungant, concupiscentiarum urticæ. Quod

Probatur Scripturaliter.

6. Eccl. Eccl: 23. 22. Sapiens inquit: *Anima calida, quasi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid glutiat; & homo nequam, in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem.* Quæ verba Sapientis, de nullo alio igne intelligenda esse, quàm de igne carnalis concupiscentiæ, ostendunt immediatè subjuncta verba: *Homini fornicario, omnis panis dulcis.* Lyr. Lyranus noster, paraphrasticè talitèr legit hunc textum Scripturæ. *Homo nequam, id est, gulosus non desinet, donec accendat ignem luxuriæ.* Et iterùm habemus de hoc Prov: 29. 21. alterius Sapientis, ad eundem sensum collimantem doctrinam: in hæc verba. *Qui delicatè nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* Prov: Caro delicatè nutrita, malè ursit. Ubi symbolicè per servum (juxta Commentatores) designatur corpus respectu animæ, cui illud subjectum esse debet: quod, dum delicatiùs nutritur, rebelle spiritui evadit, violentèr quasi animam trahens, ad suas brutales cupedias; eamq; tantò urgentioribus & frequentioribus affligit stimulis concupiscentiarum; à quibus nec ipse Paulus Apostolus, quamvis in illa mortificata carne, quam continuò castigando in servitutem redigere conabatur, intangibilis fuit; nimium enim ab ipsis afflictus, & quasi querulus, interdùm dicebat. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet,* 2. Cor: 12. 7. Uterq;

Uterq; ille locus Scripturæ satis evidenter probat, per commoditates quibus fovetur caro nostra, prodire in ipsa mala germina concupiscentiarum, quæ deinde urunt, imò incendũt animas, trahendo hominẽ ad cõsensum. Undè non suo Mysterio viduum est illud in Epistolis S. Pauli: quòd videlicet in eodem contextu, scribendo ad Hebræos, dum Esau fornicarium vocat, statim mentionem faciat escæ, ob cujus immoderatam gulam, perdidit jus primogenituræ. *Ne quis (inquit Apostolus) fornicator aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam, vendidit primogenita sua.* S. Isidorus Pelusiota, dum ab ipso posceretur à quibusdam expositio hujus Scripturæ, connexionem, quæ est inter gulam, & libidinem ex hoc textu deducens, respondit inquiens: *Nihil necesse est, quamobrem ex me sciscitaveritis, quænam horum verborum explanatio sit. Ne quis &c. cùm Scriptura S. eum primogenitorum juris proditorem, ob ventris ingluviem, & voracitatem fuisse convincat: nam cùm eum gulæ deditum fuisse ostendisset, unà quoq; fornicarium, & profanum fuisse, satis habuit demonstrasse.* 7.

Nexus inter gulam, & libidinem. Hebr. Pelusi.

Huc ivit cum sensu suo, etiam Seraphicus Bon: de perfect: relig: T: 2. l. 1. c. 39. premendo supra citata ex Proverbijs verba: dum ita ait: *Qui delicatè nutrit servum suum, &c. hostem suum armat; qui carnem suam delicijs fovet, ultra necessitatem debita sustentationis: quod autem hosti præstas, tibi noces.* Unde zelosè satis & convincenter nostræ olim Provinciæ eximius magnæq; sanctitatis Prædicator Franc: Rychłovius Dom: 14. Pent: quosvè delicatulos alloquitur taliter: *Caro, est hostis noster, juxta Apostolum ad Galat: 5. Caro concupiscit adversùs spiritum. Satis validè impetit nos hostis iste, caro nostra, adeo, ut nimium difficulter resistere valeamus concupiscentijs, & pravis desiderijs ejus: quid ergo esset, si hosti huic nostro s. carni nostræ, accedant in societatem belli, plures alij hostes, carnes videlicet. v.g. caro epiperè præparata variorum altilium, caro ferarum venaticarum, caro volucrum, turdorum, phasianorum, perdicum, cothurnicum, & similium;* in quibus plerumq; ab illis, quorum DEUS venter est, non subsidium indigentis naturæ (hæc enim juxta vulgare proloquium, est paucis contenta) sed deliciæ & gulæ irritamenta quæruntur. 8.

Bonav. Rychlov. Multiplicat hostes, qui carnem, delicatis carnibus ferarum &c. pascit.

Audite iterum S. Bonaventuram; qui loco sup: citato, apposi- 9.

Bonav.

positè ad rem nostram, carnem originali peccato vitiatam, terræ germinanti urticas & tribulos, assimilans, & quomodo delicijs, commoditatibusq; fota, magis concupiscentijs inflammetur, declarans, ait: *Terra corporis nostri, quæ ex prima maledictione, spinas & tribulos ultrò satis germinat, si super hoc, fuerit impinguata delicijs, tanta erit spinarum densitas, quòd semen veritatis in nobis penitùs suffocabitur.* Unde juremerito Ecclesiasticus, ventris ingluviem, commoditates corporis, cum carnali concupiscentia conjungens, ut suum animæ hortum DEUS præcustodire dignaretur ab his infestis concupiscentiarum urticis, & lappis, hunc in modum eum deprecabatur. Eccl: 23. 6. *Aufer à me ventris concupiscentias, & concupitus concupiscentiæ non apprehendat me.* Jam veniamus ad hujus rei Figuram.

Nos ipsi, in carne Vrticas concupiscentiarum multiplicamus.

Eccli:

Probatur

Figuraliter.

10. Idipsum, quod est propositi Nostri, videtur alibi idemmet Sapiens pulchram pandidisse per Figuram, producendo in medium, agrum cujusdam hominis. Eccl: 24. 30. *Per agrum (inquit) pigri hominis transivi, & per Vineam Viri stulti, & ecce totum impleverunt urticæ, & operuerunt superficiem ejus spinæ.* Grammaticè, & in cortice literæ, castigat hìc Salomon, desidem agri sui, & Vineæ cultorem, eiq; damna in quæ seipsum conjicit, ostendit. Jam verò in nucleo literæ, altiùs quid parabolicè significat: nimirùm, damna ille & noxas quasdam conscientiarum, similitudine Horti & Urticæ, notat. Porrò juxta S. Gregorium, *Ecclesia DEI, Ager vel HORTUS dicitur; quæ dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros, bona terra emittit.* Et S. Theophilus in Joan: ait. *HORTUS Domini, est Ecclesia Catholica, in qua sunt Rosæ Martyrum, Lilia Virginum, Violæ Viduarum, Hederæ Conjugum.* Imò cujuscunq; hominis in singulari anima, HORTUS dici poterit: conformitèr ad illa verba. Jerem: 31. 12. *Anima eorum, quasi HORTUS irriguus.* Super quæ iterum S. Greg: ita scribit: *HORTUS est anima justi, diversis stipitibus à Cælesti Sponso consitus.*

Eccli:

Greg.

Theoph: Ecclesia, anima justi, Hortus.

11. Legimus in veterum fastis, deliciosos, & ad omnem pompam, imò ad prodigalitatis luxum conditos fuisse Hesperidum

HOR-

HORTOS, & Dædali exquisitâ manu consita Viridaria: sed in illis Hesperidum hortis, terrificus vigil, quia pestifer excubabat Draco; Dædali verò Viridaria labyrintheis flexibus fatigabant, & arcebant ab accessu hospitem. Simile quid cernere est in HORTO Mystico; sive ille sit Ecclesia DEI, sive Anima fidelis: hic enim etsi speciosè manu Creatoris sit conditus, insuper irrigatus Sanguine Redemptoris; nihilominus ad januam penè excubantem observo vigilem, non jam ad custodiam, sed ad insidias, Draconem videlicet Stygium; qui ignem multiplicium tentationum continuò evomens, exurere nititur in nobis, cælestia virtutum & bonorum operum germina: idemq; ipse tortuosis spiris suis, quibus in carne nostra excitat noxia concupiscentiarum incendia, quasi labyrintheis nostras conscientias involvit anfractibus.

In Hortis Hesperidum vigil Draco: in hortis Dædali, labyrinthus.

Dolenter fateor ab his extrinsecis causis, nostros animarum 12.
HORTOS, non contemnenda subire damna; principale tamen vitium, & noxa quasi domestica HORTI nostri, in nobismet ipsis manet; scilicet pungentes stimuli concupiscentiæ, & malorum carnis desideriorum ardor; quas per illas urticas in agro, seu HORTO pigri, juxta sensum S. Gregorij denotare voluit Salomon, dum dixit: *Transivi per agrum pigri hominis, & per Vineam Viri stulti, & ecce totum oppleverunt urticæ.* Jam percontari expedit: quisnam iste piger fuerit, aut nunc esse significatur, tantorum causa in nobis damnorum? Audeo hucce pigrum, appellare Protoparentem nostrum Adam; qui constitutus à DEO in HORTO voluptatis, ut ibi operaretur, & custodiret illum, dum quasi pigritans otio, delicijs, palatoq; per gustum vetiti pomi vacare cæpit, totam glebam, seu massam generis humani adeò vitiavit, ut jam defacto animæ nostræ, & caro nostra, nihil ex se germinent, nec germinare queant, nisi urticas, s. stimulos concupiscentiarum, & pruritus voluptatis ad malum. Ut fatetur ipsemet Paulus. Rom: 7. 18. *Scio, quia non habitat in me s. in carne mea, bonum.*

Eccl.

Originale peccatum seu semen urticarum s. concupiscentiarum.

Rom.

Sed non putaveris, moneo, hunc solum primum pigrum, 13.
Adam videlicet, propter illam primam prævaricationem, tanti damni HORTORUM, s. in animabus nostris, causam fuisse, & nunc esse-

esse per infectionem originariam: prodidit etenim alterum hujus mali Authorem Sapiens, in ijsdem omninò verbis; nimirum quemq; otiosum & desidiosum in cura animæ suæ hominem; hic enim juxta sensum principalem S. Gregorij, per illum pigrum significatur; ubi statim indirectè notatur homo, ventri, & delicijs deditus. Nam juxta Cassian. l. 10. Instit: c. 6. *Mens otiosi hominis, nihil aliud cogitare novit, quàm de escis & ventre.* Unde & ipse Propheta Ezechiel unitim de otio & gula locutus, eas quasi germanas reputavit sorores. Matt: 7. inquiens: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ Sororis tuæ, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus.*

Otiosus, deliciosus ipse in se seminat malas cupiditates. Cassian. Ezech. 16.

14. Itaq; in prædictis verbis Sapientis, reductis ad sensum, in quo explicantur à Doctoribus, vel explicari possunt, inter alia innuitur; quòd quantò quis, neglecto cultu animæ, exquisitior est in cultu corporis sui, & commoditatibus ventris, tantò plùs anima ejus, urticis, & spinis impletur: quia in corde ipsius prurientia terrena desideria, & punctiones frequenter pullulant, carnis, aliorumq; vitiorum. Si etenim S. Apostolus à delicijs carnis prorsus alienus; cujus vita fuit in laboribus à juventute, in fame, & siti, in frigore, & nuditate, in jejunijs multis, & tamen jam in tertio fatetur loco, agrum suum s. carnem, hisce molestis concupiscentiarum malarum infectum funesse urticis, hoc est stimulis carnis, dum Rom: 7. 23. inquit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,* Quid non sentiet ille homo? qui tot, & omni die distẽditur delicijs, madet phalerno, epulatur opiparè, mollibusq; semper indutus, longam in diem stertit in plumis? Talis enim quasi ultroneè nova jacit in carne sua, urticarum semina, seu occasiones & fomenta rebellionum carnis. Claudam Figuram hanc convenientissimâ proposito nostro similitudine, deprompta ex S. Bernard: Sen: Ser: 5. de esurie Justit: T. 5 *Sicut (ait Sanctus iste) quantò plus de fimo ponitur in terra, tantò ampliùs inutiles herba crescunt, nisi sarculo extirpentur; sic, quantò magis homo delicatè nutriverit, & impinguaverit carnem suam, tantò magis insurgunt inordinati concupiscentiæ motus, nisi sanctâ disciplinâ excolatur.*

Rom. Bern. Sen.

Proba-

Probatur

Historicè.

Acutissimus ille in responsis, etsi multus in fabulis Æsopus, interrogatus nonnunquam ab Olitore, quidnam causæ esset, quòd quantò magis excoleret, & impinguaret stercoribus HORTUM suum, tantò magis, etiam nullo jacto semine, prodirent copiosæ urticæ, aliæq; agrestes herbæ; alia autem germina, v.g. olera, sive aliunde transplantata, sive ex jacto semine pullulantia, non tam facilè crescerent? Ad quæ respondit Æsopus: Quia (inquit) herbis & oleribus transplantatis, aut ex semine aliunde allato natis, terra quasi noverca est; urticis verò, & similibus herbis, ultrò prorumpentibus, vera, & propria Mater habetur: non mirum ergò, quod Mater ista, quantò magis abundat, tantò meliùs foveat, & promoveat proprium suum fætum, & longè magis quàm alienum. 15.

Acutum responsum Æsopi: de terra bonis herbis noverca.

Equidem opera bona, pij motus, actusq; virtutum in anima nostra herbæ sunt, & fructus HORTI nostri, sed de alieno s. de Cælesti semine gratiæ, jacta; urticæ autem concupiscentiarum, motus, & stimuli carnis, genuinum sunt carnis nostræ germen. Deinde hæc eadem caro nostra, per originale peccatum vitiata, veluti stercorata & infecta terra, noverca est virtutum: quia caro concupiscit adversùs spiritum: ut ait Paulus. Ut meritò cuiq; nostrum usurpare justè liceret, & dicere de carne sua, vulgare illud Poëtæ. *Est mihi namq; domi Pater, est injusta noverca.* Si ergo nostra caro, est genuina & propria Mater vitiorum, atq; concupiscentiarum, quid mirum? quòd hâcce virtutum adversante novercâ, jacta Cælitùs inspirationum & motuum piorum, aut virtutum semina non succedant; raròq; aut difficiliter in fructum perfectorum meritorum maturescant: urticæ verò, seu concupiscentiæ malæ, suâ sponte continuò in nobis pullulent; & tantò magis, quantò mater earum s. caro, pinguior est, & succo commoditatum, atq; deliciarum abundat. Jam sylvescentes Hortos, urticis & tribulis vitiorum, animas s. nostras vitiatas vidimus, causamq; cognovimus mali: Nunc, utpotè dilecti MARIÆ, descendamus in amœnissimum HORTUM ipsius; qui est sine urtica. 16.

Caro nostra, noverca virtutum.

PARS. II.

SS. MARIA, sine Urtica originali.

17. NArrant Historiæ Regum Israel. 4. Reg: 23. de Jozia Rege, quòd abolere volens de populo nefandum crimen Idololatriæ, dum delubra, & signa omnia ejusdem Idololatriæ, ubiq; in Regno suo demoliretur, pijssimoq; huic operi intensè incumberet, inter alia deprehendit quoddam Mausoleum, seu sepulchrum, cum insolito titulo, atq; signo: quòd ille aspiciens, assistentes sibi allocutus est, inquiens: *Quis est iste titulus, quem video? responderuntq; ei Cives urbis illius: Sepulchrum est hominis DEI, qui venit de Juda.* Homo autem ille, fuerat Prophetes, qui (ut 3. Reg: 13. legitur) missus à Domino in Bethel, ad prophetandum contra Jeroboam, acceperat præceptum, ne comederet panem in illo loco: quod postea præceptum transgrediens, in reditu occisus fuit in via à leone, & hic magnificè sepultus.

Reg. Sepulchrum occisi Prophetæ, exornatum floribus.

18. Qualis autem ille Titulus sepulchri ejus fuerit? varij variè apud Corn: à lap: referunt. Inter quos Rabb: Salomon asserit, ex ossibus illius Prophetæ sepulti, erupisse quosdam flores, & quasi hortum peramænum super tumulum apparuisse; quem admiratus Rex, dixerat: *Quis est iste titulus.* Factum simul & sensum Rabbini præfati, ad Adam Protoparentem nostrum converto: fuit enim & ipse dictus in Evangelio, Homo DEI. Luc. 3. 23. *Adam, qui fuit DEI.* Hic itaq; homo DEI, quia pariter transgressus est præceptum illud Domini, ne in paradiso de vetito comederet fructu, à Leone rugiente s. sathana, per peccatum, vel etiam ab illo Leone, de quo Joseph Mansi: de Morte d. 35. 5. ex Missali Rom: *Salva me Domine de ore Leonis,* s. à morte occisus, totum orbem quasi implevit cadaveribus & sepulchris filiorum suorum; quia omnes in uno sententiam accepimus tam mortis corporis quàm animæ: hoc in unico nōnisi fortunatus, quòd tamen, quasi ex ossibus atq; sepulchro ipsi, eruperit magni nominis Titulus, videlicet, nata ex semine Adæ SS. Virgo MARIA Immac: hodie Concepta. Isto enim elogio honorata est à SS. Patribus: nam S. Chrysost: appellat eam,

Adam, replevit mundum sepulchris. *Luc:* *Miss:* MARIA Titulus nobilissimus. *Chrys:*

Titulum

Titulum Jacob. Ser: de Nativ: B. V. Item S. Ildeph: c. 12. de laud: *Titulum vocat nobilissimum libertatis nostræ.* Erupit inquam Titulus iste non aliter, nisi tanquam amœnissimus HORTUS, semper plenus omnis puritatis floribus, atq; sine ulla urtica peccati. Quod *Ildeph:*

Probatur **Scripturaliter.**

Non postremam rei nostræ probationem latere adverto in illo textu S. Scripturæ apud Isaiam, de futuro adventu Messiæ. Isa: 11. 1. *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Hunc locum Breviar: antiquum Carthaginense, in Officio Conceptionis, asserit esse commendatissimum, ad elucidandum Mysterium Immac: Conceptionis: hujuscemodi enim versiculos ibi legere est. 19. *Isai.*

Isaias ille Divus, profluendo quasi rivus.
Virgæ facit mentionem, pandit hanc Conceptionem.

Porrò juxta S. Ans: certum est, per Virgam hanc egredientem, denotari SS. Virginem MARIAM; de qua postea erupit flos, JESUS Nazarenus floridus, ter benedictus fructus, & Filius ejus. En jam habemus HORTI MARIAni OEconomiam, s. radicem, Virgam seu surculum, florem, & fructum: quæ eo ipso testabuntur HORTUM MARIÆ in sui plantatione, seu Conceptione, fuisse sine urtica originalis peccati, si velimus profundiùs scrutari ea, quæ latent in textu præfato. *Ansel.* Virga Jesse MARIA: Fructus ejus Christus.

Egredietur (inquit) Virga, de radice Jesse. Illud primum, & quasi in promptu est, quod vulgò dicitur, s. virgam propriè esse surculum, qui rectus, & directus, ab ipso imo, seu à radice assurgit in sublime; nam si quæ sunt non recta, sed curvata germina, hæc apud Hortulanos, Stolones, aut Vitulamina dicuntur. de quibus Sapient: 4. 3. *Spuria vitulamina, dabunt radices altas.* Virgæ autem rectitudo, aut curvatio, ex radice ipsa inchoatur: Succedat igitur memoriæ id, quod de prima hominis conditione in gratia atq; justitia, pronunciat Salomon, Eccl: 7. *Fecit DEUS hominem rectum.* Appellavit ergo Isaias MARIAM Virgam; nec solùm illam Virgam esse dicit, sed tanquam Virgam egredi: ut significaret, non modò eam rectam, & directam 20. *Sap.* MARIA Virga, ob rectitudinem in Cõceptione. *Eccl.*

ctam fuisse, per gratiæ & justitiæ rectitudinem postea comparatam; sed eam rectitudinem, statim ab ipsa radice & germinatione, seu in ipsa Conceptione traxisse, atq; expressisse. Unde S. Hieronymus in hunc locum, hæc verba addit: *Hæc Virga, significat MARIAM, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, (s. originale peccatum)* prout mentem S. Doctoris exponit Salaz: c. 38. Reliqui ergo filij Adæ, spuria vitulamina, & adulterini Stolones sumus, vitium, & curvitatem à radice statim conceptionis nostræ trahentes: MARIA verò sola est directa, & nunquam deflexa virga.

Hieron.

21. *De radice Jesse:* observemus benè, SS. Virginem MARIAM, Virgam dici non de trunco, sed de radice ipsâ egredientem. Videtur sanè hic Propheta Virginem contulisse non cum aliqua ex virgis, quæ in ipso trunco pullulant; sed quæ circa truncum, ex separata & proserpente aliqua radice germinare solent; quæ (ut docet Columella) non tàm aptè germina dicuntur, quàm regermina extraordinariè nata. Et sanè appositè admodùm hoc dicit Columella; quia si ad naturæ ipsius fines spectes, tunc cùm surculum de radice protrudit, novam arborem inchoare contendit. Et jam vides, quàm accommodè dixerit Propheta. *Egredietur virga de radice.* Quasi dicat: Virgo DEIpara, non tam erit naturæ humanæ germen, aut ramus commune stipitis vitium attrahens, quàm ipsius naturæ regermen, ab ima radice repullulans: quia integritas illa prior, naturæ inviolatæ & postea vitiatæ in Adamo, à DEO producta, in MARIA reproducta est, ac restituta; ita ut veluti nova Arbor, ad novarum propaginum ac germinum initium instaurata videatur.

MARIA, Virga, cur non ex stipite, sed ex radice?

Salazar cit: Sylveira in Evang: T. 1. l. 1. c. 3. n. 4.

22. Subdit adhuc Isaias, & nomen radicis. *Egredietur de radice Jesse:* cur non posuit de radice David? huic enim facta fuit olim promissio, quòd ex ejus semine, ac sobole, CHRISTUS sæculis volventibus nasceretur? certè id summo consilio factum, ut Virginis origo ad Jesse referretur per Prophetam: quia Jesse, teste S. Hieron: munus, aut donum significat. Itaq; ex radice Jesse, perinde est, atq; ex radice doni, aut muneris. Quapropter inde apertiùs innuitur, DEIparæ Virginis, primam pro-

MARIA AB donum speciale, Imm: Conceptio. Hieron.

productionem divino muneri, & gratiæ tribuendam esse: tum quia in gratia originali condita fuit: tum etiam, quia ipsa ejus conditio, & prima formatio, per CHRISTI gratiam perfecta & patrata extitit.

Absolvit locum Propheta: inquiens: *Flos de radice ejus ascendet:* quæ verba connotant Dignitatem Matris DEI; quæ ita donata fuit Virgini, ut quoad Sanctitatem attinet; & ad alia jura, ac privilegia, quæ illam comitantur, ab ejus Conceptioni instanti, vigere, atq; efflorescere cœperit: Non enim sine mysterio, huic virgæ ad radicem ipsam, id est, ad ejus initium, flos, id est, Filius natus dicitur. Ita ut liceat sic comminisci; MARIÆ Filium, ad radicem quidem virgæ; id est tunc, quando concepta est, florem fuisse, deinde verò tempore Incarnationis fructum extitisse: sic enim audivit MARIA salutantem se Elizabeth. *Benedictus fructus ventris tui.* Cogita ergò apud te id, quod ego etiam mihi persuasum habeo; hunc fructum nequaquam ex virga germinandum, nisi præcessisset ille flos. Luculentiùs dixerim cum Ferdin: Salazar: de Concept: c. 38. MARIAM non concepturam, nec parituram tandem aliquando Salvatorem putarem, nisi ipsa ex ejusdem Salvatoris beneficio, in gratia & justitia originali concepta fuisset: nam ille flos attulit tandem suum fructum. En quàm benè ex verbis Prophetæ, virga de radice, & flores ejus, declarant HORTUM MARIÆ in sui plantatione, seu Conceptione, fuisse immunem ab urtica originalis labis. 23.

Mariæ radix, seu Concep: à quo florida

Probatur Figuraliter.

Non tàm curiosam, quàm solidam meretur considerationem, HORTI illius Salomonici, de quo in Libris Paralipomenon lego, circumscriptio. *Fecit (inquit Scriptura) Rex Salomon ducentas hastas aureas: Summa 600. aureorum, qui in singulis hastis expendebantur: trecenta quoq; scuta aurea, 300. aureorum, quibus tegebantur singula scuta: posuitq; ea in armamentario, quod erat consitum in nemore:* (ut alij interpretantur) *in Horto;* Par: 2. 9. 16. HIC autem HORTUS, erat in proximo, & è regione Palatij Regij, exquisitissimè ad delicias Regum consitus: hinc non improbabile 24.

Paral.

Salomonis armamentarium in horto.

babile videtur, illum met fuisse, de quo frequenter innuit, & ex multis ipsum commendat Sponsus & Sponsa, in suis Canticis. Sed quæso, quid, speciosæ Floræ, cum pulverulento Gradivo? quæ societas hortensibus, rastris, ligonibus, & surculis, cum hastis, scutis, & umbonibus? si forte tam deliciosus HORTUS, custodiēdus erat, ne à quopiam aliqua subijsset damna, certè si Hesperidum hortis unicus Draco, & Xerxis platano, quæ Regi in amoribus fuit, unicus ex coborte immortalium miles; imò illi, quo pulchriùs nihil visum in terris, terrestri paradiso, unus nonnisi sufficiebat vigil, flammeo benè armatus gladio: quid itaq; causæ quòd solus ille Salomonis HORTUS, tam benè instructo indiguisse videretur Armamentario?

25. Decantatissimum profectò habetur apud Scriptores Sacros, HORTUM illum Salomonis fuisse adæquatissimum typum, mystici HORTI s. SS. Virginis MARIÆ: quem immunem fuisse ab urtica etiam originalis peccati, nonnullæ circumstantiæ HORTI Salomonici, à Spiritu S., etiam in Canticis observatæ, non obscurè indicant. Commendabatur primò HORTUS ille, ex eo, quòd esset conclusus. *HORTVS conclusus Sponsa mea.* Cant: 4. 12. Et hoc ipsum notat SS. Virginem MARIAM conclusam fuisse, contra insidias omnis, etiam originalis peccati: Sic enim S. Bernard: in precat: ad B. V. ait. *HORTVS conclusus, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit.* Manum (puto) intelligit hic melleus Doctor, illam rebellem primi peccatoris Adæ, prurientem ad vetitum paradisi pomum. Dicitur item de eodem HORTO. *Emissiones tuæ paradisus.* Si emissiones dicuntur, & sunt, primò progerminantes rami, vel flosculi; jam benè denotant primam originem, seu Conceptionem MARIÆ: quæ dum paradisus dicuntur, qui fuerat in plenitudine pulchritudinis creatus, hoc ipso symbolicè innuitur, Conceptionem SS. DEIparæ procul fuisse ab omni defectu; sed omninò in plenitudine pulchritudinis, seu gratiæ fuisse celebratam. Sed hæc per accidens dicta sunto.

Mariæ Conceptio declaratur ex Horto concluso, & emissionibus ejus.

Cant:

Bernard.

26. Redeamus potiùs ad illud, quod præcipuum notavimus supra de HORTO Salomonico, ex libris Paralip: habuisse scilicet in medio sui quoddam Armamentariū. Et sanè parùm videbatur:

(ut

(ut dixi) prudentissimo Regi, utcunq; ad custodiam conclusisse Hortum Sponsæ. *Hortus conclusus (inquit) Soror mea Sponsa:* minùsq; sufficere putaverat, exquisitè excoluisse emissiones, seu plantationes ejus ad ornatum, nisi quoq; providisset ipsi de Armamentario ad munimen. Terra quippè Israel, ut vidit Propheta Joel c. 2. 3. *Erat quasi Hortus voluptatis.* sed quia facta postea fuit Hortus sine armamentario: ut ipsi prædixerat Isaias 22. 8. *Videbis (inquit) in die illa armamentarium domûs saltûs:* S. Hieron: complet sensum, addendo, *dissipatum:* Loquiturq; Propheta de illo armamentario (ut observat Cornel:) quod Salomon Rex condiderat in Viridarijs saltûs Libani: ideo ergô, s. quia tum jam non habebatur in Jerusalem armamentarium illud Salomonis, super Hortum voluptatis Domûs Israel, venit citò juxta Isaiam solitudo deserti: & juxta prædictiones alterius Prophetæ: *Desiderabile argentum eorum urtica hæreditavit.* Ab his ergo damnis, eorumq; periculis, Horto suo, & Sponsæ suæ, vel saltim temporibus suis, providere volens Salomon, eum tam instructo sollicitè munierat Armamentario.

Joel. Isa. Osea 9.

27. O quantò incomparabili magis solicitudine laborâsse Cælestem Salomonem, s. æternam Sapientiam, pro Horti sui immunitate, SS. videlicet Virgine MARIA, credendum est; nè in communi illa depopulatione Horti voluptatis s. Protoparentum, per primum peccatum, tàm fædè devastaretur Horti etiam sui s. MARIÆ pulchritudo; ut ita esset immunis ab illa urtica originali, in quam fuit, desiderabile olìm originalis innocentiæ argentum, conversum. Ipsa sanè semper stygio hosti terribilis ut acies ordinata, ipsa contra insidias ejus, turris est David cum propugnaculis, de qua mille clypei pendent. Cæterùm ut tantò immunior esset Hortus iste; in vestibulo s. in primo exortu ipsius, Armamentarium erectum conspicio; in quo pro clypeis, hastis, & gladijs, Crucem, clavos, vincula, catenas, spinas, cerno; videlicet meritissimam, quia infiniti meriti & valoris, Passionem JESU CHRISTI, Filij MARIÆ: Ex hoc ergo Passionis Christi Armamentario, Hortum MARIAnæ Conceptionis Cælestis Salomon s. Sapientia æterna providissimè contra originale peccatum munivit, quando ex super-

Armamentarium Horti Conception: Imm:, Crux.

perabundantissimis, imò ex præcipuis meritis prævisæ Passionis Christi, præveniente, seu præservante gratiâ, in primo creationis ejus puncto, ipsam ditavit; specialiq; privilegio, & applicatione Omnipotentiæ suæ fecit, ut hodiernâ die Conceptio MARIÆ, veluti mundissimus HORTUS absq; omni peccati urtica, appareret. De quo exquiramus etiam sensum Patrum.

Probatur **Doctoraliter.**

28. Mellifluus Doctor, per hoc ipsum convincitur ab HORTO MARIÆ, etiam in Conceptione ipsius, urticam labis originalis abjudicasse; quando plantationem areolarum ejus, ipsius Spiritûs S. manu factam esse contendit. Sic enim in Precatione sua, alloquitur SS. Virginem MARIAM. *Tu es areola Sanctorum aromatum, à cælesti consita Pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans.* Et rursùs Ser: de Nativ: Mar: *HORTUS planè deliciarum est MARIA: quia non solùm eam afflavit veniens, sed etiam perflavit superveniens Auster ille Divinus; ut undiq; fluant aromata illius.* Idem intentum habuisse censeri potest S. Ernestus Pragen: in Mariali c. 63. dum ita ait. *MARIA areola beata, quam ille magnus agricola cum magna vigilia sibi præparavit, & afflavit, & sibimet elegit, & præelegit.*

29. Non alio fine & cæteri Doctores, delicias, flores, & fructus HORTI hujus MARIAni latè recensent & deprædicant; nisi ut per hoc ostendant, nullum in MARIA fuisse locum urticis, & spinis cujuscunq; peccati. Ita enim innuit Petr: Cellensis Ser: de Nativ: *Areola MARIA, non quia spinas produxerat, id est punctiones mali desiderij, non quia tribulos, id est, anxietates cujuslibet malignitatis; non quia fœnum, id est sæcularis prosperitatis; non quia stipulam, id est defectum Sancti propositi; non quia salices de torrente; non deniq; quia aliquid plebeij, aut forensis mercimonij; sed quia flos campi, quia lilium convallium; sed quia uva passu, sed quia aromaticæ species, sed quia fistula & cinamomum; sed quia myrrha & cassia: sed quia incomparabile, si attendas ad pretium; mirabile, si ad usum; investigabile, si ad mysterium; palpabile, si ad usum; dulce, si ad gustum; efficax, si ad officium: sunt emissiones ejus paradisus.* Dixi autem supra: Per emissiones notari primam originem, seu Conceptionem ipsius. S. Damas:

num: 25.

S. Damasc: orat: 2. de dormit: V. *Hodie Edem, novi Adam paradisum suscepit animatum, in quo sublata est condemnatio; in quo plantatum est lignum vitæ, &c.* Et Orat: 1. *In hoc paradiso non patuit Serpenti aditus.* S. Ephrem: Orat: in DEIp: *Ave Paradise deliciarum, totiusq; amanitatis, & immortalitatis; ave lignum vitæ, gaudium, & voluptas.* 30.

Probatur Miraculosè.

Immunitatem hanc Horti Mariani ab urtica originali, benè confirmabunt, quidam in gratiam Imm: Conceptionis, miraculosè nati ex terra flores. Pexenfelder Concion: Historicus, hist: 99. cum authenticis testimonijs, rem gestam describit: videlicet, quòd Anno Christi 1653. in Urbe, Regni Valentini in Hispania, Xanthiva dicta, dum quidam Antonius ex Cong: S. Philippi Nerei, SS.Theol: Doctor, zelosè absolvisset Concionem, pro tuendo Mysterio Imm: Conceptionis, contra quosdam, qui furtivè valuis Ecclesiæ affixerant Schedam impugnativam hujus Mysterij; totâ nocte deambulans per hortum, & piè Rosarium manibus & ore volvens, interea meminit thematis suæ præteritæ Concionis: quod assumpserat tale: *Sicut lilium inter spinas, &c.* ac ratiocinari cæpit, illa non solere nasci inter spinas, sed in locis cultis: brevi lucescente die, (quod contigerat 21. Augusti, quando jam lilia non florent;) advertit in parte Horti lilium inter spinas, densè septum: attonitus, flexis genibus recitat orationem de Imm: Conceptione, ac caulem, unde flos enatus erat respiciens, postquam manu suâ terram ad quatuor digittos eruit, radicem reperit instar parvi bulbi, pelliculâ suâ clausi, viditq; florem formari in bulbo, & ad scapum seu caulem ascendere, & calicem seu florem aperire, ac explicare. Hoc intuitus, meminit illius Isaiæ. *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Supervenit alter Sacerdos, qui paucos retrocedēs passus, invenit quoq; aliud liliū, ejusdem formæ cum priori; bulbum de terra effodit, cultro pelliculam detrahit, bulbum dividit; & ecce apparere cæpit Imago Imm: Conceptionis cum oculis naribus, corona in capite, & capillis per humeros defluentibus; obvij quidam etsi rudes co- 31.

Lilium inter spinas, & bulbus cum Icone Imm: Concep.

soni, rem clarè agnoscunt, mirantur; res defertur ad Archiepiscopum Valentinum, canonicè per testes examinatur: illudq; naturæ, vel potiùs gratiæ miraculum evulgatur, in favorem Imm: Conceptionis. Idem Antonius, dum iterum 1664. Simile in vepreto reperisset lilium, tulit illud Archiepiscopo, & Marchioni Pro-Regi monstravit: atq; bulbus ille cum Icone expressa, argenteâ thecâ inclusus, missus est Philippo IV. Regi Hispaniarum; qui pro sua pietate jussit, quàm maximâ reverentiâ radicem illam reservari eò, quòd Imaginem B. Virginis repræsentaret.

Probatur Scholasticè.

32. *THEOL:* Ita se habet fomes peccati, ad originale peccatum, sicut se habet effectus ad suam causam; & reciprocè: de promptu sit exemplum in urtica, respectivè ad suum aculeum, quo pungit, & adurit tangentem: Fomes enim, & concupiscentia ad malum, juxta Apostolum, stimulus carnis appellantur: ubi verò non habetur effectus in actu secundo, ibi non datur causa, præsertim in actu secundo. Sed secundùm Patres (quos adduxi supra, sub Titulo: *Arbor sine Verme.* in SS. Virgine MARIA, non fuit ille originalis stimulus, seu aculeus fomitis, & concupiscentiarum ad peccatum: & quidem perfectiori privilegio, quàm in alijs quibusdam Sanctis in hoc ipso ex parte tantùm privilegiatis. Ut ibid: dixi n. 28. Ergo neq; in illa fuit ipsum originale peccatum: consequenter Anima ipsius fuit in sui creatione veluti HORTUS sine urtica originali.

In MARIA, non fuit aculeus, s. fomes, neq; etiam fuit urtica, s. originale peccatũ n. 26.

33. *PHILOS:* Naturales Philosophi (apud Mund: Symbol:) notant de Myrto, quæ singulare solet esse hortorum ornamentum; miram in illa haberi naturæ Sympathiam cum Pomo, quæ Malogranatum dicitur: adeo, ut ubi istæ plantæ sibi vicinæ fuerint, vigorem & fructum solitò liberaliorem exhibeant: Aliud quoq; arcanum naturæ, scilicet quandam inter myrtum, & urticam antipathiam adverto, seu colligo apud Prophetam: quando veluti de sibi ex adverso contrarijs videtur loqui Isai: c. 55. 13. *Pro saliunca (inquit) ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus* Rich: Laur: SS. Virginem MARIAM vocat Myrtum;

Mira Sympathia myrthi, cum Malogranato; & antipathia cum urtica.

Isai.

MARIA myrtus.

Rich.

idq; ratione imputribilitatis naturalis, quam habet hujuscemodi planta; quæ propterea optimum est Symbolum incorruptæ Cōceptionis B. Virginis MARIÆ. Malogranatum verò ex sensu S. Greg: sup: 1. Reg: 14. significat Christum; & specialiter puto, quoad multitudinem meritorum Passionis ejus; ex hujus ergo myrti efficacia, seu ex prævisis præstantioribus meritis Passionis Christi, ratione Sympathiæ seu relationis Matris ad Personam Filij, & merita ejus, Myrtus mystica SS. V. MARIA hausit imputribilitatem in Ortu suo, per infusam, alias concreatam sibi gratiam sanctificantē. Quod si ita est: quomodo itaq; inimica Myrto urtica originalis peccati, ipsi adnasci in suo exortu potuit? & mundissimum HORTUM Conceptionis ejus inficere?

Greg. Christus Malogranatum

34. *STMB:* Præcipuus in laudibus Marianis, ævi nostri Encomiastes, Ambr: Niesporkovius Ord: S. Pauli Eremit: Emblematum Centuriâ 1. Decade 6. embl: 5. ad declarandam Imm: Conceptionem SS. Virginis MARIÆ per modum Symboli, seu Emblematis, proposuit HORTUM in amæniori loco, variorum florum, fructuumq; copiâ refertum, undiq; vallatum, munitumque. In spinarum autem acuminibus longè extra hortum, emortuus hærebat serpens; cum Lemmate *Horti nunquam temeravit honorem.* Cui ingenioso Emblemati suffragatur illud Rich: Laur: l. 12. de laud: V. M. *MARIA est HORTUS conclusus, in quem nulla astutia serpentis antiqui irrumpere potuit, sicut fecerat in paradisum terrestrem.* Porrò rudioris populi opinio est, quòd serpens, amisso aculeo, dum aliquem ferit, protinùs ex spiculis urticarum, novum aculeum acquirere curat; & si urticas non inveniat, subitò emoritur. Sanè, optimè ad rem nostram: Serpens enim ille Stygius, paradisi tentator, dum inflicto Protoparentibus nostris posterisq; eorum, ferali ictu, amisit, quia reliquit infixum ipsis, peccati aculeum, vivat licet, pessimus superstes in universis, quos veneno infecit, ante tamen HORTUM MARIÆ, suo destitutus aculeo, emortuus jacet; urticam enim originalem in ipsa non reperit, ex qua resumpto aculeo, Conceptionem ejus ferire potuisset.

A Horto Mariæ, procul Serpens.

Richard.

Serpentis aculeus, ex urtica.

35. *POES:* Floriger, urticis exclusis, germinat HORTUS:
Se explicat, & pictis Flora superbit agris.

Nam Tua dum florens vernat Conceptio Virgo;
HORTO non valuit, culpa virere tuo.
Pascitur irriguis HORTUS genialis ab undis,
Flos patet ad ventos, spirat aroma Notis.
Vincere delicias hortorum, credita Virgo est:
Dum perflat Natam, Spiritus ipse DEUS.

PROG: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.*

ANAG: Tu nævo Immaculata paradisi germen:
Area munda, imò clausa, uni Regi patet.
Tam Diva me Agno, sine urtica almè pura.
A cælo grandi; an majus viretum petam?

Probatur Historicè.

36. Cæca illa Ethnicorum antiquitas, parùm, vel nihil de immortalitate animæ sentiens; Cælestem quandam in terris beatitatem effingere sibi nitebatur: præsertim in HORTIS magnis laboribus, & impensis extructis; in quibus mirâ arborum, florum, decurrentium aquarum amænitate, varietate, & sitûs dispositione, omnes penè sensus in homine delectarentur; concurrente simul imò concertante naturâ cum arte, cunctisq; elementis. Hos inter, celebriores erant HORTI Babylonici, Pensiles dicti; qui ideo quodammodo Cælestes videbantur; nam plantati in terra miro artificio in äere appensa, optimè erant exculti, columnisq; atq; fornicibus, quæ intùs terrâ repletæ erant, ad recipiendas arborum radices, provide suffulti, & elevati. Ad quorum similitudinem recentioribus jam sæculis, quendam Regem Hungariæ, sibi erexisse HORTOS, testatur Bonfinus l. 5. de rebus Hung.

Horti Babylonici pẽsiles.

37. Vidisti jam, bone Lector, SS. Virginem MARIAM in sui Cõceptione prodiisse veluti amænissimum HORTUM, exquisitè & in plenitudine omnis gratiæ plantatum; atq; sine ullo malo germine, vel urtica originalis noxæ. Sed non mirare adeò! Pensilem enim è Cælo hunc cogita HORTUM; quia in cælesti, nova, & benedicta terra plantatum. Nam ut notat Bernard: Busto: de MARIA intelligitur illud Apoc: 21. *Vidi Cælum novum, & terram novam.* Item Psal: 84. *Benedixisti Domine terram tuam.*

Apoc. *Psal.*

am. Prov: 3. *Dominus, Sapientiâ fundavit terram.* Parùm adhuc puto est appellasse MARIAM, terram novam, & benedictam, nisi Pensilem quoq; dixero. De ipsa etenim Richard: Laur: l. 8. de laud V. vult intelligi illud Job: 26. 7. *Qui appendit terram, super nihilum:* Benè quoq; de illa usurpare audeo & verba Prophetæ. Isai: 40. 12. *Quis appendit tribus digitis molem terræ.* Tres hîc digitos cum Cornel: à lap: intelligo tres Personas SS. TRINITATIS; quæ quomodo singillatim quasi, concurrerint ad hoc, ut B. Virgo ita conciperetur, ut nihilum s. peccatum originale minimè attingeret: dictum est alibi. Tit: Arbor n. 40. & infra adhuc dicetur. Vel etiam per tres digitos, quibus appenditur, & elevatur plùs cæteris Conceptio MARIÆ, significari putare illud triplex Scotistarũ fundamentũ pro tuenda MARIA ab originali peccato. *Potuit, debuit, decuit, præservari MARIAM à labe originali.* Ad hunc ergò pensilem Cælestemq; HORTUM, à terra elevarũ, quomodo Stygius ille seminator mali, & ille Serpens damnatus ad hoc, ut nonnisi super terram graderetur, terramq; comederet; attingere potuit? quatenùs malum suum germen, urticam s. originalis peccati ipsi superseminasset?

Prov. Maria, terra nova, benedicta, pensilis. Job. Isai. MARIAE Imm: Conceptio terra tribus digitis appensa.

EPILOGUS.

38. Penequin nobilis Author, memorat quendam tàm pessimè fuisse affectum delicijs HORTORUM, ut quadam vice, dum deambulans per hortum advertisset, araneum inter flores odoriferos, herbasq; molles decurrentem, & nidificantem, æstuanti desiderio accensus, cum suspirio dixerit. *O mi DEUS! utinam ego istemet araneus fierem, ut ita semper frui liceret amænitatibus hujus HORTI; cederem profectò omni juri, si quod fortè habeo ad gloriam Cælestem.* O mentem fatuam! ô vocem non hominis, sed bruti! Liceat tamen vel fatuitate hujus scelesti, sanctè & devotè uti. Nos quidem miseri, vermes, & araneæ sumus. De nobis illud est Psal: 38. 12. *Tabescere fecisti, sicut araneam, animam ejus.* Et iterum Psal: 89. 10. *Et sicut aranea meditabuntur.* Et quæ vita, quis labor noster est? nisi aranearum: dum vanis terrenis distendimur, imò eviscerамur negotijs. *Telas* (inquit Propheta de peccatoribus) *araneæ texuerunt.*

Araneus hic, fieri expetijt quidam. Psal. Aranei, homines mundani.

39. Utinam, utinam, inquilini, etiam aranei facti, HORTI MARIÆ, ad meliora convertamus in totum studia, & vires nostras? Hic enim HORTUS, ut vidimus mundissimus est, omniq; florum, aromatum apparatu instructus: Non amittis Cælum (ut ille fatuus voluit) sed lucraris, si huic HORTO consecras tua studia: simul enim MARIA, HORTUS & Cælum est. Ipsam enim S. Aug: Ser: de Ass: vocat *Cælum, cælo altius*. Ergò jam amænissimo huic HORTO devotè insinuemus nos; & si fortè conclusus, altus & pensilis est, nitamur, & saltim manibus pedibusq; reptemus veluti araneæ, vel stellio; de quo Prov: 30. *Stellio nititur manibus, & moratur in domibus Regum.* O Paradise Cælestis! ô HORTE ab omni urtica peccati mundissime, Immaculatè Concepta MARIA! adaperire nobis benignè, admitte vota, fave desiderijs, vilissimorum etsi, Ortûs Tui Immaculati zelatorum. Erubescimus cum Propheta Isai: 1. 29. *Super HORTIS nostris:* undiq; repletis urticâ & lappâ peccatorum: utinam cum Tuis laudibus refiorescant vastati tam fædè agelli animarum nostrarum, nec ampliùs molestis rebellium concupiscentiarum pungamur urticis: oramus Cælestem Agricolam; fiat id per gratiam ejus, Tuo efficacissimo interventu, & per Tuam Immaculatam Conceptionem: cui nunc gratulabundi acclamamus.

S. August.

Votum Authoris.

Io! vivat Immaculata SS. DEIparæ Conceptio.





IMAGO,
sine Nævo,
SS. Virgo MARIA,
sine labe Concepta.

Liber generationis JESV Christi. Matt: 1.
Creavit DEVS hominem ad imaginem suam. Gen: 1.

QUis non videat Sacrum etiam Chronologum, seu Evangelistam Matthæum, in recensenda Genealogia Salvatoris nostri, receptum antiquioris sæculi hominum morem; imitatum fuisse; quibus in usu erat, quòd posteri, majorum suorum IMAGINES, cerâ, vel penicillo expressas conservarent; ut tantò magis ex genere suo commendarentur, quantò nobilioribus enituissent ceris. NN. Hinc quendam à Majorum avita virtute degenerem, criticè notans, monuit Ovidius: inquiens. I.

Cur imagines majorũ conservabãtur.

Perlege dispositas generosa per atria ceras.

Et sanè, ex abditis consiliorum Divinorum prodijt, quòd æternarum provisionum investigabilis dispositio, non voluerit Filium DEI, in carne vulgariter nasci: quamvis enim in angusto, de paupere Matre nasciturus esset ergastulo, ab augustis tamen multorum Regum Sceptris, Illustriumq; Virorum fastis, natalia trahere debuit: quorum ideò nomina in Sacro Evangelij codice, veluti in cera, aut imagine depinxit Matthæus, dum ait: *Liber generationis JESV Christi, &c.*

Damna-

2. Damnabilis quidem sæculi ille fastus est, stemmata, cerasq; majorum jactare, dum improbè, & ingloriè vivitur. Non tam enim vetusta & venusta majorum stemmata, quàm recens cujusq; virtus generosiorem cudit nobilitatem. Et ut Senec: Ep: 144. ait: *Non facit nobilem, atrium plenum fumosis imaginibus: nemo enim in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est.* Item Politic: Christianus l. 1. c. 10. inquit: *Mallem, si delectus daretur, ab ovibus, & funda, sine ullis majorum imaginibus, cum Davide in Regnum vocari, & victorem omnium in circuitu gentium statui, quàm post longâ serie Reges, cum ignavo Manasse ab Assyriis vinctum catenis & compedibus duci.* Cæterùm, quia Majorum vetus pietas, sanctiùs propagat, vel decorat naturalem posterorum virtutem, non omninò adhuc damnabile erit, etiam ceris imaginibusq; Majorum commendari: prosunt enim vel ad incitamentum, & imitationem gloriosè gestorum, vel in testimonium virtutis, sanctitate quadam ingenitâ propagatæ. Benè itaq; Sacer Evangelista, cum Natalibus Christi, qui fons est omnis sanctitatis, augustas Progenitorum ejus producit IMAGINES; ut ita Filius DEI, gloriosus in se, & ex se, tantò gloriosior etiam in carne veniens, ex tam præclaris Aboriginibus appareret.

Senec. Virtus, nobile Stemma.

Cur Christus ex nobilibus natus?

3. Obfuscatas tamen antiquitatis fuligine, nec sine nævo, hasce omnes Progenitorum Christi, IMAGINES expositas in Evangelio, esse adverto: nam scio de fide, quosq; ex illis, etiam Sanctissimos, contractâ vetustate originalis culpæ, nævum, & maculam dedisse, vel potiùs accepisse in decore suo. Ne tamen illi, qui in cælis est Imago Patris, & Figura Substantiæ ejus, etiam in terris nascenti, deesset à perfectissimis Majorum suorum ceris, & Imaginibus suum decus, atq; ornamentum, dum audio in Genealogia Christi recenseri SS. Virginem MARIAM. *Virum MARIÆ de qua natus est JESUS.* illicò subit mentem, quòd inter tot fulginosas ob vetustatem, pridem ab Ada derivatæ culpæ, Progenitorum omnium IMAGINES, & memorias, unica nonnisi, sed perfectissima, politissima, & ad omne punctum Summi Opificis manu elaborata, sine vetustatis fuligine, aut nævo, exponitur IMAGO; ipsa nempè SS. Virgo MARIA, quæ

Imago DEI in homine, peccato originali obfuscata.

quæ hodie in Utero Dignissimæ suæ Matris S. Annæ, veluti in tabula perfectissimè ad similitudinem DEI, quasi depingitur, dum sine ulla peccati concipitur labe. Quod ulteriùs in præsenti discursu probandum assumo: priùs tamen, in parte morali, de IMAGINE, & similitudine DEI, quæ relucet & relucere debet in anima rationali, aliquid dicturus. Nunc rythmicè salutemus Neo-Conceptam MARIAM. Propositio

O IMAGO sine labe! Non est in Te nævus Adæ.
Pulchrè DEUM expressisti: Nam Adæ non consensisti.

PARS I.

De Imagine DEI in homine; unde in ipsa nævi: & quàm cautè conservanda.

VEtustorum Historicorum aliqui referunt, quòd dum quidam valdè deformis facie, Polypus dictus, ad fasces, Thronumq; Regium cujusdam Provinciæ, voce populi sublevatus fuisset, peritiores Pictores, Neoelecti Regis, ad vivum cum suis nævis, & deformitatibus faciem depingentes, ipsius IMAGINI, hujuscemodi superimposuère inscriptionem: *Irato DEO.* innuere per id volentes, pœnæ imputandum, populo pro sceleribus à DEO inflictæ, tam deformem hominem ipsis datum in Regem. Princeps ille generis nostri, primusq; homo Adam, caput nostrum, venustissimè quidem ad IMAGINEM DEI originaliter creatus, fatali tamen casu sub vetita arbore paradisi, tam pulchram defœdavit IMAGINEM: quod Brev: Franc: in Offic: S. Gabr: hisce describit metris: *Stabat IMAGO Cœlica, in horto voluptatis, Divinorum famelica, in statu dignitatis, quam turpavit terrifica, figura antiquitatis.* Inde est, quod non solus ipse, sed omnes quoq; nos posteri ejus, conformiter ad Prototypum nostrum effigiati, deturpatam, quia originali culpâ vitiatam, portamus IMAGINEM, mille, & plusquam mille imperfectionum, fragilitatum concupiscentiarum, & quod magis dolendum, personalium peccatorum maculis deformem: idq; in testimonium *Irati DEI*, justissimè hâc turpi notâ in rebelles & transfugas suos vindicantis 4. Rex deformis, irati Dei signum.

notati. Cæterùm, quia peritissimæ Supremi Artificis manui, ex immensâ suâ pietate, hanc deturpatam in nobis IMAGINEM restaurare placuit, non jam exquisitis coloribus, sed succo & sanguine pretiosissimo Redemptoris nostri: id est, novâ gratiâ ex meritis Passionis Christi haustâ, animas nostras per Sacramenta intingendo: ideò ne deinceps tam facilè, tanta venustas ab IMAGINE nostrâ transeat, & deformetur; & ut eam tantò ampliùs æstimem', meritò cõspiciendã accuratiùs, primò propono.

Probatur

Scripturaliter.

5\. Nihil clariùs potest legi in S. Scriptura, quàm quòd quilibet homo, & præsertim justus, sit genuina Imago, seu Typus sui Creatoris: Id enim penè in ipsâ fronte Scripturæ reperire est. *Gen.* Gen. 1. *Faciamus (inquit DEUS) hominem, ad imaginem & similitudinem nostram.* Et rursus c. 5. *Creavit DEUS hominem, ad similitudinem DEI fecit illum.* Tantæ molis erat, (ut ait S. Ambr:) condere unum hominem, & talem effingere IMAGINEM; ut cogi debuerit consilium SS. Trinitatis. *Faciamus (inquit* in plurali) Ex quo termino Theologus solet demonstrare pluralitatem Personarum in Divinis. Cælestes Orbes, terra, maria, totaq; universi machina, vel unicâ voce evocata, prodijt è nihilo: *Dixit enim, & facta sunt.* Sed homo, IMAGO DEI non prodijt, nisi destinato consilio, maturâ deliberatione, collectâ vi: non alio puto fine id factum; nisi ut homo prodiret tanquàm genuina IMAGO Auctoris sui, & exemplar longè perfectissimum; in quo scilicet se ipse impressit, & expressit DEUS, velut in cera molli, nuda tabella, pretioso numismate, signaculo similitudinis. Nec in cassum tanta conamina; quidquid etenim in DEO est, ad hæc tria reduci debet capita. Esse, vivere, & intelligere. Hæc DEUS in alijs sparsit, in homine collegit: habet DEUS esse; & illius vestigium aliquod impressit inanimis, cælo, & elementis. Habet DEUS vivere vitâ propriâ, vitâ perfectissimâ; & hujus vitæ semina, plantis, & brutis inserüit. Habet DEUS intelligere; & illud Angelicæ naturæ commune esse voluit: ideoq; â Philosophis Angelus, Intelligentia dicitur. At, hæc omnia in uno homine collegit DEUS:

Creatio hominis, magnæ deliberationis.

Homo, quo sensu Imago Dei dicitur.

DEUS:

DEUS: habet enim homo esse cum inanimis, vivere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis, & cum ipso DEO, prima perfectissima mente: quæ IMAGO DEI invenitur in homine, primò in ratione, & intellectu, deinde in arbitrij libertate; quæ ex ratione, veluti ex radice manat: quo fit, ut homo polleat naturali intellectu, voluntate, & libertate, quibus pollet & DEUS. *Ita discurrit Lobettius de peccat: l. 3. prop: 1.*

Sed parùm videbatur DEO condidisse hominem ad IMAGINEM suam, nisi quoq; fecisset eum ad similitudinem. *Faciamus (inquit) hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* distinctam enim esse, IMAGINEM, & similitudinem quis negabit? Nam IMAGO Regis deturpari potest, & cum multis mendis, à rudi manu alicujus imperiti pictoris depingi, & IMAGO Regis verè dici, non tamen dici poterit adæquata similitudo Regis: sic à simili (ut ait Rup: l. 2. in Gen: 2.) *Potuit per peccatum creatura rationalis amittere id, quod ad similitudinem DEI facta est; non potuit verò eo carere, quod ad Imaginem DEI condita est.* Cujus statim rationem subdit. *Quia (inquit) Divinæ bonitatis imitatio, per quam DEI similitudo retinetur, creaturæ quoq; voluntatem requirit: rationalitas autem, quæ impressione IMAGINIS DEI humanæ animæ insculpta est, à sola creationis arte processit.* Imago ergo expressa, connotat dona naturæ, similitudo, dona gratiæ & virtutum; in quibus creatus fuit ille homo primus: quod nedùm de illo solo homine, sed de quocunq; alio, omninò concedendum est; in cujus anima, gratiæ sanctificantis enitet fulgor, pulchrisq; virtutum coloribus, veluti in tabula depingitur ipse DEUS, illiusq; perfectiones. Ait enim S. Bern: Sen: T. 1. Ser: 51. *Similitudo DEI, tunc in anima esse dicitur, cùm habet virtutes charitate formatas.* Item Ven: Beda exponendo illa verba Ps: 4. 7. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine:* ita scribit: *Imago DEI in anima nostra, & ratio, & intellectus; similitudo verò ejus est pietas, justitia, humilitas, & cæteræ virtutes; quas ut boni essemus, sicuti ipse, naturaliter animæ nostræ inseruit.*

6. Imago, & similitudo, distincta. Rupert. Bernar. Sen. Beda.

S. Ambros: de dignit: condit: human: c. 3. ad eundem sensum similitudinis hujus in anima reddens rationem, sic loquitur. *Ita homo creatus, ut charitatem haberet, ut bonus esset, ut justus, ut* 7. Ambros.

 patiens,

patiens, vt mitis, mundus, & misericors foret: quia virtutes, quantò plùs quisq; in seipso habet, tantò propiùs est DEO, & majorem sui Conditoris gerit similitudinem. Tandem, quia omne pulchrum invidiæ & insidijs subest; audi commonentem te de hoc Origenem hom: 13. in Lev: *Vide cujus decoris, cujus pulchritudinis est anima, quæ IMAGINEM, & similitudinem DEI habet: hanc pulchritudinem contrariæ potestates cùm aspiciunt, id est Diabolus & Angeli ejus, concupiscunt speciem ipsius.* Ut ergò tanto tuo damno caveas, nævos, seu modos, quibus fortè defædari posset tam pulchra IMAGO Animæ tuæ, maturè prævide: vel potiùs vide in Figura.

Origen.

8. *Probatur* **Figuraliter.**

Vulgatissima est opinio apud Sacros Scriptores, nævum IMAGINIS DEI, s. animæ rationalis ad similitudinem DEI creatæ, non alium esse, quàm ipsummet peccatum & vitia; quæ dum in animam, alienam, imò adversam inducunt figuram, expressam in illa Creatoris sui similitudinem violant, adulterant, & defædant. Unde S. Chrysost: hom: 27. ait. *Nihil turpius, aut deformius, animâ vitijs obnoxiâ.* Porrò, si quis, cuipiam ad puncta, & leges artis, apprimè à peritissimo Artifice elaboratæ IMAGINI, adveniat nævus, aut macula, id plerumq; contingit à manu alicujus vel imperiti, vel invidi: aliùs enim, dum artis ignarus, optimè disposita cancellat, & emendat lineamenta, facilè artificium corrumpit; alius verò dum ex invidia insolenti manu inconcinnos superinducit characteres, aut fædis eam respergit maculis, doctæ pictoris manûs, & præclara penicilli specimina deturpat.

Chrysost.

9. Et profectò, si nævos peccatorum, quibus IMAGO DEI in anima peccatrice violata scatet, diligentiùs observes; eandem prorsùs vel similem invenies rationem: propriam videlicet ipsius peccatoris, pravæ voluntatis manum; & deinde alteram æmulam, invidiosi generi humano hostis; s. dæmonis tentationes. Utrumq; id de sub cortice Figuræ S. Scripturæ sese prodit. Et quidem primò, quantùm valeat ad deformandam IMAGINEM DEI in anima, propria perversa cujusq; voluntas, speciali ingenij sui acumine investigavit Rupertus Abb: l. 2. in Gen: c. 6. ex illo loco

Macula animæ, à mala voluntate & dæmone.

loco S. Scripturæ, quem immediatè tractavimus. *Faciamus hominem ad IMAGINEM, & similitudinem nostram.* Diligentèr enim advertit ille, quòd Moyses postquam recensuisset, qualiter tres Personæ Divinæ dixerint: *Faciamus hominem &c.* paulò post, de eodem homine reassumendo, iterum narrat: *Creavit DEUS hominem; ad Imaginem DEI creavit illum.* Quærit iste argutissimus Commentator, Curnam Moyses secundâ vice, recensendo creationem hominis, nullam faciat mentionem, sicut fecerat in priori loco, similitudinis DEI? observat ergo idemmet Scriptor sat subtiliter, quòd Moyses in primo loco attenderit ad illud in homine, quod homo acceperat à DEO in sui creatione: in secundo autem loco, apprehendit illud, quod posteà per pravam voluntatem suam homo incurrit, f. profanationem IMAGINIS, & similitudinis perfectæ, quam sortitus fuerat in prima sui creatione. De quo accipe verba Venerandi hujus Abbatis. *Numquid casu, vel oblivione tam magnâ parte conditionem hominis in suo sermone diminuit, quam in DEI dictione, tam nobiliter utraq; parte extulit? Non utiq; sed scienter, quid DEUS intendisset, in verbis jam expressit, & quid accepisset, in suo sermone prudenter observavit: Cùm enim diceret DEUS: Faciamus hominem; ipse utiq; illum ad IMAGINEM, & similitudinem suam facere intenderat; cùm autem hoc ipse scriberet, homo per peccatum, DEI similitudinem jam amiserat.* Cum hujus Abbatis sensu coincidit Richard: Victor: dum dicit: *Creavit Dominus DEUS hominem ad IMAGINEM suam, & similitudinem; ecce qualis sis factus à DEO; attende & illud, qualis factus sis à temetipso.*

En habemus primam causam ex nobis nævorum, quibus vitiatur in anima nostra, IMAGO, & similitudo DEI: alteram quoq; ejusdem mali, latere adverto in illis Psalmistæ verbis: Psal 118. 135. *Faciem tuam illumina super servum tuum.* Noverat ipse benè, animæ suæ impressam fuisse Faciem seu Imaginem DEI: hoc enim disertè fassus est Psal: 4. *Signatum est super nos, lumen vultûs tui Domine.* Notanter ergò dicit: *Faciem tuam,* (non autem dicit, *Faciem meam*) *illumina super servum tuum:* hinc ad eum modum aliquid innuere videtur: quòd, sicut perfectè etiam delineatæ IMAGINES, parùm gratiosæ sunt, nisi exquisitioribus illuminen- 10. *Psal:*

Color, & vernix imaginis animæ, charitas DEI. tur coloribus, & à superinducto vernice lumen quoddam acquirant; ita pariter cupiebat David illuminari IMAGINEM, seu Faciem DEI expressam in sua anima; inquiens. *Faciem tuam illumina &c.* Lumen autem exornativum animarum, non aliud convenientiùs intelligo, quàm lumen charitatis; quâ animæ tanti beneficij grata & memor, exardescens in DEUM, tantò August. nitidiùs expolitur. Et justè quidem. Ait enim S. Aug: l. de Spir: & Anim: *Facta est anima ad IMAGINEM, & similitudinem DEI, ut Factorem suum pro IMAGINE cognoscat, & pro similitudine diligat.*

II. Quod autem S. David tam urgentèr expetat illuminari Faciem DEI in se; jam per hoc ipsum proditur invidus hostis, insidians IMAGINI nostræ. Infernalem enim adverterat in insidijs carbonarium, qui adustâ concupiscentiis illicitis animâ, nitorem ejus denigrare contendebat. Sic enim in præfata Davidis verba Hugo Hugonem Card: scribentem lego. *Homo factus est ad IMAGINEM* Dæmon carbonarius, animas denigrans. *& similitudinem DEI: ad IMAGINEM in naturalibus, ad similitudinem in gratuitis. Speciosa igitur est anima, in qua facies DEI depingitur, & illuminatur: cui diabolus invidens, accedit ad eam cum suo carbone, id est, cum deformi peccato, & ipsam denigrat, & ejus pulchritudinem tollit.* Cum itaq; tenebrionum proprium sit, lumen odisse, & fugere; dum faciem suam charitatis lumine illuminari orat David, per hoc & suæ IMAGINIS indemnitati providere voluit, & hostem nobis prodidit, pulchritudini IMAGINIS DEI in animabus nostris expressæ, nimiâ solicitudine insidiantem. Hinc collige ô Christiane! quàm solicitâ opus tibi sit custodiâ. Si capis, & sapis, persuasum tibi habeto, potiùs ponendam vitam, quàm deponendam, aut novo aliquo nævo, vel adulterinæ faciei characteribus violandam IMAGINEM & similitudinem DEI, per gratiam in anima tua expressam. Pro majori lumine teipsum rursùs ad Judæos revoco.

Probatur **Historicè.**

12. Josephus de bell: Jud: l. 2. c. 8. refert, Pilatum olim, nocte intempestâ opertas Cæsaris IMAGINES intulisse Hierosolymam: Imago Cæsaris, causa tumultûs. Addit S. Hier: etiam in sacris adytis Templi Salomonici eas expo-

expoſuiſſe: hinc factus tumultus in populo; primò ſtupere ad tantum facinus, deinde dolentiſſimè lamentari cæperunt; tandem gregatim ſub Palatium Præſidis accurrẽtes, vociferati ſunt, & deprecati, ne Templum Sacrum, hoc ſcelere profanaretur. Præſes, dum tenacis nimiùm animi, & in propoſito obfirmatam advertit plebem, neq; minis etiam terreri, ſigno convocat militem, ad arma conclamat; ſtringũtur enſes, fulgent gladij, bracchia ad cædem exerta: quid ad hæc plebs ſolicita pro Sacris? omnes vitæ & ſanguinis prodigi in ferrum accidere, in genua prolabi, cervicem nudare, aptare in vulnus & ferrum, mortemq; modis omnibus velle haurire cernebantur. His viſis territus Pilatus, deſijt à propoſito.

Hæc dum audis, vel legis ô Chriſtiane! compone ſi lubet, unius Pilati facinus cum tuo. Ille Cæſaris IMAGINES intulit contra leges, & pacta Solymæ, nec adhuc veri DEI IMAGINEM, vel potiùs Arcam, quam venerabantur Judæi, de templo auferebat: tu verò contra naturæ leges, & rationis licita, ſanctiſſimaq; Superûm decreta, non dico Cæſaris auguſtam IMAGINEM, ſed abjectum, & infame caput peccati, monſtrumq; importas: ſimulq; Creatoris in anima tua abradis, exterminas ſimilitudinem. Reflecte te, quo zelo, quantis periculis vitæ, plebs illa egerit, ne profanas tantùmmodò admitteret IMAGINES: & hinc ediſce, quâ curâ, quo niſu, quâ corporis, animiq; contentione, eniti debeas, ne veneranda DEI, Auctorisq; tui IMAGO, quam tecum habes & circumfers, non arte, non cerâ expreſſâ, ſed naturâ, & gratiâ: ne (inquam) quis ei nævus accedat, ne quæ eam macula contaminet, ne aliena & adulterina ſigna admittat, ne alio teratur penicillo, alio imbuatur colore; ne deniq; per quodpiam peccatum IMAGINEM admittat aliam, ab ea, quam à natura, & à Creatore accepit. 13.

Imago DEI in anima, omni curâ ſervanda.

PARS II.

SS. MARIA ſine nævo originali.

RECentioris ſæculi Pictores novum quendam adinvenerunt modum, depingendarum indelebiliumImaginum, in ſimplici 14.

cru-

Imagines indebiles pingendi, nova ars. crustato muro. Itali vocant. *Al fresco:* hoc autem artificium, ipsi expediunt, in recenti, & rudi cementi ordinarij crusta; ideoq; veloci manu opus faciunt, fel animalis, aut sanguinem, loco vernicis aut olei, adhibentes, & à tinctis coloribus abstinendo, solis è terra effossis, igneq; prius benè excoctis coloribus, in opere utuntur. Sicq; depictæ Imagines, ut experientiâ probavi, quales (fateor) & feci ipse, neq; ab ardore Solis, neq; à procellosis imbribus læsæ, perennant cum pariete. Simili planè artificio, depingi observo IMAGINEM nostram s. SS. Virginem MARIAM, dum Immac: concipitur. Paries quippe mundi à S. Andrea Cretensi; à Jacobo vero Monacho, *Paries firmissimus multitudinis Christianorum,* nominatur SS. MARIA. En statim qui paries in recenti; nam in primo Concept: puncto, Cælestis Pictoris peritissima depingitur á manu, dum exquisitissimis adornatur gratiarum coloribus, præsertim gratiæ sanctificantis: idq; non tinctæ, tincturâ veteri, antecedentis scilicet peccati Adæ, sed igne Cælesti benè ab omni labe excoctâ, vel potiùs præcustoditâ, atq; optimè conditâ felle, aut potius sanguine Agni Cælestis, s. prævisis meritis amaræ Passionis Christi. Proindè tàm exquisitè depicta IMAGO, quomodonam ab illa generali originalis peccati procella, aut à diluvio, quod operuerat etiam montes aliorum Sanctorum; aut ab ardore concupiscentiæ ad pomum vetitum, lædi potuit? aut nævos contrahere? ut itaq; quàm luculentissimè pateat hanc IMAGINEM fuisse sine omni nævo, sed potiùs in perfectissima similitudine, eam cum suo originali, seu Prototypis, quos possumus habere in S. Scriptura, confrontemus.

Andr: Cret.

MARIAE Conceptio depicta coloribus non tinctis.

Probatur **Scripturaliter.**

15. Prototypus Cōceptionis MARIAE, SS. Trinitas. Principalis Prototypus, ad cujus similitudinem, in ortu MARIÆ, depingitur IMAGO, seu Conceptio ejus, ipsa est SS. TRINITAS, unus DEUS. Hujus quàm accurata fuit & IMAGO & Typus, SS. MARIA; præsertim in sui Conceptione, id ex duplici loco S. Scripturæ haurire liceat. *Primus* sit ille Luc: 2. Ubi ipsamet SS. DEIpara visitando Elizabeth, legitur cecinisse. *Magnificat anima mea Dominum.* Magnificat (inquit) id est, *Luc:*

Magnum

Magnum facit Dominum. Audi Origenem in hæc verba dogmatizantem. *Quæritur, quomodo anima MARIÆ magnificet DEUM? si enim Dominus, nec augmentum, nec decrementum recipere potest; quid est, & quare nunc MARIA loquitur: Magnificat anima mea Dominum.* Et paucis interjectis. ait: *Unusquisq; nostrum ad IMAGINEM DEI formans animam suam, aut majorem, aut minorem ponit IMAGINEM. Quando itaq; grandem fecero IMAGINEM, & magnificavero eam opere, cogitatione, & sermone, tunc IMAGO DEI grandis efficitur, & ipse Dominus, cujus IMAGO est anima nostra, magnificatur.* Orig. DEUS quomodo magnificatur a homine.

Salazar c. 3. observat sententiam Origenis hanc esse: DEUM nempe non posse quidem in seipso magnum accessione aliquâ, aut parvum decessione fieri: posse tamen in anima hominis, quæ ipsius IMAGO est, parvum, aut magnum repræsentari, prout ipsa meritis prægrandis efficitur, aut demeritis pusilla redditur. Nam de peccatis idem Origenes, talia subdit. *Et quomodo crescit Dominus in nostra IMAGINE, cùm justi sumus: sic, si peccatores fuerimus, minuitur & decrescit.* Ait igitur MARIA: *Magnificat anima mea Dominum.* Quasi dicat: DEUS meus, qui aliàs in Angelis & hominum animis, tanquam in suis formis, atq; imaginibus longè minor exprimitur, quàm in se est, certè in anima mea, tanquam in perfecta, atq; omnibus numeris absoluta sui forma, atq; idea, magnus reputatur ac visitur; nec minor fortasse, quàm & Magnificat, id est, Magnum facit, anima mea, Dominum. Absit ergò à te, ut IMAGINEM hanc, primam & perfectissimam Ideam DEI, alicùjus nævi accuses; absit (loquor cum Salazar) ut Virginem alicujus peccati, vel actualis, vel originalis labe infectã esse quomodolibet dicas: nam eo ipso, DEUM ab eadem imminutum, & parvum, atq; pusillum fateri deberes: dicente superius Origene: *Sic, si peccatores fuerimus, minuitur & decrescit.* 16. MARIA quomodo magnificavit DEUM.

Alterum locum S. Scripturæ adduco, verba s. illa Sapientis, Sap: 7. 25. *Vapor enim est virtutis DEI, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis DEI sincera, & nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula, DEI Majestatis, & IMAGO bonitatis ejus.* Hæc principaliter, juxta Commenta- 17. Sap.

tatores, sonant de æterna Sapientia, seu Filio DEI: hisq; verbis graphicè exprimitur consubstantialitas Filij DEI cum Patre æterno. Nihilominùs ex sensu Cornel: à lap: possunt quoq; adaptari congruè B. V. MARIÆ. *Ipsa etenim (ut ait ille) est vapor virtutis DEI, & emanatio quadam claritatis Omnipotentis DEI sincera. Ipsa est candor lucis æternæ, & speculum sine macula, DEI Majestatis, & IMAGO Bonitatis ejus.*

Ibid.

18. Latent porrò in præfatis verbis mira & magnifica MARIÆ elogia, quæ ibidem sat doctè prosequitur citatus Comment: sed & Immac: Conceptioni ejusdem non viliter favere videntur. Dum dicitur *Vapor virtutis DEI &c.* nam ex Alb: M. sup: Missus c. 192. didici, per Vaporem designari MARIAM: quia autem juxta Ciceronem 2. Nat: Deorum; Vapor est quædam tenuissima, & subtilis exhalatio ex calore Solis orta; & præterea, per Vaporem benè significari potest gratia Spiritûs S. fæcundans animas; jam innui videtur, quòd dum SS. Parentes MARIÆ, Joachim & Anna, in calore Solis s. ex actu charitatis, seu (ut verbis utar S. Joan: Damasc: Orat: 1. de Nat: B V.) sanctè munere suo fungerentur, & ex ipsis conciperetur sanctissimus fætus MARIA filia, protinùs in animam prolis, descenderit subtilissimus Vapor, nimirùm præstantissima Spiritûs S. gratia, id est originalis justitiæ. Nec enim ipsa vanè alibi vaporationes suas, seu gratias, sub similitudine non incisi Libani, qui candidatio interpretatur, descripsit. *Ego (inquit) quasi Libanus non incisus, vaporavi habitationem meam.* Eccl: 24. 21. nisi ut innueret, se, utpote à communi vulnere immunem, exhalatione, odore, & candore perfectissimæ innocentiæ, habitationem, (per quam intelligitur juxta Corn: à lap: Ecclesia DEI) implesse & exornasse.

Alb: M.

MARIA Vapor virtutis, in Conceptione.

Ibid.

19. Subditur ampliùs: *Emanatio quadam est claritatis æternæ, Omnipotentis DEI sincera.* Quid clarius pro Immaculato Ortu MARIÆ? Emanat, dum hodie oritur; fluxit, dum postea vixit. Vide ergò, quomodo emanat: in claritate sincera; & ideo additum. *Nihil inquinatum in Ortu suo incurrit. Candor lucis æternæ.* Notat Castro: quòd candor, seu splendor, est purissimum quid ex luce solis prodiens, quod omnia penetret, absq; eo, quod ab

MARIAE Cōceptio in cādore lucis.

ab ulla re inquinetur aut obscuretur. Porrò juxta Rich: Laur: l. 5. *MARIA dicitur candor lucis æternæ, substantivè etiam, & non solùm adjectivè:* non enim dicitur candida, sed ipse candor: quomodo ergo in emanatione, seu Conceptione sui, aliquid obscuri, aut quidpiam inquinamenti de nævis veteris Adæ participasse dicenda. Sequitur. *Speculum sine macula.* Hoc quia infra sub suo Titulo, nobis trutinandum erit, nunc omitto: sed ultima premo verba, utpotè proximè faventia proposito nostro. *IMAGO bonitatis illius.* Ex quibus sic argumentor: Si Bonitas DEI tanta est, ut omninò implicet quidpiam mali, aut peccati in ipsa, etiam imaginari. Si deinde SS. Virgo MARIA, rectè dicitur tantæ Bonitatis IMAGO; eo ipso & in eadem stando suppositione, implicantia quædam in ipsa indicatur ad contrahendum aliquem nævum, vel maculam peccati: adeoq; concludendum omninò eam in sui Conceptione prodire debuisse, veluti adæquatam Prototypi sui s. DEI Ideam, & IMAGINEM sine nævo.

Richard.

Maria Conceptio, Imago bonitatis DEI.

Probatur Figuraliter.

Alterum Prototypon jam videamus, ad cujus similitudinem, & imitationem SS. Virgo MARIA in sui Creatione formari debuit: estq; ipse dilectissimus Filius ipsius JESUS Christus; qui quoq; & nostrûm omnium, licetsi in aliquo alio sensu, Idea, Figura, & exemplar debet esse; juxta monitum Apostoli: ad Galat: 4. 19. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Hujus itaq; Exemplaris similitudinem exactissimè in Concept: MARIÆ expressam observemus sub Figura illius Sponsæ & Sponsi in Canticis. Ubi ad puncta, minimosq; apices veluti in tabulis depictas invenio IMAGINES, tam Spōsi Christi, quàm Sponsæ ejus, s. MARIÆ. Species Sponsi Christi, hisce verbis depingitur. Cant: 5. 11. *Caput ejus aurum optimum. Comæ ejus, sicut elatæ palmarum. Oculi ejus sicut columbæ, super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ. Genæ illius, sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentarijs.* Longum esset retexere, & tantò magis interpretari cætera pulchritudinis Sponsi adminicula. In capite tamen, oculis, & genis faciei, sufficienter per Symbola & modos dicendi, describitur 20.

Galat.

Cant: Christi Imago sub Symbolis.

venustas DEI-Hominis s. Christi, ejusq; simul innuitur excellentissima Sanctitas.

21. Aurum ergò, quod optimum fuisse cernitur in capite, juxta Cornel: significabat impeccabilitatem Animæ Christi. *Coma capitis ejus, sicut elatæ palmarum*, designabant perfectum ejus triumphum de peccato: quòd arcanum benè vidit, etsi orbus luminis, noster Academicus Poëta; cujus venustis allusionibus, hîc aliquoties ad ornatum majorem utar: sic enim in præfata ex Canticis verba, cecinit:

Quid tibi cum palmis? elato germine sursùm
Tendere quas novi; si tibi mens humilis.
Ista coronati capitis sed gloria victrix,
Peccati, quòd sis Victor, amica tibi.

22. *Oculi ejus sicut columbæ, lacte lotæ*, denotant eximiam puritatem Christi. *Genæ* tandem, *sicut arcolæ aromatum, consitæ à pigmentarijs*. explicant Animam ipsius, nedum fuisse mundam ab omni peccato, sed etiam quolibet instanti extitisse in plenitudine unguentorum, s. perfectissimæ gratiæ: ut innuit S. Joan: c. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam, quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*. Et S. Paulus Coloss: 2. 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Ulterioris pulcherrimæ Symmetriæ totius Corporis Sponsi, non premo mysteria; cùm ex mente Sapientis. *Ex occursu faciei cognoscatur sensatus*. Eccl: 19. 26.

Sed expendamus jam, rectè ne conveniat cum hoc Prototypo,

23. IMAGO nostra, s. Immac: Concepta MARIA: cujus quoq; Figuram & Speciem ipse Cælestis Sponsus, sparsim in ijsdem Canticis sub varijs pariter Symbolis, circumscripsit. Talibus ergo verbis caput, comas, cæteraq; mēbra ipsi⁹ ab illo delineari audio: Cant: 7. 5. *Caput tuum ut Carmelus, & comæ capitis tui, sicut Purpura Regis, vincta canalibus. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon:* ℣. 4. *statura tua assimilata est palmæ.* Relinquo cætera ex eadem prorsus ratione: ut supra. Itaq; cùm identidem caput, peraugustumq; vultum ejus caligantibus etsi oculis venerabundè suspicio, adæquatissimam Prototypi sui, scilicet Sanctitatis Christi IMAGINEM esse cognosco; & simul quot lineas, vel potiùs symbola pulchritudinis ejus observo, tot Immac: & sine nævo origina-

ginali Exortûs ejus testes, & argumenta habeo. Mysterium statim prodit se in capite: *Caput tuum (inquit) sicut Carmelus:* per quod speciosam fuisse in capite, seu initio vitæ MARIAM, tenerrimè declaratur. Carmelus enim ex Hebræo apud Sylvam Alleg: legitur; *Teneritudo.* In quo ipso Carmeli nomine, aliud quid præterea, in favorem Immac: Conceptionis, supra citatus Poëta notavit.

MARIA ab caput seu Conceptio, ut Carmelus. cur?

Si caput est vitæ, Conceptio? Virginis hæc est
Gloria, quòd capite hoc vicerit omne decus.
Æquora Carmelus sublimi despicit axe;
Peccati, superat sola MARIA, mare.

Non minora, idem devotissimus in MARIÆ Conceptionem 24.
Poëta, in comis atq; oculis Sponsæ, à Sponso supra laudatis, pro Immac: Ortu MARIÆ advertit argumenta; quæ tali prosecutus est Carmine.

MARIA ab Conceptionem Immac: probant, oculi & comæ ejus.

Ex plagis Christi, prima es Tu purpura Regis.
Inde tibi rosei, Sanguinis iste color.
Ante tuum, fueras his vincta canalibus, Ortum;
Ut culpæ nunquam compede vincta fores.
Piscinas Hesebon mihi nunc proferre videris;
In quibus, è Vitreis fontibus, unda salit:
Retia sint procul, hinc peccati. Nam DEUS ipse
His in piscinis, rete salutis habet.

Tandem idem Sacer Poëta, ex tota Symmetria Figuræ Spon- 25.
sæ, quæ assimilata fuit palmæ, pro Immaculato Ortu MARIÆ sic concludit;

MARIA in Conceptione cum palma.

Te superasse decus, Virgo quodcunq; creatum,
Ipsa triumphalis, quàm benè palma docet.
Labe carens Ortus, partus sine labe pudoris;
Hæc est staturæ, maxima palma tuæ.

Hæc omnia, quia sanctitatem, impeccabilitatem ostendunt de SS. MARIA in illius Concept:, hoc ipso luculenter probant, Prototypi sui s. Christi, (cujus anima fuit sanctissima & impeccabilis) MARIAM quoq; in sui Conceptione, veram repræsentasse IMAGINEM. Quisquis ergo es, qui in tam exactissima ad Prototypon originale, Conceptionis MARIÆ IMAGINE, nævos

Adamicos cogitans, excellentiam ejus, quam cæcus etiam benè vidit Poëta, tu oculos habens, videre non vales, aut fortè tenuis, aures saltim non surdas erige ad voces Patrum, perfectissimam IMAGINEM & similitudinem DEI, atq; sine ullo nævo, in MARIÆ Conceptione effulsisse, profitentium.

Probatur Doctoralitèr.

26. Inprimis, quôd B.V. MARIA fuerit perfectissima IMAGO DEI: & ex consequenti, nec minimo nævo à Prototypo suo aberrans, sensus est plurium Patrum: Ipsam enim, *Formam DEI* appellat S. Hieron: Ser: de Assumpt: Similiter S. Aug: Tom: 10. Ser: de Ass: Ildephonsus Ser: 2. de Nat: Andreas verò Cretensis in Menæis Græc: vocat eam *Ideam SS. TRINITATIS.* Ernestus Prag: in Marial: c. 14. *Similitudinem expressivam DEI.*

27. Cæteris clariùs proposito nostro favet S Amb: l. 1. de Virg: & l. 10. c. 82. Nam in priori loco, sic habet: *Fons signatus dicitur MARIA ideo, quòd expressam IMAGINEM DEI, sinceri fontis unda retineat, ne volutabris spiritualium bestiarum sparsa cœno fluenta turbentur.* Et in posteriori. *Fons (inquit) signatus, eò, quòd Virginitas sit fons, & origo pudicitiæ, in quo DEI IMAGO luceat; quia cum munditia corporis, congruit etiam puritas mentis.* Ex quibus Doctoris verbis subsumit Salazar c. 3. inquiens. *Quid obsecro in causa fuit, ut fons iste sacer, MARIAM DEI formam, tàm exactè in se reciperet? certè originis puritas illibata: si enim MARIAM peccato primæ conditionis infectam, atq; adeò diaboli impurissimæ bestiæ volutabrum fuisse olim, non negemus, quâ demum ratione illam ad eam puritatem rediisse dicemus, quæ similitudini DEI perfectissimæ reddendæ, opportuna erat?* Isidorus Thessal: de Nat: V. *MARIA, fœtus salutaris, qui Digitto DEI, ineffabilibus gratiarum formis depictus, & exornatus est.*

28. Quantùm verô ad conformitatē, seu assimilationē hujus IMAGINIS s. Puritatis MARIÆ in Conceptione, ad alterum Prototypon s. ipsum Christum Filium ejus: MARIAM, etiam quoad immunitatem ab omni peccato, fuisse adæquatè simillimam Filio suo, clarè docet S Aug: Ser: 20. ad Frat: inquiens. *Quia verò à corruptione liberandus homo erat, idcirco pretium redemptionis*

incorr

incorruptum esse debebat. Propterea MARIA Mater electa est, omnibus gratijs fœcundata, omni virtute, & sanctitate in Utero repleta; ut ex mundissima Matre, mundissimus Filius nasceretur. Ut sicut in Cœlo, Filius habuit Patrem immortalem, & æternum, sic & in terris, haberet Matrem, omni corruptione carentem. Igitur in Cœlo, qualis est Pater, talis est Filius: & in terra, qualis est Pater, talis est secundùm carnem Filius. Quid illustriùs, pro asserendo, SS. Virginem MARIAM in Conceptione sua fuisse perfectissimè similem Christo, suo Filio: atq; sic meritò dicendam IMAGINEM sine nævo originalis peccati.

Probatur

Miraculosè.

Bernardinus de Busto, Ser: 7. 1. p. breviter insinuat mirabile factum, quod in Castro baculi contigit: videlicet, dum cujusdam Ordinis Concionator, in primo suo ad populum sermone, quem contra illibatam Conceptionem Virginis faciebat, aliqua effutire cœpit impugnativa hujus Mysterij; ex improviso Imago ejusdem Virginis, supra fores Ecclesiæ posita, tota ad terram cecidit, confracta, & in minutissimum pulverem redacta fuit: populi totius voce, miraculum in honorem Immac: Conceptionis factum esse proclamatur: hinc plebs Concionatorem illum lapidare voluit, & Conventum illius Religionis destruere, nisi brachio Domini illius Castri, fratres se defensassent. Convenit hìc & illud, quod contigisse scribit idemmet Author Ser: 9. de Conc: cuidam Notario, & Civi Mediolanensi, aliàs valdè devoto à prima juventute ad B. V. MARIAM; cui etiam juveni apparuerat semel Virgo benedicta; provectior tamen ætate factus, mansit in opinione contrar: a Immaculatæ Virginis Conceptioni: & cùm unus ex ipsius Filijs connotasset sibi in quodam libro, aliquam precatiunculam cum sententia cujusdam Concionatoris in laudem Immac: Conceptionis; eam ille cancellavit, aliam inscribendo alterius Doctoris, oppositam priori. Perseverante autem illo in hac pertinacia, accidit ipsi de nocte talis visio: videbatur sibi esse in Ecclesia FF. Minorum Mediolani, dumq; oraret, apparuit sibi in Ecclesia, B. V. MARIA transiens à capella S. Bernardini versùs

29.

Imago B. V. cadens, terruit obloquentem cōcepti imag.

versùs eum; & ipse Notarius genibus flexis voluit eam salutare, imò adoravit capite inclinato, putans, quòd eum deberet respicere; sed ipsa ostendens faciem turbatam, revolvit caput suum, & noluit ipsum respicere, statimq; disparuit. Unde Notarius valdè his afflictus cogitare cæpit, an non in causa fuerit opinio, quam tuebatur, contraria Conceptioni Immac. Unde rogare DEUM cæpit, ut sibi revelaretur, promittens à se cancellatam in libro piam sententiam suo loco restituendam, & in posterùm acriter propugnandam. Consequitur quod petijt, ipso sibi apparente Salvatore; à quo simul in comprobationem devotionis ad Imm: Conceptionem, donatus fuit fasciculo fragrantissimorum florum. Quid putas bone Lector! his miraculis, aut visionibus intendisse MARIAM? Non aliud credo, nisi hoc: Lignea videlicet vel lapidea IMAGO B. V. MARIÆ, maluit in cinerem solvi, quàm, vel commentitium in illa, cujus Figuram portabat, excipere nævum; & ipsa SS. MARIA, ne à lippientibus hominis malè affecti Conceptioni suæ oculis, vel putativam contraheret maculam, ideò Ectypon pulchritudinis omnis, faciem suam venerandam avertit: ut eò ipso evidentiùs ostenderet, quàm ab IMAGINE seu Pulchritudine Conceptionis suæ, procul fuerit omnis culpæ nævus aut macula.

MARIA indignatur cuidam impugnanti Concept: Imma:

Probatur **Scholasticè.**

30. *THEOL:* Communis Scholasticorum fert opinio, quòd DEUS sicut omnia creata propter seipsum fecit, ita omnes Creaturas propter seipsum amat; quia in ipsis etiam seipsum diligit: tamen intensiùs amat illas Creaturas, in quibus seipsum meliùs deprehendit. Sed post Christi Humanitatem, nullibi DEUM dignius, & gloriosiùs fuisse, quàm in MARIA, certum est: idq; præter hoc, quòd in Utero ejus, per novem Menses, tanquàm Princeps in Regno, & DEUS in Templo requieverit; præter hoc inquam, fuit in ipsa DEUS, tanquàm in expressissima, & absolutissima sui IMAGINE seu Idea: ut inquit S. Aug: Ser: de Nat: *Si formam DEI Te appellem, digna existis.* Ergo SS. V. MARIA fuit summè à DEO dilecta; cõsequenter plusquã Angeli, & homo in statu innocentiæ. Quod si ita est; absurdum planè esset, in

Aug: MARIA summè dilecta Imago: atq; sic, sine nævo.

tam

tam dilecta propter sui similitudinem ad Prototypum IMAGINE, permittere nævos, & maculas illas, sine quibus creatus fuit Angelus, & primi homines.

JURID: Fert commune Jurisperitorum proloquium, eoq; frequenter utuntur in probationibus Juris: *Filij (inquiunt) plerumq; matrizant*: id est: Matrum suarum effigiem, imò propensiones etiam, & studia, in se exprimunt. Illud etiam ex S. Cyrillo accipe; ex magna DEI Providentia factum fuisse, quòd Christus Dominus Matri suæ per quam adsimilis specie, ac moribus evaderet. Nam cùm postea plures Hæretici addubitaturi essent: an CHRISTUS ita DEUS esset, ut verus etiam homo comprobaretur; si studiorum, atq; morum dissimilitudo inter MARIAM & CHRISTUM intercederet, non tam facilè adducerentur, ut illum verum hominem ex Virgine procreatum crederent: & sic oportebat SS. MARIAM etiam, imo principaliter, in interna specie, hoc est in propensionibus, habitibus animæ fuisse Christo apprimè similem. Peccatum autem originale Dionys: Areop: de Hier: l. 5. dicit esse habitum dissimilitudinis DEI, homini ingenitum. Absit ergò, ut Mater nævum hunc, & habitum dissimilitudinis ingenitum sibi haberet: cùm Filius non aliud sit, quàm genita IMAGO, & similitudo suæ Parentis. 31.

Cyril. Filij matrizant.

Christus in physi, simillimus fuit Matri, cur?

Dyon.

STMB: Pro Symbolo quispiam pinxerat Genium Cælestem accuratissimè ad omnes regulas proportionum Geometricarum, aureo circino dimetientem, seu examinantem Iconem aliquam Immac: Conceptionis cum addito Lemmate. *Non est vitio locus.* Ut per hoc significaret, B. V. MARIAM in suo primo Exortu, fuisse perfectissimam IMAGINEM, sine nævo originalis peccati. Ingeniosum hoc inventum, videtur inniti illi Sententiæ Dion: Carthus: l. 2. de laud V. *A planta pedis, usq; ad verticem capitis, nihil penitùs fuit in Virgine, neq; in corpore, neq; in Anima, inventum reprehensibile, indecorum. Imo totum fuit Divinæ Sapientiæ circino efformatum.* 32.

Dion: Carth.

POES: Exemplar, vultûsq; sui, venerabile signum, 33.
Plasma superposuit, Conditor ipse suum.

Augustumq; decus, formavit originis altæ;
Ut memor Auctoris, viveret inde sui.
Tam Sacrum violavit homo, fregitq; sigillum,
Deq; Animæ facie, cessit IMAGO DEI.
Inductæ rerum species, formæq; volantes; *Ios; Bieżan, in Agnensis Anag. n. 27.*
Informes animo, quæ peperere notas.
Heu periere, DEO similes in IMAGINE vultus!
Nec spes, amissum posse redire decus.
Clara sed ante omnes, & pura inventa MARIA;
Spes hominum facta est, summaq; IMAGO DEI.

PROG: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.*
ANAG: DEI Summa IMAGO clara, & pura inventa.
Tu clemens MARIA, à natu pura, IMAGO DEI.
Nate DEI! en IMAGO tua sum, pulchra MARIA.
En Tu MARIA, una tam pulchra IMAGO DEI es.

Probatur **Historicè.**

34\. Huber: in Monologio Franciscano sub Die 2. Octobr: narrat de quodam Patre Ordinis Nostri Reformato, Bonaventura Relli in Sabaudia; qui sub Anno 1655. pietate, & miris donis Cælestibus insignis floruit: inter plura alia, hoc etiam peculiare habuit, quòd subtilitèr, & nimis affectuosè ad intuentium compunctionem depingere soleret in serico, Imagines Immac: Conceptionis B. V. MARIÆ, acsi Angelicis manibus ad vivum fuissent minimis penicillis interpunctatæ. Urbanus VIII. Papa, Ludovicus XIII. Rex Galliæ, Leopoldus Archidux Austriæ, multi Cardinales, Principes, has Imagines, insigni religione venerati sunt, ac portentosis DEI miraculis, innumerisq; beneficijs donatas experti fuerunt. Has autem Imagines prædictus Pater faciebat, non beneficio pictoriæ artis, cujus planè ignarus erat, sed artificio ardentissimæ charitatis; nam in excessu seu in extasi mentis.

Imagines Concep: miraculosæ, in extasi pictæ.

35\. Porrò dum Cælestem Opificem IMAGINIS nostræ s. Conceptionis MARIAnæ Conditorem, attentiùs considero, adverto illum dum crearet MARIAM, in excessu quodammodo positum fuisse: id est, totum artificium, imò vim, ne dum potentiæ sed

ſed etiam charitatis ſuæ tum exeruiſſe: nam S. Methildis l. 1. revel: c. 45. affirmat, quòd *SS. Virgo MARIA ſit (Imago) in qua totius potentiæ, ſapientiæ & bonitatis SS. TRINITATIS artificium elegantiſſimè apparet.* Si itaq; in illis devoti Viri exceſſibus charitatis, adeo gratioſæ, & venuſtæ à manu ipſius, Immac: Conceptionis formabantur Icones; quanto putas Artificio, & abſq; omni nævo prodijſſe debuit, ipſa Imago noſtra; hoc eſt Conceptio MARIÆ, dum eam excellentiſſimus Opifex, in ſummo potentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis exceſſu operabatur?

Metild.

Creatio MARIAE, in extaſi, ſeu exceſſu.

EPILOGUS.

Unicuiq; Orthodoxorum bene compertum eſt, Imagines Sacras, ſuis devotis eſſe, quædam contra malignos animæ hoſtes fidiſſima Amuleta, ipſisq; hoſtibus nimiùm terrifica. Spectavimus jam in Conceptione SS. MARIÆ, Imaginem elegantiſſimam, ſine omni nævo originali, Summi Artificis manu depictam: Ergò hoſtibus terrori, nobis verò ſuis Cultoribus, præſidio ſit. Refert Bignoi in ſua Encyclop: Gabrielam quandam Henrici IV. Regis Galliæ amaſiam, cum ei allatæ eſſent duæ Imagines: vulgo: *Ritratt:* Una Elizabethæ Hiſpaniarum infantis, & altera Mariæ Mediceæ: ex quibus unam, in ſociam vitæ futuram deſtinaverat ſibi Rex; viſâ Hiſpanâ, quæ pro qualitate climatis aliquantulùm ſubnigra repræſentabatur; dixiſſe fertur. *Non timeo nigram.* Sed conſpectâ Mariæ Mediceæ candidâ & ſpecioſâ effigie, profundè ſuſpirans, dixit. *Eheu! eheu! Maria ſola es, quæ me ſolicitam tenes. Hæc ſola eſt, quæ me ab Aula, & amoribus Regis profligabit.* 36.

Pellex quædam non timuit nigram.

Non diſſimiles ſubaudio voces perditiſſimi proci animarum noſtrarum, ſathanæ; dum hæc admiranda, & ſine nævo prodit Imago, Neo Concepta MARIA. Vidit ille tot etiam Sanctorum, Sanctarumq; Conceptiones; ſed quia originali carbone maculatas advertit, non timuit nigras. Hodie dum hæc candidiſſima, & ſine ullo nævo prodit Imago; (ſi fortè licuit ipſi grande illud in Neo Concepta prole cognoviſſe privilegium) jam mæſtus ejulat. Eheu! MARIA ſola eſt, illa Virgo prædicta à condito mundo, quæ meum caput contritu- 37.

ra est, & à cordibus hominum me propulsatura. Hostibus ergo suis, & Nostris, hæc ter veneranda, sine nævo IMAGO, Immac: Concepta MARIA sit terrori, nobis amori, venerationi, & contra insidias illorum, munimini. Nunc te ô pia exhortor anima: hoc fidissimum assume amuletum, hanc IMAGINEM MARIÆ, s. cultum specialem Immac: Conceptionis ejus, pone illud ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: hæc enim te in omni sequioris fortunæ acie potenter defendet, & de stygio faciet triumphare insidiatore. Nunc eidem Cælesti IMAGINI, victoriosum intono celeusma.

Votum Authoris.

Io!! vivat Sanctissimæ DEIparæ Immaculata Conceptio.



LUNA



LUNA,
sine Eclipsi,
SS. Virgo MARIA,
sine labe Concepta.

Liber generationis JESU Christi. Matt: 1.
Pulchra ut Luna. Cant: 6.

QUod olim venustissimus Scriptor Ecclesiæ Tertulianus*, in Exortu seu Nativitate Christi exclamaverat, inquiens. *Hodie est de Christo Mathesis; hodie Ecclesia stellam Christi, non Saturni, aut Martis, aut cujuscunq; ex ordine mortuorum observat & deprædicat:* hoc mihi, idemq; omninò, in Conceptione hodierna SS. Virginis MARIÆ non semel ingeminandum venit. NN. Jam enim incipiunt Mysteria Incarnationis, jam imminentis Generationis Christi festinant adesse tempora, abbreviantur dies; conscribuntur ab Evangelista Universi Sacratissimæ Familiæ illius antecedanei Proceres, vel Sanctitate, vel dignitate conspicui, & veluti sidera in sistemate disponuntur: inter quæ etiam nobilius Cæli Phænomenon LUNAM recenseri audio; Sanctissimam videlicet Neo-Conceptam MARIAM; quam Cælestes Spiritus venientem primò in mundum, de æternitatis deserto, hisce titulis venerati sunt. *Quæ est ista quæ progreditur, pulchra ut LUNA.* Stetêre sanè hæc fulgentissima Patriarcharum Sidera in ordine suo, non quidem ut olim, stetisse stellas legimus, ad pugnam contra Sisaram,

I.
Tertull.

 sed

ſed potiùs ut naſcituro in carne Filio DEI, quàm auſpicatiſſimum diſponerent Horoſcopum; atq; ut ille ſub quàm fortunatiſſima naſceretur LUNA: ſ. ex nobiliſſima Matre.

2. Sed cætera mitto ſidera; inter hæc etenim quædam, imò penè omnia, Sole & Lunâ, CHRISTO ſ. & MARIA, exceptis, ob originale peccatum contractum ab Ada, erratica fuiſſe obſervo: hinc totam meam Matheſim ad LUNAM ſiſto: hæc enim in oſtendendis temporibus, directionibus, agendorum, præſagijsq;, cæteris planetis facilè Princeps eſt. Unde Pſal: 103. dicitur; *Fecit LUNAM in tempora.* & Eccl: 43. *LUNA oſtenſio temporis.* In quæ verba Paulus de Palatio ſic ſcribit: *Magnam verba hæc continent Philoſophiam, & ſummas laudes LUNÆ: ſenſus enim eſt, inferiora hæc ferè omnia, Lunæ ſubeſſe imperio, atq; ab ea, velut prudentiſſima directrice gubernari.* LUNA quidem genuiſſimum eſt Symbolum cujuslibet hominis: unde quidam Sapientûm dixerat. *Homo, eſt LUNÆ fœtus.* Id tamen homini magis vituperij, quàm laudis eſt: hoc etenim de ipſo dicitur, ratione vertibilitatis proprij liberi arbitrij; juxta illud Eccl: 27. *Stultus ſicut Luna mutatur:* ac propterea non infrequenter ſubit triſtes nimiùm in anima ſua eclipſes, quando videlicet peccat. Siquidem peccatum eſt privatio lucis Cæleſtis, id eſt, gratiæ.

Pſal. — *Eccli:* — *Lunæ laudes.* — *Homo, luna.*

3. Longè diverſam ego obſervo in Siſtemate Horoſcopi Nativitatis CHRISTI LUNAM ſ. B. V. MARIAM. *De qua natus eſt JESUS, qui vocatur CHRISTUS.* Nobiliori quippe & excellentiori titulo MARIA LUNA dicitur, nec inde, unde cæteri; nunquam enim mutabilitati alicui ſubjecta, aut eclipſi illi, quam cæteri omnes, qui in Adam peccaverunt, paſſi ſunt: ſed ut ait S. Hier: de Aſſumpt: ad Paul: & Euſtoch. *Fuit LUNA, ſine ſui defectu coruſcans, cæleſtibus illuſtrata ſplendoribus.* Hæc inquam LUNA, (ut quidam ex ipſius Echo formavit) Una, & Sola eſt, quæ in plenilunio, ſeu in plenitudine gratiarum, in primo puncto creata, nec potuit, nec debuit pati, nec paſſa eſt eclipſim originalis peccati. Itaq; de hac candidiſſima LUNA, devotam hodie inſtituamus Matheſim: demonſtrabo proinde, SS. Virginem MARIAM in Ortu primo, ſeu in puncto Conceptionis ſuæ ſtetiſſe, & apparuiſſe tanquam LUNAM, ſine eclipſi originalis

Maria, luna. — *Hieron:*

pecca-

peccati, imo in perfectissimo plenilunio sanctificantis gratiæ. Causas tamen morales primò investigare placebit, propter quas contigerint, & nunc in animabus nostris contingant Eclipses gratiæ, per peccatum. Nunc rythmicè saluto, ac veneror Neo-Conceptam. Propositio.

Salve Virgo, plena LUNA. Tu es sola, atq; una:
Sub Dracone non stetisti; Hinc eclipsim non sensisti.

PARS I.

Tres causæ eclipsis animæ per peccatum observantur.

CONsuetum est Mathematicis, dum Eclipses observant, infausta quædam, & lugubria sublunaribus ominari. Porrò illud quod Gen: 1. legitur: *Fecit DEUS duo luminaria. Luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti;* arbitror posse verificari symbolicè nedum in inanimato, & visibili, sed etiam in animato seu mystico Cælo; scilicet in natura rationali. Ille enim primus Angelus, cujus excellentissimas gratiarum dotes descripsit Ezech: c. 28. 14. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ & perfectus decore: omnis lapis pretiosus operimentum tuum; &c* ille inquam Angelus, dici poterit creatus fuisse & positus, ut præesset diei s. Cælestibus Spirituum agminibus; quorum jam plurimi confirmati in gratia, laudant ut astra matutina Creatorem suum. Hominem autem primum creatum fuisse velut Luminare minus; quia opaco circumdatum corpore, ut præesset nocti s. hujus terræ incolis id est hominibus: tanquam caput & primas eorum. 4. Gen. Ezech.

Primum itaq; Luminare s. Angelus, in secundo statim puncto durationis suæ, juxta Theologos; alterum verò, vix aliquot horarum evoluto spatio, consentiendo in peccatum, luctuosam subiêre eclipsim. Hinc tàm in Cælo, propter Angelorum ruinam, quàm in terra, propter ruinam hominis, quæq; successerunt infausta: imò nos miseri homines in primo eclipsati capite, indeq; facti mutabiles, frequentissimas, dum rui- 5. Duo luminaria, Angelus, & homo brevi eclipsata.

mus

mus in peccata, patimur eclipses. Sicut itaq; Astronomi inter causas, quæ concurrunt ad eclipsim LUNÆ, præter interpositionem terræ, inter Solem & Lunam, puncta quædam ecliptica notant; quæ illi vocant caput, & caudam Draconis: similes quodammodo & ego observavi causas eclipsium moralium, s. peccatorum, quæ in nobis contingunt.

Puncta eclipsica, quæ?

Probatur **Scripturaliter.**

6. Draconem hunc, nullum convenientiùs appellavero, quàm illum stygium, quem viderat Joannes Apoc: 12. 3. *Et ecce draco magnus rufus.* Caput hujus draconis interpretor cum S. Aug: *Initium tentationis ad peccatum.* De quo S. Doctor in Psal: 48. sic: *Quod est caput ejus, initium malæ suggestionis.* Et rursùs. *Quando incipit mala suggerere, tunc repelle, & tunc vitabis caput ejus.* Ordinariè autem hoc initium peccati, sunt cogitationes, quas dæmon in capite, & corde humano excitat, ac per ipsas veluti caput suum, capiti nostro, Draco iste stygius, ingerit. Noveris ergò punctum hoc, eclipticum esse: Nam si caput ejus non conteris, si sub hoc capite, s. in mala cogitatione deliberatè, ac delectabilitèr steteris; hoc est, si initijs perversarum cogitationum fortitèr non restiteris, jam in proximo imminet tristis animæ tuæ eclipsis: nam propter plurima & gravia peccata, quibus involvêris, cælestis Solis radijs s. gratiâ sanctificante privatus, in umbra mortis manebis. Pulchram circa hoc à Solymeo Sapiente accipe doctrinam; quam Eccl: 21. 2. cuiq; adolescenti memorandam in hæc verba reliquit: *Quasi à facie colubri.* Rabanus exponit. *A facie diaboli, fuge peccata: si accesseris ad illa, suscipient te.* Tigurina vertit. *Mordebit te; dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.* Porrò facies animalis, est pars capitis ejus, & simul utrumq; habetur. Præterea, facies diaboli juxta S. Greg: 33. Moral: *est prava suggestio diaboli:* quàm coluber iste in capite s. in initio tentationum excitat, pravas ingerendo menti tentationes, & desideria. Quanta itaq; mala incurrat anima illius hominis, qui à facie, à capite, s. à primis suggestionibus, & cogitationibus diaboli solicitè non cavet, demonstravit Sapiens, quando dixit: *Si accesseris suscipiet te,*

Apoc. August. Cogitatio mala, caput dæmonis. Eccli. Greg.

et te, mordebit te; Quibus expressit multitudinem peccatorum: quæ veluti diffuso veneno facilè multiplicantur, in anima malis cogitationibus assueta. Dumq; addidit. *Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas.* Innuit non levibus, sed atrocibus flagitijs, hujuscemodi repleri animas.

Sed adhuc clariorem de hoc ipso doctrinam audiamus ex ore Salvatoris nostri. Ipse enim Matt: 15. 19. sic ait: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Advertit S. Anton: Pad: Dom: 3. Quad: prodi hìc à Salvatore præcipuum infernalis Draconis astum: hoc est; quantùm ille solicitus sit de capite, & corde humano, s. de cogitationibus hominis; dum ita ait: *Diabolus in toto corpore hominis, nullum membrum ita conveniens, ad venandum, ad speculandum, ad decipiendum invenit, sicut cor hominis.* Idem S. Antonius Sabb: Palm: ex authoritate Scripturæ, ita fatur: *Pravæ cogitationes, idcirco portæ mortis vocatæ sunt, quia profectò via ad mortem, per iniquas semper cogitationes aperitur; & etiam, quia diabolus per istas ingreditur conscientiam: nam suggestio pulsat, cogitatio aperit, sed delectatio suscipit.* 7. *Matt.* Cogitatio mala, origo multorum peccatorum. *Anton.*

Ejusdem sensûs constat fuisse Sapientissimum Salomonem: sic enim Prov: 24. 8. de homine malis indulgente cogitationibus, ait: *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.* Chald: vertit. *Vocabunt eum, habentem astutiam pessimam.* Alij vertunt. *Herum cogitationum.* Alij. *Maritum, vel conjugem malarum artium.* Omnes istæ, licetsi ad speciem diversæ versiones, idem tamen tantò meliùs explicant malum, quod venit, homini à malis in corde cogitationibus. Stultum ergò & habentem astutiam pessimã, eum qui malis vacat cogitationibus, meritò dicit Sapiẽs; nam qui astuti & pessimi draconis caput, dum benè potest, in primo assultu non conterit, ultrò se venonosis illius inextricabilium tentationum afflatibus exponit: Dum autem Herum, imò Conjugem malarum artium, hujuscemodi hominem vocitat, non id sanè ineptè; quia (ut Salazar ait) *Qui malis cogitationibus adhæret, & aliquid mali perpetrare statuit: sicut Matrimonij pactum solvi difficile est, ita etiam talis à concepto consilio revocari vix potest.* 8. *Prov.* Cogitatio mala, conjux infausta, sed fæcunda. *Salaz.*

potest. Ex tali ergo infausto conjugio, malisq; nuptijs, quis tandem partus? Certè adhuc Matre sua infelicior; quia omnigena turba scelerum: uti supra citatis verbisSalvatoris innuitur. Et quidem huic perniciosæ Uxori s. malæ cogitationi, cui homo velut conjunx copulatur, tanta vis pariendi, & fœcunditas tanta inest, ut sæpè geminos, aliquando etiam plures partus, uno nixu edat: id etenim malæ cogitationi proprium est, ut in uno opere externo, multa simul peccata cogat, dum singula obijcit voluntati, eidemq; nutrienda tradit. En habes primum eclipticum & exitiale punctum, Draconis caput; malas s. cogitationes: atq; simul vides, quantas incurrat anima eclipses peccatorum, dum in hoc capite Draconis, hoc est, in malis cogitationibus, suggestionibusq; s. sathanæ gradum sistit.

Probatur: Figuraliter.

9. Alterum punctum in ecliptica linea, notarunt Astronomi, concurrens ad eclipsim Lunæ; & illud vocatur: Cauda Draconis. Si ulteriùs prosequamur rem nostram, investigando causam eclipsium moralium, quæ nempe per peccata contingunt in animabus nostris, simile omninò videre, mihi videor: quandam enim Draconis hic adverto caudam. Veniamus jam cum his nostris observationibus, ad peritissimum in Divinis visionibus signisq; Cælestibus cognoscendis, Apocalypticum Mathematicum Joannem. Narrat ille vidisse se hoc eclipticum signum sub Figura: ait enim Apoc: 12. 3. *Visum est aliud signum inCælo; & ecce Draco magnus, & rufus.* Ibidemq; refert statim contigisse quandam horrendâ luminarium Cælestium mutationē, & quasi eclipsim; idq; in cauda præfati draconis. Subdit enim. *Et cauda ejus, trahebat tertiam partem stellarum Cæli; & misit eas in terram.* Principaliter hic denotatur, eclipsis luminarium Cælestium; s. ruina illorum Angelorum, quos in *initio* mundi, primus ille Angelus, per rebellionem contra DEUM, factus Draco, exemplo suo malo, veluti caudâ, traxerat in societatem criminis, & damnationis: Secundariò nihilominùs juxta Commentatores aliquos, exprimitur hic, quidam modus, quo idem Stygius Draco, plerumq; luminaria ani-

Apoc.

In cauda draconis eclipsis Angelorum.

marum

marum justarum, privando illos per consensum in peccatum, lumine gratiæ sanctificantis, eclipsat, & in terram prostitutæ vitæ, atq; cupiditatum deijcit: quod frequenter contingit, in puncto hoc ecliptico s. in cauda hujus stygij draconis.

Porrò per caudam draconis istius opinor, benè significandæ veniunt quædam politicæ sapientiæ principia, rationes blandæ & sensualitati conniventes, seu excusationes in peccatis; quibus plerumq; mundani homines ex illicitis, & vetitis, licita faciunt, vel saltim sibi persuadent. Hæc mea opinio valdè coincidit cum sensu S. Greg: 32. Moral: 14. Ubi per istam caudam draconis intelligi vult Antichristum in fine mundi venturum: hic autem multas stellas de Cælo cadere faciet; quia multorum etiam Sanctorum animas, falsis rationibus decipiet. Ex eodem quoq; fundamento S. Hieron: sup: If: 7. per caudas duorum titionum fumigantium, quos viderat Propheta, intelligit sapientiam sæcularem. Sicut enim Animalia, caudâ suâ homini abblandiuntur, atq; illâ, naturæ suæ turpitudinem cooperiunt; ita depravatæ conscientiæ homines, remorsus Synteresis suæ comprimere volentes adulatorijs, rationum prætextibus peccata sua contegunt, dum excusant: A quo malo studiosè liberari quondam cupiens Regius Vates, se ipsum exhortabatur, inquiens: Psal: 140. 4. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* 10.

Excusationes in peccatis, cauda dæmonis. cur?

Greg.

Psal.

Ista itaq; draconis cauda, justè nuncupatur eclipticum punctum, in quo millenæ animæ eclipsim gratiæ incurrere solent, & intereunt; & hic est specialis modus, quo animæ in damnationis viam pertrahuntur à diabolo. Ita in præcitata Psalmistæ verba scribit S. Chrysost. *Hæc (inquit) est præcipua via interitûs: quando anima, quæ peccavit, excusso timore DEI, excogitat excusationes, & prætextus quosdam ad ignaviam; hæc sunt potissima arma diaboli.* Nec caret mysterio, quòd Divinus iste Psaltes, excusationes in peccatis, appellârit verba malitiæ: non una enim, sed plures in tali excusatione latent malitiæ; ut acutè observavit *Thom: Blanc: hic.* Excusationes enim tales, sæpè sunt, primò contra fidem, rejiciendo causam peccati in fatum, aut stellas. Et hoc attigit S. Aug: in hunc Psalmum. *Sedent (inquit) & compu-* 11.

Chrys.

August.

Contra imputantes peccata sua Astris. *tant sidera, intervalla, cursus, volubilitates, status, motus, intendunt, describunt, conijciunt: totum hoc defensio peccati est. Eris adulter, quia sic habes Venerem: eris homicida, quia sic habes Martem. Mars ergò homicida, non tu? Venus adultera, non tu? vide nè pro Marte & Venere, tu damneris.* Et infra subjungit: *Redi ad verba Psalmorum. Ego dixi; Domine miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi. Ego dixi, ego peccavi, non fortuna, non fatum.* Unde

Tertul. benè dixit Tertul: l. de coron: Milit: *Non admittit status Fidei, allegationem necessitatis. Secundò*, excusatio peccati, est contra Spem in DEUM: talis enim cum Caimo de misericordia DEI desperat; qui cum illo peccatum suum excusat. *Tertiò*, est quoq; contra charitatem DEI, & proximi. Nunc enim in DEUM, ut Calvinistæ; nunc in fratres suos, Uxorem &c: & alios, sceleris sui causas refundit peccator. Sic Adam Evam, Eva serpentem accusavit, ut se excusassent à culpa. *Quartò*, est contra humilitatem; id enim faciunt homines, ne infamiam incurrant. Tantorum ergo malorum, cùm sint causa excusationes in peccatis, meritò appellavimus eas caudam stygij draconis, & punctum eclipticum: in quo tot animæ privantur radijs gratiæ sanctificantis, factæ tot malitiarum, & prævaricationum reæ.

Excusatio in peccatis, opponitur Fidei, Spei, &c.

Probatur **Historicè.**

12\. Ad meliùs elucidandas has animarum eclipses per peccatum, quæ contingunt in capite, aut in cauda astuti Stygij draconis, opportunè occurrit illud, quod aliquando legisse me memini. Alicubi locorum fuisse quosdam nimijs amoribus mutuò captos, Adolescentem videlicet, & puellam; qui ut fortè securiùs, & occultiùs, amatorijs partim verbis, partim nuntijs, partim missilibus literis, mutuos confoverent, atq; significarent sibi ad invicem affectus, ementitis (quod moris est apud homines ejusmodi farinæ) utebantur nominibus. Adolescens enim vocabat se Draco, Puellam verò appellabat LUNAM.

Adolescens draco, puella Luna.

13\. Quid sanè tam exoticâ Metaphorâ Lunæ & Draconis significationis, intenderint inter se Nomenclatores illi? inquirere nolo: Existimo tamen ipsos vel contra intentionem suam, infe-

infelicem statum scelestæ suæ vitæ, & cujusvis alterius similis sibi, nominibus illis apprimè expressisse. Hoc enim lascivus ille Adolescens erat puellæ, quod Draco Cælestis, est Lunæ: quæ toties tristem in conscientia sua incurrebat eclipsim, quoties punctis hisce eclipticis, scilicet sive à capite, s. in initio tentationum, sivè à cauda blandimentorum adolescentis illius, sibi non cavendo, ipsius favebat affectibus. Hinc tu (ô bone Lector) ab his eclipticis punctis, capite & cauda stygii Draconis, s. à malis cogitationibus, & prætextibus excusationum in peccatis, solicitè caveto, si saluti animæ tuæ benè favere, nec lumen gratiæ, quod in te est, eclipsari cupis. Sed convertamus jam Mathesim nostram, ad fulgentissimam, candidissimamq; Lunam, atq; ab omni peccati eclipsi immunem; SS. videlicet Virginem MARIAM sine labe Conceptam.

Votum Authoris.

PARS. II.

SS. MARIA, sine Eclipsi originali.

GRande olim priscorum sæculorum hominibus habebatur piaculum, fulgentem radijs Solem, aut Lunam videndo, lætari. Ita enim ab hoc putativo scelere, se purgantem Job Virum justissimum, audio. Job: 31. 26. *Si vidi Solem cùm fulgeret, aut Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum &c. quæ est iniquitas maxima, & negatio contra DEUM Altissimum.* Vana ne, an fortè (quod verius puto) mysteriosa, fuerit hæc observatio illius temporis Orientalium? nunc non dispuro: certum tamen sit nobis, fore extra omnem censuram, si pulchrè incedentem Lunam, in suo primo Exortu, s. SS. V. MARIAM in sui Conceptione, nulli etiam originalis labis eclipsi subjectam intensius contemplantes, eam plaudentibus manibus, & exultabundis salutemus affectibus. Ipsam ergo, sine ulla eclipsi, aut defectu labis cujuspiam in sui Conceptione apparuisse, sic demonstro. 14.

Job: Lunam aspicere, scelus fuit apud Orientales.

Probatur

Scripturaliter.

Ex jam supra allegatis nonnullis, de eclipsi Lunæ, Astrono- 15.

morum doctrinis, cum litera S. Scripturæ confrontatis, pri m probare intendo: SS. V. MARIAM in sui Conceptione non fuisse passam eclipsim culpæ originalis. In punctis etenim eclipticis, videlicet in capite & cauda stygij Draconis, LUNAM hanc Mysticam nunquam, etiam in primo Exortu suo, stetisse, observo ex S. Scriptura. *Primum* ex illo s. loco Ecclesiastici c. 1. 9. Ubi, secundùm allegoriam, de SS. Virgine MARIA, fons omnis Sapientiæ Spiritus S. agendo, Creationem seu Conceptionem ipsius, per os Sapientis sui, taliter describit.) *Ipse (inquit) creavit illam in Spiritu S.* Eccl: 1. 9. Si initium operis, caput vulgò dicitur, meritò & creatio rei, punctumq; creationis rei, caput durationis ejus appellandum. Caput ergo hoc, seu punctum Creationis MARIÆ, in quo nam fuerit signo? demonstrat illuminatissimus Siracides; non quidem, (quod nobis, cæteris posteris Adæ, commune & innatum est) in capite Stygij Draconis, cui in capite nostro s. Adamo consensimus, & propterea sub ecliptica, quia filij iræ, mortis, & tenebrarum, nascimur: sed illud punctum fuisse in sanctissimo capite, unius videlicet ex tribus Personis, Vivificæ SSq; TRINITATIS: id est in Spiritu S. *Ipse creavit illam (inquit) in Spiritu S.* Ex quibus Siracidæ verbis, succum exprimens Cornel: à lap: ita pro Immac: Conceptione SS. V. MARIÆ loquitur. *Sapientia, imò Sapientiæ æternæ Mater, est B. Virgo: hanc creavit DEUS in Spiritu S.: quia simul creata, & repleta Spiritu S. fuit, uti decebat Matrem DEI mox futuram: ideoq; in gratia omnes homines, & Angelos superavit.* Quæ ergo conventio lucis ad tenebras? quomodo in capite draconis, seu sathanæ Conceptio ejus? quæ, in capite, seu summitate & excellentia gratiarum Spiritûs S. stetisse in creatione sui, supremo Cælesti oraculo evincitur? Imò credendum est, tunc infame illud caput Stygij Draconis, compressum, contritumq; fuisse, ac tum primum verificatam illam, primam inter omnes Prophetiam Gen: 3 *Ipsa conteret caput tuum.* In quæ verba sic fluit mellea Bernardi Suada, hom: 2. sup: Missus. *Ipsa (inquit) contrivit caput venenatum, quæ omnimodam malignam serpentis suggestionem, tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia, deduxit ad nihilum.*

Caput seu Conceptio MARIAE in Spiritu S.

Corne.

MARIA in Conceptione, caput dæmonis cõtrivit.

Gen.

Bernard.

Hinc

Hinc facilè jam concludo, fulgentissimam hanc LUNAM, Immaculatè Conceptam Virginem, nec in altero etiam ecliptico puncto, sub suo Exortu stetisse, videlicet sub cauda Stygij ejusdem Draconis; hoc est, minimè consensisse in Protoparente Ada, illis ementitis blanditijs & adulationibus. *Nequaquam moriemini. Eritis sicut Dij.* Contrito enim capite nulla vis nocendi, manet Draconi in cauda. Atq; sic, si in capite, s. in initio Creationis, B.V. MARIA plena fuit gratiâ cæteris excellentiore, in ipsaq; confirmata, certè consensisse illam blanditijs illis tentatoris, etiam in aliena s. in Protoparentum voluntate, quis rectæ mentis imaginari poterit? Optimè consequens hoc confirmari videtur, ex illis verbis Officij pro Festo Imm: Concep: à tot Summ: Pontificibus concesso: dum de MARIA dicitur: *Quæ neq; serpentis persuasione decepta, nec ejus venenosis afflatibus infecta est.* En habes (pie Lector) ex hac observatione Mathematico-scripturali, hodie in utero dignissimæ Matris Annæ exorientem novam LUNAM, SS. V. MARIAM, procul nimiùm ab utroq; ecliptico stetisse puncto, atq; sic ab eclipsi peccati, immunem imò ut LUNAM plenam, quia in plenitudine luminis gratiæ apparentem. Unde meritò S. Petr: Damian: Ser: 40. ipsam appellat *Candorem lucis æternæ.* Et S. Bonav: in Opusc: de laud: V. *Radium Divinitatis:* Quorum SS. Patrum indagando sensum Did: Celada in Judith: fig: c. 12. mentem eorum taliter interpretatur. *Adverte (inquit) ad puritatem, quâ radius oritur ex Sole, & à luce lumen. Hanc puritatem meditare in MARIÆ Immaculatæ Conceptione.* Sed quia præterea scientia Astronomorum utpotè nimiùm in observationibus suis accurata, quantùm possibile est certissima esse conatur, ideò præter dogmata, ab arte quoq; & industria conquirit subsidia: siquidem Eclipses tam Solis quàm Lunæ, in speculis aut vitreis, aut aqueis explorare nonnunquam consuevit. Nos pariter ut tantò certiores simus, quod LUNA nostra SS. V. MARIA, nullam in Ortu suo passa fuerit peccati eclipsim; morem Astronomorum secuti, in speculo veluti, & in ænigmate s. sub Figura S. Scripturæ, Lunæ hujus primos observabimus motus.

16.

MARIA adulationib⁹ serpentis, in Adamo non consensit.

Imm.

Damian.

Bonav.

Celada.

MARIA in Cõceptione, veluti radius à Sole.

Eclipses Lunæ, in speculis observantur.

Probat

Probatur Figuraliter.

17\. Regius Psaltes, insolitè aliquando superabundans, Cælesti Entheo, insuetæ cujusdam Solemnitatis, populo indicturus festum, ex intimo cordis, & pectoris, universos inclamaverat, inquiens. Psal: 80. 4. *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die Solemnitatis vestræ.* Sed quorsùm in Novilunio, quod idem est, ac Neömenia, læto tripudio, & festâ Symphoniâ, diem festum agunt Hebræi? fortè putaret quispiam Neömeniæ festum sæpere Gentilismum; cui solemne erat, novam LUNAM festivis salutare clamoribus, clangoribusq; tubarum: nisi notum foret, omnia in figuris Hebræis contigisse. Quid ergò quæso in nova lege tam Solemne Novilunij præfigurabit Festum? Optimè ad rem nostram Did: Celada cit: c. 20. id observavit, videlicet.

Psal:

Festum Neomeniæ seu Novæ Lunæ.

Celada.

18\. Toties jam audivimus & meritò, SS. MARIAM dici LUNAM Ecclesiæ DEI: id enim, de ipsa dicitur, partim, quia ut ait Richard: Laur: l. 7. de laud: V. *Sicut LUNA citiùs, quàm alij planetæ perficit cursum suum; ita MARIA faciliùs impetrat à Christo, quàm alij Sancti.* Partim, quia de ipsa Idiota Part: 4. Contemp: 14. *Sicut LUNA Sole recedente, mundum illuminat; sic ipsa, Sole justitiæ transeunte de mundo ad Patrem, per mortem corporalem, fide suâ, totam illustravit Ecclesiam, in triduo Dominicæ Sepulturæ.* Partim, quia (ut inquit idem Rich: ibid:) *Sicut secundùm LUNÆ incrementum vel decrementum abundant, vel decrescunt medullæ in ossibus animalium; ita per gratiam, & orationes MARIÆ, abundant in nobis medullæ virtutum. Et sicut Luna lumen, & pulchritudinem habet à Sole; ita MARIA, quidquid boni habet, attribuit vero Soli. Tandem sicut Luna, post Solem habet secundam claritatem; ita MARIA, post Christum transcendit omnem Creaturam.* Hactenus Richardus.

Bernard:

Idio.

MARIAE cum Luna comparationes.

19\. De festo illo Noëmiæ, seu Novæ LUNÆ, vel potiùs de mystico significato ipsius, jam inquiramus. Docet ergo supra allegatus Celada, illud festum auspicio, & novis splendoribus LUNÆ dicatum, præfigurasse futurum Ortum in Ecclesia DEI, Mysticæ LUNÆ s. Festum Immaculatæ Conceptionis, recentibus

Festum Conceptionis, Festum Neomeniæ.

MARIÆ

MARIÆ splendoribus sacrum. In quo sicut in Novilunio, fulget nova Luna MARIA, pulchro & pleno gratiarum candore. *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestra.*

Sed ulteriori indagine dignissimum est illud, quod advertunt in Luna Astrologi, & notavit Joan: de Sacro Bosco c. 1. Sphæræ, atq; Clavius; in Noviluvio nunquam eclypsari Lunam: ut aptiùs figura cum re ipsa conveniat, & per hoc innuatur, Lunam Ecclesiæ MARIAM, in suæ Conceptionis Novilunio, obfuscatam non fuisse, caligine culpæ, nec primordialis delicti eclypsi ullatenùs obscuratam: sed in sui Ortûs felicissimo auspicio, cum gratiæ fulgoribus vitam inchoasse. Imò maculæ illæ, quæ videntur apparere in Luna, maculæ non sunt veræ, sed potiùs est rarior, & perfectior quædam lux, & nitor atq; fulgor. ut tradit Rich: in 2. d. 14. Q. ult. Quin & Luna, ita sine omni lapsu cursus suos peragit, ut nunquam offenderit. Luna (inquit Tertulianus l. de Pallio c. 2.) *menstruis modulationibus variat.* 20.

Luna in Novilunio non potest eclypsari: sic & MARIA in Conceptione

Tertul.

Porrò modulari, musicæ harmoniam sonat; quam musicæ harmoniam, seu concentum, Cantores attentissimè observant: in choro enim, si quis tantisper discrepet, perdit concentus harmoniam, & inconcinnum reddit sonum. Per quod bene designatur, Mysticæ nostræ Lunæ SS. MARIÆ, in Novilunio Conceptionis suæ, primos motus & gressus fuisse modulatissimos, atq; nec minimùm discrepasse, aut offendisse in limine Conceptionis, ubi omnes nos cæteri, qui in Adam peccavimus, impingimus. Luna ergo hæc menstruis modulationibus variat, hoc est modulatè movetur, ad novæ gratiæ augmenta, quousq; pleno lumine fulgeat; uti Solis æterni s. Filij DEI, atq; sui, etiam in puritate Conceptionis æmula, & imitatrix. De quo, quisnam fuerit Patrum & Doctorum sensus? audiamus. 21.

Lunæ modulationes, quid sunt?

Probatur

Doctoraliter.

Anast: Sinait: l. 4. Anagog: in Hexamer: ubi Evam cum Luna, ob defectionem per inobedientiam comparasset, ad aliam Lunam, scilicet SS. MARIAM descendendo, ita ait. *Eva decepta, cùm à tenebrosi & obscuri serpentis dominatu oppressa esses, &* 22.

defecisset lumen ejus; ejus tamen luminis defectum restituit lux vera, quæ ex ipsa processit, ex secunda inquam Eva, CHRISTUS, tanquam ex quapiam LUNA MARIA; quæ nunquam minuta fuit, aut defecit, aut privata fuit lumine essentiali. Nihil illustrius, pro arcenda eclipsi originalis culpæ à Conceptione LUNÆ MARIÆ.

23. Albert: M. Ser: 56. de B.V. *MARIA, LUNA plena, quia ex omni parte perfecta.* S. Ernestus Prag: in Marial: c. 6. *MARIA LUNA est, quæ nunquam defecit, nec passa est eclipsim.* S. Antonin: Tom: 4. tit: 15. c. 4. §. 2. illa verba tractans. *Fiat lux, & facta est lux:* ita scribit: *Successivè narrantur opera sex dierum, in principio facta, designantia sex opera mirabilia DEI, facta successivè in Virgine MARIA: & primum opus, Conceptio: ibi dicitur figuratè. Fiat lux: in hoc præfigurans, & præordinans Conceptum Virginis.* Quibus verbis satis clarè fatetur S. Doctor, Concept: V. MARIÆ, fuisse in splendoribus lucis gratiæ; atq; sic sine eclipsi peccati.

24. Petrus Bercorius Reduct: Moral: l. 5. c. 29. appellando MARIAM LUNAM Ecclesiæ, ob perfectissimam ejus similitudinem in donis gratiæ, ad Solem s. CHRISTUM; sic ait: *Beata Virgo, verè luminarium Cælestium, id est, omnium Sanctorum Ecclesiæ, est principalior, ac Soli, id est CHRISTO Filio suo, similior, quantùm ad perfectionem.* Perfectio autem Solis s. CHRISTI fuit, in hoc specialis, quia in sui Conceptione nullam subijt nec subire potuit peccati eclipsim. Didac: Celada de Judith figurata c. 21. dum observat Tertullianum olim appellasse MARIAM, *Florem lucis,* seu *Lucem floridam;* causam quæritans, cur non satis Tertulliano erat, lucem veram appellasse MARIAM, sed magis florem lucis? respondens, ita ait: *Bellè MARIA flos dicitur Lucis, seu Lux florida. Nam valetudo Lucis non est adeo delicata, ac valetudo herbacei floris. Lux enim non timet adversarium, nec ab aliquo infestatur, quominùs splendeat. Sic MARIA etsi flos dicitur, & inde tenera, & delicata posset videri; at flos lucis est, aut lux florida, quæ à nullo infestatur, aut læditur.* Ita ex similitudine lucis, quæ nullum admittit contrarium, dogmatizat præcitatus Author, comprobando inde SS. V. MARIAM in sui Conceptione, procul omninò fuisse ab omni eclipsi, & umbra peccati.

Doctissimus Carthag: hom: II. de Concept: ex proprietate Lunæ, quæ cæteris planetis citiùs cursum suum absolvit; ita pro MARIÆ Conceptione loquitur: *Lunæ ergo comparant Virginem; ut miram ejus velocitatem, & inauditam celeritatem in progressu spirituali designent, quâ cæteros Sanctos adeò excelluit; ut cùm quidam paulò post Nativitatem, ut Innocentes Martyres, & Infantes baptizati, alij paulò ante in utero materno, sanctificati fuerint, ut Ieremias, Ioannes Baptista; ipsa tamen Divinâ virtute, adeò cursum acceleravit; ut in primo instanti suæ Conceptionis, divinâ gratiâ profusa, ardentibusq; divini amoris flammis inardescere cæperit.* Et iterum idem, de nova luce ipsius inConceptione, sic ait: *Nova (inquâ) secundùm intensionem; quia copiosior gratia illi collata fuit, in principio suæ formationis, quàm omnibus Sanctis, in fine vitæ illorum. Nova etiam, quia nemini unquam contigit, in media caligine conceptionis humanæ, divinæ gratiæ luce perfundi, nisi soli B. Virgini. Unde rectè illud congruit:* Joan: I. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt; hoc est in medio tenebrarum conceptionis, ubi nemo unquam vidit lucem, nova hæc divinæ gratiæ lux emicuit: hincq; factum est; ut tenebræ caliginosæ noctis peccati originalis, eam comprehendere non potuerint.* 25.

Probatur

Miraculosè.

Suis non procul à temporibus Bernard: de Bust: Ser: II. de Concept: contigisse scribit Mantuæ, quòd quidam Religiosus, Confessarius Domini Marchionis illius Dominij, rogaverit ipsum, ut Festum Conceptionis B. Virg: de libro Festorum, quæ observantur in illa Civitate, faceret deleri. Cui ille respondit, se hoc facere nolle; quia hoc Festum erat à suis prædecessoribus institutum. Tunc ille Confessarius rogavit saltim, ut ipsum permitteret dictum Festum cancellare; quo ex tædio id permittente, ille Confessarius cancellato Conceptionis Festo, ad suum reversus monasterium, mortuus est, & repertus sine lingua. Insuper illuminatus Doctor Franc: de Mayron: Serm: de Concept: V. narrat quomodo Parisijs cuidam Magistro volenti publicam Concionem habere, contra Immac: Conceptionem Virginis, ipsa Virgo apparuit dicens: *O Magister, quid ego tibi* 26.

Impugnator Imm: Conc: sine lingua mortuus repertus.

Alius ab apparente sibi B. V. redarguitur.

unquam feci, quia hoc manè, vis contra meum honorem prædicare?

27\. Noveris (pie Lector) utrumq; hoc contigisse pro attestanda LUNÆ nostræ immunitate ab eclipsi originalis peccati. Non nullorum enim de plebe, quamvis non omninò approbanda, opinio est, quòd illorum manus, qui LUNAM eclypsantem intuentes, adverso, & erecto eam indigitant indice, vitium quoddam exinde contrahat; scilicet, habitum & facilitatem quandam, ad confrigenda frequenti ex manu lapsu, vasa, præsertim vitrea. Hinc commune circumfertur proverbium. *Cum Luna, ne lude.* vel *Lunam non irrideto:* quo plerumq; tales nimiùm, curiosi, & audaces LUNÆ observatores, moneri solent à prudentioribus, ut sic, quasi ab irata LUNA, illos infaustos, & damnosos evitet casus. Jam ergò non mireris memoratos duos, minùs faventes Imm: Concept: MARIÆ; quòd dum in Luna hac nostra, eclipsim originalis culpæ advertisse se imaginabantur, cæterisq; eam demonstrare attentabant, imprudenti zelo contra piam de Imm: Concept: MARIÆ sententiam agitati; quasi ipsâ vindice sui honoris LUNA MARIA, unus illorum, tanquam vas figuli confractum, letaliter corruerit; alter verò, ne Immaculatissimæ LUNÆ ampliùs illuderet honori, tam dura ab ipsamet acceperit monita.

Luna digito monstrans facilis ad frangenda vasa.

Probatur Scholasticè.

28\. *THEOL:* Unanimitèr omnes Theologi Morales tenent, opera servilia, in die Festo non posse licitè exerceri: juxta præceptum illud Decalogi: *Memento, ut diem Sabbathi s. Festi, sanctifices:* inter Festa autem habebatur apud Judæos celebre satis, (ut supra dixi) Festum Neomeniæ, seu novæ LUNÆ. Per servilia verò opera in festo prohibita, nedum illa quæ communi significatione nominis hujus veniunt, sed etiam peccata intelliguntur. Unde plures Casistæ tenent; graviora esse peccata, in die Festo commissa, quàm si aliquo alio profano die perpetrata fuissent. Marchant: Hort: Pastor: T. 3. de charit: l. 9. Sed B. V. MARIÆ Conceptio, fuit veluti LUNA nova, & Festum novum; juxta illud Eccl: 43. *A LUNA signum diei Festi:* unde de illa Philip: de Greve Ser: 190. in Psal: 88. ait: *sicut Eva signum mæro-*

Peccata graviora, si committantur die Festo.

MARIA, dies Festus.

mœroris, & luctûs, ita à MARIA, signum gaudij & festivitatis. Ecce S. Ernest. Prag. in Marial. c. 11. *Vocat MARIAM, diem solemnissimum, diem exultationis, quem fecit Dominus ipse.* Ergo in illo die, aliàs in puncto Conceptionis suæ, in illo novo suo Exortu, non potuit MARIA servire ulli peccato; adeoq; LUNA hæc, non potuit originali affici eclipsi. *Confirmatur* ex Jacobo de vorag: in Mariali Ser: 2. Sic dicente de MARIA. *Illa (inquit) est dies, Cælesti claritate perfusa, in qua semper lux divina effulsit, & nunquam in ea tenebræ locum habuerunt.*

MARIA dies Cælestis.

MATHEM: Quæstio agitatur inter Mathematicos; utrum LUNA creata fuerit in Novilunio, an verò in Plenilunio? Pleriq; probabiliùs asserunt cum V. Beda & D. Thoma, ipsam creatam fuisse in plenilunio. Quo supposito; illa prima nova LUNA, seu Ortus LUNÆ, fuit in diverso sensu, quasi simul, & in novilunio & in plenilunio: ut patet. Hujus autem rationem subdit D. Thomas; *quia (inquit) in hoc statu, Luna absolutam habet perfectionem; in qua ipsam produci à DEO conveniebat.* Si ergo secundùm omnes, plenitudo illa gratiæ, quam aliquando habuit, vel habere potuit B. Virgo; (juxta illa Cælestis Paranymphi verba: *Ave MARIA, gratiâ plena*) fuit status perfectissimus gratiæ, idq; super omnes Sanctos & Angelos; certè non aliàs magis conveniebat LUNAM istam, SS. MARIAM in hac plenitudine, & statu summæ gratiæ apparuisse, quàm in hoc ipso puncto Conceptionis suæ: utpote illam, quæ ideo oriebatur, ut brevi futura esset Mater DEI. Cui optimè quadrat illud ex Carthagena de Conceptione MARIÆ sub Figura tractante. *Sicut (inquit) LUNA, in primo instanti Creationis suæ, fulgentissimis solis radijs cæpit irradiari; ita Sacratissima Virgo in puncto suæ Conceptionis, Solis justitiæ clarissimo lumine illam irradiante, cæpit divinis fulgoribus coruscare. Unde sicut Luna in sui creatione tenebras nescivit; ita & Virgo, in sua Conceptione, peccati originalis caliginem ignoravit.* 29.

Luna creata in plenilunio.

Carthag.

SYMB: Luna recens, omnis maculæ immunis, nullam nisi candidam subtilissimæ lucis præsefert formam. Unde Poëta Italus. 30.

--- D' ombre purgata appare in Cielo
Quando picciola è piu la bianca LUNA.

Cui Emblemati Aresius subscripsit Lemma: *Sine macula.* Genuinum sanè novæ LUNÆ nostræ, exorientis in Utero dignissimæ Matris suæ Annæ, SS. Virginis MARIÆ ectypon, hæc imago exhibet. Idiot. Cant: Hanc etenim contemplatus devotissimus in MARIAM Idiota, scrutando illa verba Cant: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* ita affatur: *O Virgo gloriosissima, pulchra non in parte, sed in toto: & macula peccati, sive originalis, sive actualis, non est in te.*

31. *POES:* Cynthia, dum plenum radijs fulgentibus orbem
Explicat, umbrosæ noctis opaca fugat.
Limpidus est illi fons luminis, aurea lampas
Cælorum Phæbus; cujus ab ore nitet.
Pulchra venustatis species in Virginis Ortu;
Quæ spargit nitidum, lucis in auge jubar: Biezan: in Cant: 6. epigr: 278.
Solis ab immensi facie cùm venerit; an non
Hæc illam species Immaculata decet?

PROGR: *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

ANAG: In pace, & summè dotata LUNA, Virgo MARIA.
Aurorâ, & LUNÂ magis munda, emicet Pia.
En luces, amata, mira, pia, & munda Virgo?
Virgo pura, ditata manè, à luce immensa.

Probatur Historicè.

32. Luna alâ Angeli percussa dicebatur à Machomete. Inter millena sua deliramenta, quæ carnalis ille & Pseudo Propheta Machometes, in suo Alcorano descripsit, illud quoq; legitur. Quasi LUNA fuerit à DEO creata in æquali lumine cum Sole; casu tamen diminuta sit in sua nativa luce; propterea, quia alâ prætervolantis Angeli; quem ipse appellabat Serapielem; percussa fuit. Serapiel autem, ex Arabico in Latinum, fortè idem erit, quod ignem rapiens. Commentitium hoc planè, & merum infatuati hominis, atq; contra Geneseos literam, figmentum fuit: ad

propo-

propositum tamen nostrum saltim à contrario illustrandum, non penitùs inutile.

Pulchra equidem LUNA fuit, ab initio sui, Homo ille primus, in splendoribus illibatæ gratiæ creatus à DEO; sed Serapielis f. ignem charitatis rapientis, vel potiùs extinguentis, & tantam pulchritudinem homini invidentis, rebellis videlicet Angeli, percussus alâ, id est primâ impetitus ab ipso tentatione, perdidit lucem gratiæ, tristemq; cum tota sua propagine incurrit eclipsim. MARIA tamen sola LUNA, & una illa est, ad quam, infernalis iste Serapiel, accessum habere non potuit, ut communi illam percuteret alâ, & plagâ. vel ipso eodem attestante Pseudoprophetâ Machomete. *Nullus (inquit ille) nascitur ex filijs Adam, quem non tangat Sathan, præter MARIAM & Filium ejus.* Nec mirum; nam contra hujus insidiosi Serapielis astus, huic fulgentissimæ LUNÆ MARIÆ, etiam in sui Conceptione supernæ spirituum Cælestium non defuêre excubiæ. Scribit enim Bern. Busto. S. 8. de Concept: quòd quædam devota Monialis, sub Bonif. VIII. dum meditaretur de Concept: Virginis, facta in extasi, vidit & audivit B. V. sibi dicentem: *Scias Filia, quòd meæ Immac: Conceptioni, & Sanctificationi affuerunt tria millia Cherubinorum canentium, & dicentium: Mater Domini est MARIA, & tabernaculum SS. TRINITATIS.* Quod si ita est. Ergone tam benè præcustodita LUNA hæc, à malo Angelo lædi potuit, aut lumen gratiæ vel minimè in ipsa eclipsari? 33.

MARIAE Concep: tria millia Cherubinorum adsunt.

EPILOGUS.

Jam habes candide Lector, Ortum novæ LUNÆ, LUNÆ candidissimæ, LUNÆ sine quapiam Umbra, aut eclipsi, SS. videlicet MARIÆ Immaculatissimam, quia sine labe originali Conceptionem, & devotè observatum sistema, aut Horoscopum primigenæ Nativitatis, seu Creationis ejus. Piam hanc Mathesim, dum concludere jam cogito; duo menti meæ sese ingerunt. Primum ex Plutarcho: mos videlicet ille Veterum Romanorum; quòd eclipsante LUNÂ, quasi vicibus sideris compatiendo, tinnitum faciebant, pelvim, ac tintinabu- 34.

Lunam novam tinnitu salutabant Romani.

nabula pulsando. Alterum, ex traditione Naturalistarum de animali, qui Cynocephalus dicitur, estq; de specie partim canum, partim simiorum; hoc animal ad LUNÆ crescentis, vel decrescentis vicissitudines, visum deperdit, & iterum recuperat: inde est, quòd exoriente novâ LUNÂ, quasi reviviscens, erectis pedibus & capite ad Cælum, eam quasi venerabundè salutat.

Cynocephalus novam Lunam salutat.

35. O candidissima in Ortu LUNA, s. mundissima & fulgidissima in Conceptione Tua MARIA! nos qui piæ opinionis de Immaculato Ortu tuo assertores, & zelatores censemur, sumus quidem, utpotè charitate, vel vacui, vel exigui, juxta Apostolum, æra sonantia, & cymbala tinnientia; ringuntur tamen corda nostra, auresq; tinniunt, dum quandoq; Orienti Tuæ LUNÆ s. Conceptioni Tuæ, à quibusdam, licet jam perpaucis, ex obscurioribus aliquorum Authoritatibus deprompti nubeculis, eclipsim originalis peccati, obduci, vel potiùs imaginariè imputari, subaudimus: non enim filiorum tuorum, non clientum esset, tam benefici sideris, vel putativæ non compati vicissitudini. Ambimus præterea, & libentèr ambimus esse atq; appellari cynocephali seu catelli Dominæ nostræ; qui micis gratiarum ex mensa tua quotidie pascimur, qui radijs bonitatis tuæ crescimus, & cæcutientes illuminamur, quorumq; à Te pendet vita tota.

MARIAE catelli, micas petunt.

36. Levemus proindè cæcutientes animas nostras, levemus corda, & ora nostra, ad Ortum Tuum Immaculatissimum, devotè salutantes & confitentes, Te in Conceptione tua fuisse LUNAM immunem ab omni eclipsi peccati. Ergo ô fulgentissima LUNA, illumina à montibus æternis, & cunctas, si quæ fortè in aliquibus fidelium de Immaculato Ortu tuo reperiuntur, dubiorum discute umbras; affulgeat quantocius millenis votis expetita dies illa, quæ ex arcanis æternorum consiliorum hucusq; differtur; brevi tamen (ut quibusdam revelatum esse dicitur) jam exortura; dies (inquam) illa decretoria, quâ ut articulus Fidei ex Cathedra Petri pro tota Ecclesia decidetur, LUNAM nostram in Ortu suo fuisse sine eclipsi; scilicet Conceptam MARIAM sine originali peccato: ut ita demum, uno corde, uno ore, & labio uno, universus Christianus Orbis tibi lætè occinere valeat.

Votum Authoris.

Io! vivat Sanctissimæ DEIparæ Immaculata Conceptio.



MARE,
sine Salsedine,
SS. Virgo MARIA,
sine labe Concepta.

Beatus venter qui te portavit. Luc: 11.
Inundationes maris, quasi lac sugent. Deut: 33.

DUm pervetusta antiquorum Ægyptiorum volvo & revolvo Hieroglyphica, singulare quid in ipsis reperio, apud Pier: l. 34. c. 42. videlicet observasse ipsos miram quandam inter ventrem animalis & Mare Analogiam. NN. Illi etenim Mare, ventrem terræ, & reciprocè ventrem hominis, mare appellabant; mutuisq; hæc duo repræsentabant Symbolis. Similitudine puto à Mari desumptâ; quòd, veluti illud flumina, fontesq; omnes in se recipit; juxta illud S. Scripturæ. Eccl: 1. 7. *Omnia flumina intrant in Mare*; ita similitèr omnia consumit venter, ex eis, quæ ab extra illi adveniunt. A quo Ægyptiorum sensu non multùm discrepavit Sapientissimus Philosophorum Aristoteles; qui Mare, mamillam mundi appellasse scribitur. 1.

Maris cum Ventre analogia.

Eccl.

Huic ingenioso Ægyptiorum invento, Evangelica hæc Matris DEI Panegyristes, extollens in laudem Ventris MARIÆ vocem suam in hodierno Evangelio, quod Missale Franciscanum legit pro Festo Immac: Conceptionis, cogitaverit ne alludere, & Ventrem Matris 2.

DEI appellare MARE; dum ait: *Beatus Venter, qui te portavit*; affirmare quidem non audeo; optimè tamen vel ex ipso ethymo Nominis MARIÆ, coincidere adverto, Vêtrem DEIparæ cum MARI; imò ipsam SS. hodie Imm: Conceptam MARIAM, MARE esse assero. Hujus enim Analogiæ inter MARE & MARIAM, plurimas in placitis SS. Patrum, & Doctorum reperio rationes; quas omnes quia recensere longum esset; aliquas tantummodo insinuo. D. Epiphan: Serm: de laud: Virg: ait: *MARIA* MARE *Spirituale; quia habuit in se gemmam Cælestem, CHRISTUM.* Idem lego apud S. Chrysost: Orat: 7. de B. V. Idiota quoq; de B. V. part: 10. Contemp: 3. ait: MARE *MARIA; quia sicut mare non potest exhauriri; omnes enim aquas recipit, & omnes aquas emittit, & semper plenum remanet: sic B. V. recipit omnes aquas gratiarum, & plenitudinem universorum bonorum, ut ea nobis distribuat, sine diminutione plenitudinis suæ.* S. Albert: M. in Jon. MARE *MARIA; quia nunquam per desideria & suspirationes quiescere potuit, donec verus Jonas, id est, Filius DEI in ipsam per Incarnationem missus fuit.* Tandem Rich: Laur: de laud: V. l. 9. Inter plura alia, quæ pro similitudine MARIÆ ad Mare congessit, talia habet: MARE *MARIA; quia sicut guttæ Maris non possunt dinumerari, ita & gratia, seu misericordia Virginis, innumerabiles sunt.* juxta illud Eccl: 1. *Arenam Maris, & guttas pluviæ, quis dinumerat?*

MARIA Mare; cur? — Epiph. — Chrysost. — Idiot. — Alb: M. — Richar:

3. Hæ sunt rationes allegoriæ inter MARE & MARIAM, ex comparatione ad ordinarias qualitates MARIS adductæ. Sed nollem ego, in primo Exortu Virginis, à vulgari MARI, quod ex natura sua salsum, & amarum est, parallelas & analogias ad Imm: Conceptam MARIAM ducere; ne per hoc aliquid amari, vel salsi, s. originalis labis, in ipsa admittere cupiá videar. Aliud proindè prospicio ad MARE, nullo amarore, aut salsedine infectum, sed planè dulcedine lacteum. De quo Deut: 33. dicitur: *Inundationes Maris, quasi lac sugent.* Quod sat perbellè, & ingeniosè adstruit SS. DEIparæ Rich: Laur: l. 1. de laud: V. Hujus ergo authoritate fretus, dum super hoc Marianum MARE navigare, seu procedere in laudibus

Deut. — Richard:

MARIÆ intendo; Mare hoc lacteum, genuinum esse Symbolum Immac: Conceptionis agnosco. Omnes quidem posteri Adæ orimur, & sumus mare amarum, salsum ob salacitatem, seu pronitatem ad malum: juxta illud Is: 57. 20. *Cor impij quasi Mare fervens, quod quiescere nescit.* Solius SS. Virginis MARIÆ anima, est illud Mare, quod ipse fecit Altissimus, juxta Psalmistam; quodq; totum melleum & dulce; nam sine salsedine, seu amarore originalis peccati, hodie in sui creatione conspicitur. Hoc ego pro solito more, & consueta methodo probare intendo: priùs tamen, nostri fluctuantis Maris f. cordis humani, nonnullas miserias & pericula tantisper speculabor & enarrabo. Nunc saluto rythmicè Immac: Neo-Conceptam.

MARIA, in Mari lacteo figurata.

Isaj.

Propositio.

O immense Oceane Gratiarum! & inane
Labis Adæ, nec amarum: Mare dulce, semper charum.

PARS I.

De salsedine, seu siti animæ ad malum.

IN Geographica delineatione, & tabula possessionum promissionis terræ, sorte distribuendæ inter tribus filiorum Jacob, id singulare in ea parte, quæ à meridie fuit, adnotavi; quòd ad terminos suos, quos versùs Orientem protendebat, habuerit salsissimum mare. Sic enim dimensio ejus describitur à Moyse, Numer: 34. 3. *Cum ingressi fueritis terram Chanaan, & in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur. Pars meridiana incipiet à solitudine Sin, quæ est juxta Edom, & habebit terminos juxta Orientem, mare salsissimum.* Quod, dum cum statu primi hominis, & creatione ipsius, in illa ter felici terra non jam promissionis sed paradisi, comparo, non nimiùm obscurè significari per hæc adverto, vicissitudinem illam, quam infaustè subijt totum genus humanum in Protoparentibus suis. 4.

Num.

Meridies, partìm plenitudinis perfectionisq;, partìm (ut alibi dictum) ferventissimæ tentationis, Symbolum est. Benè proinde 5.

meridionalis pars Regionis illius Chananeæ, perfectissimum statum illum, in quo complacuerat Creatori condere hominem, designare poterit: sed ecce brevi; quia statim in meridie primæ diei durationis suæ (ut volunt multi ex Theologis) aut etiam, quia in meridie, hoc est in fervore primæ & summæ tentationis, incepit ille status felix à solitudine; devastatâ per peccatum Adæ, totâ generis humani propagine: nec jam de facto ullos habet contra Orientem terminos, nisi MARE salsissimum: Omnes enim; qui in Adam peccavimus, ad ipsum statim Orientem, dùm s. primo orimur, seu concipimur, sumus quasi MARE salsum, ob mordacitatem, pruriginem, salacitatem, expetentiam, & sitim quandam ad peccatum. Nec enim sine mysterio Uxorem Loth nimis pronam ad vetita, versam fuisse in statuam salis, legimus. Gen. 19. 26. Hæc autem salsedo seu expetentia mali innata animæ, tantò magis acuitur & intenditur, quantò plùs actualibus peccatis anima inquinatur: fitq; propterea hujuscemodi anima, quasi MARE salsissimum, plenum amaritudine, & cæno impuritatum. De quo videamus S. Scripturam.

Homo vitiatus originali peccato, mare salsissimũ.

Sal; Symbolum pronitatis ad malum.

Probatur Scripturaliter.

6. Patientissimus ille, & in schola tribulationum exercitatissimus agonetheta Job, multas miserias & calamitates peccatricis animæ circumscribere desiderans, aliquando extraordinariæ siti ipsius cõpatiendo, dixerat: *Tenebitur planta ejus laqueo, & exardescet contra eum sitis.* Job. 18. 9. In quo loco de impio locutus est; quem sæpè contingit, ijsdem, quos alijs paraverat laqueis, capi, & involvi; hinc planta ejus laqueo tenenda dicitur. Cæterùm præter hoc, aliud in ijsdem verbis insinuatur peccatoris præjudicium; scilicet, quòd semper majori & intensiori torqueatur siti, id est, expetentiâ mali. *Exardescet* (inquit) *contra eum sitis.* Ad eum quasi morem, quo avis visco, aut laqueo capta, dum à captivitate & tenacitate visci vult declinare, quantò magis alas concutiendo, in eum finem facit & nititur, tantò magis fatigatur, languet, & sitit. Et sicut is qui

Job.

Peccator semper sitit ad malum.

qui salem comedit, vel salsam bibit aquam, quantò plùs comedit, vel bibit, tantò ardentiorem in se accendit sitim; ita quoq; S. Job. vult innuere, quòd quantò quis atrociùs DEUM offendit, tantò pejus malum sibi augeat, & ad illicita stimuletur, atq; æstuet. juxta illud Eccli: 3. 29. *Cor nequam gravabitur in doloribus, & peccator adjicet ad peccandum.* Eccl.

7. Ad hunc omninò sensum currit interpretatio S. Gregorij in præfata verba Beati Jobtis: ita enim scribit: l. 14. Moral: 5. *In ejus quippe animo contra eum sitis exardescit; quia quò agere perversa consuevit, eò ad ebibenda mala vehementer accenditur.* Hoc ipsum quotidie videre est in omni specie peccatorum; præsertim tamen in avaris & fornicarijs. De avaris, vulgare est: *Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.* De fornicarijs verò, illud Propheticum servit: *Comedent, & non saturabuntur, fornicati sunt; & non cessaverunt.* Oseæ 4. 10. Primum comma sic interpretatur S. Hieron: *Voluptas insatiabilis est, & quantò magis capitur, tantò plùs utentibus se famem creat.* Alterum autem comma, subduxit Glossa Interlinealis hujuscemodi verbis: *Vires fornicationis deficiunt, sed desiderium ardescit.* Hujus miseriæ, in quam devolvitur anima peccatoris, satis ingeniosè Dion: Carthus: advertit latere mysterium in illo hydropico, qui Luc: 24. Salvatore in quibusdam ædibus verbum DEI prædicante, & plurimorum infirmitates miraculosè curante, cùm præ turba, portitoribus infirmi aditus non pateret, per superiora domûs illius tecti demissus fuisse legitur, ut & ille quoq; à Salvatore curaretur. Nominatus etenim Commentator, per hunc hydropicum peccatorem, cùm septem capitalibus vitijs, quorum naturam qualitatibus hydropicorum pulchrè ille ibi comparat; infirmantem spiritualiter intelligit; inquiens: *Septem pronuntiantur proprietates hydropici, per quas septem peccata mortalia intelliguntur.* Mysterium verò, propter quod peccator, per hunc potiùs hydropicum, quàm per alium infirmum præfiguretur, est: (ut censet Joseph: Mansi t. 78. de Pecc: d. 31.) quia hydropicus, quantò plùs bibit, tantò majorem sitim accendit: ita

Greg. — Fornicator & avarus, semper plura sitiunt. — Osea. — Hieron. — Gloss. — Peccator, cur hydropicus est?

quoq; homini vitioso contingit; quantò enim magis his suis indulget appetitibus; tantò insatiabiliorem se esse experitur.

8. *Ambr:* Non immeritò profectò S. Ambros: l. de Noe c. 10. insolentiam peccatorum, hisce detestatur verbis: *Peccator* (inquit) *unusquisq; quo graviora commiserit flagitia; eo fit insolentior: namq; usu, & exercitatione improbitas augetur, & impunitate nutritur.* Hinc plerumq; est, quòd Theologi, ex sensu Patrum doceant, unum peccatum, posse fieri pœnam alterius peccati: De quo audiamus S. Bonav: Compend: Theol: l. 3. c. 7. sic loquentem: *Peccatum est pæna peccati: Peccatum enim, secundùm quod est in se, est culpa, præcedentis peccati dicitur pæna: & ita peccatum, dicitur simul & culpa, & pæna,* Quod Didacus Stella in Luc: 3. elucidat similitudine desumptâ à Mari, inquiens: *Quemadmodum lapide projecto in aquas (v g. maris) excitatur fluctus, qui simul ut oritur, alterum quoq; excitat, & ille alterum, quousq; in magnum, & penè infinitum numerum, fluctus perveniant: sic ex uno peccato commisso, aliud oritur, ex illo aliud, veluti fluctus.* Sed à similitudine communis, & materialis Maris, transeamus ad Mare Figurale, ut tantò luculentiùs videamus, quantis æstibus feratur, ad malum sitibunda peccatoris anima.

Bonav: Peccatum, quomodo pæna est alterius peccati?

Did: Stell.

Probatur Figuralitèr.

9. *Apocal.* Notandum est valdè illud Mare Apocalypticum; de quo sic in visionibus suis Joannes narrat: Apoc: 15. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum, mixtum igne.* Puto hoc Mare non fuisse diversum ab illo, quod in superioribus capitibus viderat iste extaticus Propheta: atq; sic si adinvicem, & in unum conferamus omnia, quæ de illo ubiq; enarrantur, fatendum omninò erit, plurimis eisq; horrendis, ac exitiosis vicissitudinibus, illud Mare fuisse obnoxium. Nam c. 17. 1. legitur prohibitos fuisse ventos, ne flarent super Mare; quo nihil perniciosius Mari: hoc enim immotum diu manendo, putrescit, sordescit, & tantò magis salsum evadit. Deinde c. 8. 18. ad tubam unius ex septem Angelis, visus est quidam magnus mons

& ar-

& ardens mitti in illud MARE, & inde aquas ejus mutatas fuisse in sanguinem, ac tertiam partem creaturæ eorum, quæ habebant animas in MARI, & tertiam partem navium interijsse. Ultimum sed præcipuum illud, quod supra memoravimus ex capite 15. MARE hoc apparuisse quasi igneum; quia non in parte, sed in toto mixtum igne. *Et vidi, tanquam mare vitreum, mixtum igne.*

Porrò MARE vitreum, congruè poterit significare universum genus humanum, juxta illud Apoc: 17. 15. *Aquæ populi sunt, & gentes*: quod dum conderetur in primo illo homine, meritò dici poterat vitreum, imò pretiosa quædam cryſtallus; ob puritatem originalis gratiæ, & ob eximia status innocentiæ privilegia. De quo convenienter usurpare liceret illud Job: 28. 17. *Non adæquabitur illi aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri.* Ast ubi, non jam Cælestis, sed tenebrarum Angelus, in auribus Protoplastorum blanda tubâ cecinit: *Eritis sicut dij*, en totum perlucidissimum illud innocentiæ MARE, conversum in sanguinem fuit; utrâq; morte, animæ s. & corporis, ad cunctos filios Adæ propagatâ. 10. *Apocal.* Homo conditus mare vitreum, cõversum in sanguinem. *Job.*

Clariùs tamen secundùm Ribeiram & Cornel. à lap: MARE illud exprimebat impios homines: juxta illud Prophetæ jam citati: *Cor impij, quasi mare fervens.* Vitreum autem dicitur; quia (ut ait Sylveira hic) quamvis impij scelera sua contegant; tamen etiam cogitationes eorū DEO manifestissimæ sunt, acsi lucido quodam vitro tantùm tegerentur. Ut dicitur Eccl: 23. 28. *Oculi Domini multò lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Istius ergo mystici MARIS s. peccatricis animæ, haud dissimiles, prout in illo Typico MARI viso à Joanne, cernere est, calamitosas, ipsiq; exitiosas vicissitudines. Mons enim ille ardens missus in MARE, juxta Commentatores apud Sylveiram citatos, significat diabolum; idq; ob altitudinem, aliàs ob superbiam illam, quâ inflatus dixerat: *In cælum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Mons (inquam) iste ad tubam Sathanæ mittitur in MARE; quando ani- 11. Peccator cur dicitur mare vitreum? Diabolus, mons missus in mare: in cor peccatoris.

ma, suggestionibus ipsius obaudiens, præbet diabolo consensum in peccatum.

12. Illi verò quatuor venti, qui prohibiti fuerant, ne flarent super MARE, denotant, vel SS. Angelos juxta Cornel: apud Sylvei: vel bene etiam inspirationes Cælestes: Multi etenim peccatores, ad tam perditum deveniunt animæ suæ statum, ut quamvis sufficientes gratias ad conversionem sui, non sibi habeant subtractas; nullâ tamen efficaci gratiâ & impulsu cælesti, cor illorum ad pænitentiam, ad DEUM, deinceps tangatur & commoveatur: atq; sic ex consequenti evenit, ut tandem veluti stagnantes aquæ, in cæno vitiorum, in dies magis in malitia sua computrescant, fiantq; ob multitudinem & gravitatem peccatorum tanquàm mare mixtum, nedum igne intolerabilium concupiscentiarum, sed & sanguine. Sanguine (inquam) ob recidivationem continuam in eadem vel pejora flagitia.

Peccatorib⁹ quibusdam, denegat DEUS gratiam conversionis.

13. D. Gregor: Moral: 13. 6. Verba illa Oseæ Prophetæ trutinando. *Sanguis sanguinem tetigit.* Ose: 4. 2. ad propositum nostrum taliter explicat: *Sanguis sanguinem tangit, quando peccato peccatum additur, ut ante DEI oculos, adjunctis iniquitatibus, anima cruentetur.* Quod omninò inter grandia animæ mala, meritò pro præcipuo reputandum est: nam novissima hujuscemodi animæ, (juxta effatum Salvatoris) fiunt pejora prioribus. Hinc sequitur ultimum & animæ exitiosissimum; quod s. fiat illa MARE mixtum igne, adeoq; fervens, æstuans, ob inextinguibilem ardorem iterùm, atq; iterùm peccandi: fit etenim, quòd peccatoris anima, dum nullis inspirationibus Cælestibus commovetur, in sanguine suo s. in malitia sordescat, & putrescat; & tandem, sicut ex putrida aqua, aut sanguine, arte chymicâ extrahitur sal, ita pariter fiat anima ejusmodi proclivior, salacior ad peccatum; & continò illius sitibunda, ferveat, & æstuet ad illud usq; in immensum; adeò, ut nullis licentiæ terminis, veluti vastum MARE, claudatur malitia ejus. De quo pulchrè Noster Did: Stella in Luc: 3. disserit: *Peccator ex uno in aliud devenit peccatum, & unum peccatum, aliud impellit; & nullum finem,*

Ose. Greg:

Recidivatio in peccatum grande malum animæ.

Did: Stell.

vel

vel terminum hoc genus mali haberet, nisi Divina misericordia, nostris peccatis imponat finem.

Probatur Historicè.

Inexplebilem, atq; ardentissimam hanc peccatorum sitim ad malum, non inconcinnè videtur mihi expressisse, ille lupus, de quo in ingeniosis Zenonis Adagijs lego: videlicet, quòd illi, qui dum expetitâ re frui, aut eam assequi non possent; tantò intensioribus potiendæ illius rei agitarentur desiderijs, vulgò tales apud Zenonistas symbolicè notabantur hujusmodi Adagio: *Lupus circa puteum choreas agit.* Idq; dicebatur ex allusione cum dicto animali: illud enim dum siti laborat, nec ob profunditatem putei aquam lambere potest, intensè profundum putei introspicit, & ex aquæ visu quasi recreatum, exultabundè circa puteum currit, & saltat; ipsâ tamen corporis agitatione, & motu, iterum majorem acquirit sitim. 14. Lupus circa puteum saltans. Adag. Zenon.

Habacuc Propheta meminit quorundam peccatorum, veluti luporum vespertinorum c. 1. 8. inquiens de equis illorum. *Leviores pardis equi ejus, & velociores lupis vespertinis:* In litera quidem notabantur Chaldæi, Arabes, Vastatores Jerusalem; ast in allegoria res est de perversis peccatoribus; de quorum nonnullis dixerat Salvator. Matt: 7. 15. *Intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Vespertinos ergo lupos, jure appellavero, illos peccatores, qui inveterati malorum in tenebris ambulant; & præsertim adulteros, qui carnivori semper, aliàs carnalibus dediti, alieno ovili plerumq; insidiantes, velocissimè moventur ad stupra, ad adulteria, ad incestus, aliasq; fœdas libidinis species, quas in dies magìs, & magìs anheli sitiunt: clauditur quandoq; sitibundo alicui ex his lupo puteus, dum expetitis amoribus fruendi occasio tollitur, vel arcetur ab illa: in profundo verò nonnisi cernitur aqua, tum quando crebris libidinibus exhaustum, aut per senium ætate fractâ, totum corpus languescit. Cæterùm vespertinus iste lupus, etiam ad vesperam ætatis suæ saltat, & prædam quãdoq; quærit; quâ etiamsi turpis senilis amoris sui, famem sitimq; extinguat: cùm autem viribus jam deficiat, 15. Habac. Matt. Lupus vespertinus, adulter. Senum lascivià carpitur.

sitim illam saltim lascivo visu, vel delectabundo cogitatu, mitigare conatur; quo ipso adhuc majores accendit in se libidinis æstus. De quo liceat repetere superiùs citatæ Glossæ verba, utpotè appositissima ad rem præsentem. *Vires* (inquit) *fornicationis deficiunt, sed desiderium ardescit*. En habes (bone Lector) MARE plenum amaritudine, & salsedine mordacissimum; cor videlicet peccatoris in pravis desiderijs æstuans, & sitiens. O miseram sortem mortalium! ô infaustissimum pelagus! ô salsissimum MARE, vita nostra! in quo nedum Stygius Draco creatus ad illudendum nobis, latet, vel reptilia, quorum non est numerus, Scyllæ & Charybdes tentationum, sed suum quoque inest ipsi malum, s. salsedo, pronitas, pruritus quidam, id est, mens sitibunda mali; quæ tantò magis crescit, quantò sæpiùs peccatur. Sed jam à turbido hoc MARI, convertamus oculos ad fortunatissimum MARE, s. hodie immaculatè Conceptam.

Gloss.

PARS II

SS. MARIA, sine salsedine originali.

16. NOnnullorum circumfertur Adagium: *Cum descendis ad mare, aut ora, aut mirare*. Et quidem pro primo, stat illud aliud vulgatissimum: *Qui nescit orare, descendat in mare*. Pro secundo autem insinuatur aliquid apud Regium Prophetam in Psalmis: ait enim ille Psal: 92. 6. *Mirabiles elationes* MARIS, *mirabilis in altis Dominus*. Et rursus Psal: 103. Nunc vastitatem MARIS, nunc animalia in ipso viventia, nunc grandia cete, nunc navigiorum multitudinem, & varietatem admiratus, inquit: *Hoc* MARE *magnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis, illic naves pertransibunt. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei &c.* Utrumq; hoc dictum, perbellè quadrat Mystico Nostro MARI, SS. videlicet MARIÆ: partim enim devotè invocanda est, ut arescentes in spiritu, gratiarum suarum inundationibus, refoveat animas nostras; partim venerabundè contemplanda sunt mirabi-

Psal. Psal:

MARIA admirandum mare: in quo?

rabi-

rabilia, quæ fecit DEUS in hoc Mari: s. quàm mirabiles sint elationes Maris hujus; hoc est, summa dignitas Maternitatis DEI, ipsi concessa, aliæq; gratiæ; quàm vasta, quàm spatiosa, imò immensa potentia ejus, bonitas quàm incircumscripta, quæ tot in se reptilia fovet, quot pijssimo clementiæ suæ sinu peccatores circumambit. *Illìc naves pertranseunt*; quia ut ait Rich: Laur: l. 1. de laud: V. *Per eam veri Israelitæ, transeunt ad portum felicitatis æternæ.* Magna sanè & præclara hæc, quæ symbolicè enarrantur à Divino Psalte de Mari nostro s. SS. MARIA, sed præterea veluti præcipuum admiror illud, quòd s. Mare hoc extra naturam, quam communiter Maria habent, sit sine ulla salsedine, aut amaritudine: imò totum melleum, vel lacteum est: quia in justitia perfectissima, & sine labe originali creatum. quod ipsum. Richard.

Probatur

Scripturalitèr.

Ad comprobandum, quæ de hoc Mari asserui; duo ex S. Scriptura assumo loca: ex quorum litera, per devotam accommodationem colligi posse adverto, SS. DEIparam in sui Conceptione, fuisse veluti Mare lacteum, alienum ab omni salsedine peccati: Primus ille sit, quem ad initium in themate Discursûs citavi, ex Libris Deutor: *Inundationes maris, quasi lac sugent:* quod dictum fuisse de SS. DEIpara, arbitratur Richardus: ut supra dixi. Alter locus sit ex Psal: 94. *Quoniam ipsius est* Mare, *& ipse fecit illud.* Cui quid simile lego Psal: 73. *Tu confirmasti in virtute tua* Mare; *contribulasti capita Draconis, dedisti eum escam, populis Æthyopum.* Hoc enim pariter de Mari s. de MARIA interpretatur Bernard: Busto Ser: 2. de Nomine B.V., qui suo loco per extensum citabitur. Primus ergo locus, quasi assertoriè arcet à Mari hoc, s. à MARIA, omnis peccati salsedinem, vel amaritudinem; idq; eo ipso, dum illam quodammodo lacteum Mare appellat. *Inundationes* (inquit) *maris quasi lac sugent.* Alter verò locus, cum tertio sibi simili, causam hujusce rei suggerit. Uti observat citat: Bern: Busto. 17.

Deut: MARIA in Conceptione, lacteum mare. Psal:

18. Ad primum jam redeo locum: *Inundationes maris, quasi lac sugent.* Igitur SS. DEIpara, lac, mel, dulcedo dicitur, tàm causalitèr, quàm etiã quasi intrinsecè. *Causaliter* lac dicitur, ob suavitatem devotionis, meditantium de ipsâ. Nam S. Ernest: Prag: c. 69. alludendo ad citatum locum, inquit: *MARIA est mare; cujus inundationes, id est amaritudines in passione Filii, omnis qui verè eam diligit, tanquam lac sugere, dulce ducit.* Mel etiam illud, quod 2. Reg: 14. 25. gustaverat Jonathas, dicitur (secundùm Rich: Laur: l. 4.) *MARIA; quia eo gustato, illuminantur oculi Jonathæ s. justi.* Dulcedo tandem rectè nominatur MARIA; quia juxta S. Anselm: sup: Salve Regina: *Amaritudinem peccatorum, veniam impetrando expellens, nobis dulcorem gratiæ acquirit.*

MARIA mel, lac, dulcedo, cultoribus.

Ernest.

Rich.

Ansel:

19. Cæterùm adhuc, ab intrinseco quasi, seu in seipsâ, lac, mel, & dulcedo dicitur SS. MARIA, propterea; quia Anima ejus Sanctissima, nullo unquam durationis suæ puncto, fuit in amaritudinibus peccati, sed tota semper lactea, ob puritatem originalem, tota in plenitudinibus dulcedinis, & suavitatis excellentissimæ gratiæ. Iste sensus est genuinus S. Joan: Damasc: Orat: 1. de Nativ: V. ubi generationem B. Virginis, quam accepit à pientissimis & dignissimis suis Parentibus, Joachim & Anna, describens S. Doctor, comparavit illam dulcedini desuper, id est de Cælo, stillanti: dum ita fatur: *MARIA est dulcedo, quam Joachim & Anna tanquam spirituales mõtes stillaverunt.* Benè ergò dicitur, per illa verba: *Inũdationes maris, quasi lac sugent*, innui SS. Virginem MARIAM, in sua Conceptione fuisse veluti MARE sine amaritudine, aut salsedine peccati; quia totum melleum seu lacteum.

MARIAE Cõceptio lactea, mellea.

Damasc.

20. Hujus asserti, quomodò, & quas adducat rationes, secundus ille & tertius Scripturæ locus; profundiùs scrutanda est littera, & literæ allegoricus sensus investigandus. *Quoniam* (inquit D. Psaltes) *ipsius est* MARE, *& ipse fecit illud.* Item. *Tu confirmasti in virtute tua* MARE, *contribulasti capita draconis; dedisti eum escam populis Æthyopum.* In primo textu, immunitas hujus MARIS, s. MARIÆ, ab omni salsedine, vel amaritudine peccati in sui Conceptione, petitur

Psal:

titur & probatur ex perfectissimo dominio, & absoluta potentia ipsius Conditoris; quibus solus ipse, omni alio extraneo excluso, usus est in fundatione hujus Mystici MARIS; solus enim operatus esse dicitur in creatione Sanctissimæ Animæ illius. *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud.* Cæteri profectò dùm creamur, à DEO quidem creamur, sed partem operis dominijq; (moraliter intellige) habet quoq; in nobis extraneus, s. Adam: nam vitiati illius peccato, creamur, & nascimur filij iræ. MARE MARIAM ita DEUS creavit, quòd solus ipse fecerit illam, omniq; momento, perfecto & pleno dominio, solus ille possederit ipsam. Ad hunc sensum pulcherrimum infra audiemus inter sententias Doctorum, commentarium Bernard: de Busto. Et hoc ipsum est prima causa, ob quam meritò MARIA in sui Conceptione, dicta immediatè fuit MARE lacteum, immune à salsedine, vel amaritudine peccati Adæ.

MARIA Mare ipsius DEI, & ideò sine labe.

21. Cùm autem in alio Psalmo dicit Propheta. *Tu confirmasti in virtute tua* MARE; jam supra eandem summam, & absolutam potentiam DEI appellat; quæ in creatione hujus MARIS s. in Conceptione MARIÆ, in tantùm exeruit activitatem suam; ut nedum in virtute, atq; gratia fundaverit hoc MARE, s. creaverit MARIAM, quod fecit cum Protoparentibus nostris, atq; cum Angelis, condens simul in ipsis naturam cum gratia; sed præterea in illa gratia, in qua condebatur, eam confirmaverit statim; quod non fecerat cum Angelis, aut Protoparentibus. *Tu confirmasti* (inquit) *in virtute tua* MARE.

MARIA statim in creatione confirmata in gratia.

22. Nec illud viduum debet esse mysterio, quod statim subditur: *Contribulasti* (seu contrivisti) *capita draconis.* Hebræa legit. *Leviathan,* qui secundùm PP. dæmonem significat. Hinc enim colligere facilè licet, quòd dùm hoc mysticum MARE fundaretur, & in virtute sua confirmaretur, s. dum SS. Virgo MARIA in plenitudine gratiæ conciperetur, jam tum contribulatum fuerit caput Stygij Leviathan; vel clariùs dicam contritum: ut non auderet invadere calcaneum, seu Conceptionem SS. Virginis. Nec puto prætereundum & illud, quod ultimò subjungitur. *Dedisti* (inquit)

In MARIAE Conceptione contribulatus draco.

Draco dæmon, esca Æthyopum, sed non MARIÆ. eum, hoc est Draconem, escam populis Æthyopum. Populus Æthyopum, nos miseri de reliqua propagine Adæ, originali culpâ denigrati, meritò dicendi; in escam nostram datus est ille draco tum temporis, dum ad suggestionem ipsius in primo Parente, vetitum gustavimus pomum: in quo ipsum intoxicatum fel draconis istius, s. peccatum deglutivimus. MARIÆ tamen, hic draco, in tam abominandam escam dari non potuit, cui in Conceptione nil quo ad labem fuit commune cum populo Æthyopum; quoniam etiam saginata ab ipso Spiritu S. dicitur. juxta S. Damasc: de fide Orth: (Damasc.) Ex his itaq; textibus adinvicem comparatis, explicatisq; collige, quàm alienum sit à salsedine, & amaritudine peccati originalis, MARE nostrum, s. SS. MARIA.

Probatur

Figuraliter.

23. Sed jam à litera transeundo ad Figuram Scripturæ, eam in duplici MARI, vitreo s. & rubro contemplor: quæ maria non obscurè nobis explicabunt, quomodo MARE nostrum MARIA, in sua Conceptione fuerit immune à salsedine, & amaritudine originalis peccati. De MARI itaq; vitreo lego in Joannis Apocalypsi: quòd ubi jam conspexisset Propheta iste, Sedem, ac Thronum DEI positum, viderit quoq; ibi & MARE quoddam vitreum. (Apoc.) *Et in conspectu* (inquit) *Sedis, quasi mare vitreum, simile crystallo.* Apoc: 4. 6. Nihil communiùs in expositionibus Patrum, quàm SS. MARIAM appellari Sedem & Thronum DEI; idq; præcipuè ratione Maternitatis DEI. Guarr: Abb: Ser: I. de annunc: (Guarr: MARIA thronus DEI ratione Maternitatis.) *In ipsa* (inquit) *paravit sibi Sapientia thronum, cùm in ea, & ex ea corpus aptavit sibi, ita ad omnia perfectum, & congruum, ut & domus ei sit ad quiescendum, & thronus ad judicandum.* Ad hunc locum Scripturæ respexit, & Rich: Laur: l. 10 cùm ita fatur: (Richard.) *Sedes ergo MARIA, sedens DEI Filius, ex ea carnem assumens: ejus enim Sessio, est Incarnatio.*

24. Quid itaq; quæso latet mysterij, quod ante hanc Sedem occurrat vitreum, crystallinum MARE? arbitror, quòd per illud, possit significari Conceptio MARIÆ; quæ, quasi viam accessumq; ad Sedem, s. ad Maternitatem DEI, & Incarnationem CHRISTI parabat & sternebat. (Conceptio, vitreum mare, ob puritatem.) Non enim prudentèr mens huma-

humana cogitare potest, tantis mysterijs idoneas, à primo statim puncto Conceptionis MARIÆ, non præcessisse dispositiones; inter quas nulla tam præcipua censenda, quàm sine ullius peccati labe concipi. Cùm ergo MARE hoc s. Conceptio MARIÆ, vitreum & crystallinum esse dicitur, eo ipso puritas, & immunitas ipsius ab omni peccato asseritur. Vitrum enim & crystallus illa, Symbola erant, eximiæ puritatis MARIÆ. Pro quo adest cum commentario suo S. Ernest: Prag: c. 140. Marialis ubi ita ait: *MARIA est MARE vitreum, propter puritatem.* Et iterum alibi c. 86. rationem pulchram Analogiæ istius adducens, inquit: *Sicut enim vitrum, cùm sit corpus diaphanum solis luci non resistit: ita in ea nihil extitit opacitatis ex parte sensualitatis & fomitis:* (hæc autem duo, præsupponunt ut causam, originale peccatum) *quod resisteret gratiæ DEI.* Unde jure meritò de ipsa scripsit Bernard: Busto: *Ipsa crystallus, in qua relucet splendor omnis castitatis.* Ernest. Bust.

25. Ex vitreo MARI, descendamus ad MARE rubrum; non ut terribilia in hoc MARI cum Davide videamus, sed ut mirabilia pro Immaculato Ortu MARIÆ, ex ipso hauriamus testimonia. Nonnulla præcipua adnotavit S. Scriptura de illo Mari rubro. *Unum;* quòd viam Moysi præbuerit sine impedimento. Sap: 19. 7. *Alterum;* quòd Pharaonem cum exercitu suo demerserit in profundum. Exod: 15. 19. *Tertium;* quòd hoc MARE rubrum, fundum suum non vulgarem habeat; non lutosum, non salsum, ut cætera MARIA, sed floridum. Unde Sapiens loco cit: circa transitum MARIS rubri, notanter addidit illa verba: *Et campus germinans de profundo.* Cui consentit & Plin: l. 13. c. 25. Nam inquit ille: *Nascuntur & in mari frutices, arboresq; minores in nostro: rubrum enim MARE, & totius Orientis Oceanus, refertus est sylvis, folia illis lauri, flos violæ & odore, & colore &c.* (apud Corn:) Sap. Exod. Mare rubrum floridum. Plin.

26. Juxta S. Damasc: & Rich: Laur: rubrum quoq; MARE præsefert Figuram SS. MARIÆ. Rubrum dicitur MARIA MARE: nam de illa Cant: 7. inquit Sponsus: *Labia tua sicut vitta coccinea; & comæ capitis tui sicut purpura Regis.* Rubrum iterum; quia per compassionem rubricata in passione Filij sui. Per hoc MARE transivit Moyses Cælestis Filius DEI ad terram promissionis, Cant. MARIA Mare rubrum.

dum-

dum juxta promissiones Patriarchis, & Prophetis datas, incarnatus in Utero MARIÆ transivit, venitq; per ipsum in mundum. Submersus fuit in hoc MARI Pharao cum exercitu suo & Ægyptijs, s. diabolus cum vitijs suis; dum per Incarnationem Filij DEI in Utero MARIÆ, tantæ humilitatis actu, contrita fuit & depressa superbia ipsius.

27. Cùm verò dicitur, fuisse Moysi in hoc MARI viam sine impedimento, venustè id probat SS. MARIAM in sua Conceptione immunem extitisse à peccato: Quòd enim quæso majus impedimentum, vel saltim inconveniens excogitari poterat incarnando Filio DEI; quàm Mater vitiata originali peccato. Nam ait S. Ildephonsus l. de partu V. *Si materna viscera, sordibus ex vitio primæ conditionis coinquinasset, Christus non esset DEI Filius naturalis.* Et rursùs l. de purif: V. M. *Si caro ejus de Massa primæ prævaricationis venit; quomodo Christus, VERBUM Caro sine peccato fuit; qui de carne peccati, carnem assumpsit?* Quando autem fundus Maris hujus, s. fundamentum, aliàs primum punctum totius vitæ SS. Virginis MARIÆ, campus germinans, & floridus dicitur, per id quasi indicatur Conceptionem MARIÆ, non tantùm ullo cœno, mordaciq; peccati fæce minimè infectam fuisse; sed etiam in profundo nimio gratiarum fundatam, totam in floribus perfectissimæ gratiæ, & potiorum privilegiorum justitiæ originalis extitisse.

In Mari MARIAE, via sine impedimento.

Ildeph:

MARIAE Conceptio florida.

Probatur Doctoraliter.

28. Vates ille Apocalypticus, Joannes Apoc: 15. 2. asserit se vidisse quosdam (alios Sanctos) *stantes super mare vitreum, habentes citharas DEI.* Huic quid simile videre me arbitror, cùm SS. Patres, super hoc MARE vitreum, seu crystallinum, s. Immaculatam Conceptionem speculantes observo; quos suaviter citharis, hoc est sententijs suis pro Imm: Ortu MARIÆ modulari audio: dum ipsam, alij MARE dulcissimum, alij non amarum, non salsum; alij merissimum lac, & mel fuisse, asserunt alij alia hujus MARIS privilegia deprædicant.

S. Joan: Damasc: in can: SS. DEIp: ait: *MARIA, est MARE dulcissimum, atq; impervium, quod Pharaonem s. diabolum demersit.* Idem omninò habet in Mæneis Græcor: 17. Jan: Ægi-

Ægidius Column: in Expos: in Salve Regina. *MARIA est MARE, sine peccati austeritate, & terroris amaritudine.*

S. Ernest: Prag: Marial: c. 31. *Aqua, secundùm Aristotelem, nec colorem, nec saporem, nec odorem, nec fætorem habet; si quid horum habuerit, mixtionem significat. MARIA autem fuit purissima aqua, sine terra, nec colorem mundi retinebat, nec saporem, nec odorem, nec fætorem; sed omninò oblita populum suum, & domum patris sui: ipsa dilecto suo, & dilectus suus, sibi.*

Bernard: de Bustis Ser: 2. de Nom: MARIÆ. *MARIA est MARE, quod semper fuit totum DEI:* juxta illud Psal: 94. *Quoniam ipsius est Mare, & ipse fecit illud.* Idem devotus in MARIAM Author, quàm dulce, quàm lacteum, ob originalem puritatem, fuerit MARE MARIA, innuit & explicat; dum Ser: 1. de assimil: B. V. M. sic loquitur de illa: *MARIA lac, non liquidum, sed coagulatum; quia à Divina gratia nunquam effluxit, sed in ea fuit solidata, & confirmata ab instanti suæ Conceptionis.* 29.

Cum ipsius sensu coincidit & alter non dispar priori, Cultor Immac: Conceptûs MARIÆ, Jacob: de Voragine: qui in Marial: Ser: 1. sic ait: *MARIA lac nunquam liquidum, quia nunquam effluxit, nec effluere potuit per peccatum.*

His liceat adnumerare novissimum licet, sed eximium Honoris MARIÆ zelotem, Ambrosium Nieszporkovium Polonum Erem: S. Pauli: qui Centuria 1. n. 89. Emblematum de MARIA, inter elogia MARIS MARIÆ, immunitati ejus à peccato originali, his suffragatur verbis. *Maximè cedit hoc in honorem Mystici MARIS MARIÆ, quòd sordium impatiens nullam fæcem admittat. Quàm apertè militat MARIÆ nomen pro Virginis innocentia: si MARE est, maculam labemq; non tolerat, puro suo gaudens latice, peccati misturam non admittit.* Et iterum infra num: 92. *Hoc est MARE crystallinum, quod primas peccati sordes non ejecit, quia non admisit.* 30.

Probatur

Miraculosè.

Maria tandem & flumina benedicere volunt Concep: Imm: MARIÆ, atq; MARIS hujus ab omni fæce, & acredine peccati immunitatem prodigijs comprobare. In Chron: PP. Refor- 31.

 mator:

Diploma Ord: Immac: Concept; in mari miraculosè conservatum.

mator: apud P. Marianum de Oscella, sub Anno 1489. legitur; quòd dum Innoc: VIII. ad instantiam Elizabeth Reginæ Hispaniarum edidisset Bullam; quâ Beatrici ejus consanguineæ & Fundatrici Ordinis Monialium sub Nomine Immac: Conceptionis, concedebatur & approbabatur novum Institutum, Bulla illa in MARIS naufragio submersa perierat; casu tamen postea, dum strophiola in arcula evolverentur, inventa est. credendum sanè, quòd in honorem Imm: Conceptionis, manibus Angelorum in MARI cõservata, illucq; deportata fuerit Bulla illa. Nõ min⁹ prodigiosum & illud aquæ testimonium, quæ ad illustrandum Imm: Conceptionis Mysterium miraculosè accensa, vices olei subijt: cùm enim emanasset Romæ Diploma Pauli V. quo severissimè Pontifex vetuit, ne ulli ampliùs vel scriptis, vel concionibus, vel disputationibus asserere liceret, DEIparam in peccato originali Conceptam fuisse: & cum hoc diplomate Cursor Regius Matritum venisset; mox ubi ex equo descendisset, ferunt lampadem nocturnis tantùm horis coram Imagine Conceptæ purissimè Virginis, accendi solitam, medio foro, clarâ luce, eo ipso momento, quo Cursor ille appulerat, cünctis obstupescentibus spontè ardere cæpisse, consumptoq; exiguo, quod à præterita nocte supererat oleo, perdurasse flammam, ipsâ, quæ supposita erat, aquâ, ignis fomentum suppeditante. Ad quod exciti miraculum populi, proximâ nocte innumeri convenêre, vigiliasq; stupore defixi produxêre. Quæ sanè prodigiosa & miraculosa lux lampadis (ut ait Weber: Art: convers: Reg: 10. n. 94.) toti Hispaniæ manifestare visa est, ipsum lucis æternæ fontem, primigeniæ Sanctitatis lucem, ipso Conceptionis instanti, in MARE hoc gratiarum, MARE dulcissimum, dilectissimam s. suam Matrem derivasse, & effudisse.

Aqua loco olei servit in lampade, in gratiâ Imm: Concept:

Probatur **Scholasticè.**

32. *THEOL:* Quantò aliquid est propinquius suo principio, in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius Principij. Sed MARE gratiarum MARIA, fuit MARE propinquissimum, & singularem habuit affinitatem, etiam ratione gratiæ, cum alio originali gratiarum MARI, s. cum CHRISTO: De

his

his enim duobus, rectè usurpari posset, illud Psalmistæ Ps: 41. 8. *Abyssus abyssum invocat.* Ergo MARE MARIA, majorem, & perfectiorem participavit & obtinuit gratiam, & puritatem ex plenitudine meritorum CHRISTI, quàm cæteri omnes. Ergo cùm alij fuerint liberati ab originali actualitèr contracto, & in Utero sanctificati, ipsa MARIA per majorem gratiam, fuit præservata à contrahendo. Nam ut ait S. Th: 3. p. q. 27. a. 5. *Rationabiliter creditur, quòd illa, quæ genuit Unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs majora gratiæ privilegia acceperit.*

Psal: MARIA CHRISTO propinquissima. — Thom.

PHILOS: Naturalis Philosophus causam salsedinis in aqua marina inquirens, docet, quòd cùm aqua, utporè simplicissimum elementum, nullam ex se mixtionem habeat; si quando salsedinem, aut quid simile acquirit; acquirit illud ex fundo, seu à terra: quæ, quia nitro & sale scatet, aquas etiam marinas reddit salsas. Porro SS. Virginem MARIAM Helinand: Cister: Ser: 1. de Nativ: Dom: vocat *Terram benedictam, sanctificatam ab Utero, à Spiritu S. impraegnatam, omni maledictione carentem.* Rupert: Abb: l. 2. in Is: c. 19. appellat *Terram non morientium, sive mortuorum morte peccati, quâ omnes in Adam mortui sunt, sed terram viventium.* Unde nam ergo in tam benedicto, sanctificato, & tam remotissimo à morte Adæ, fundo, salsedo, fæx, & acredo originalis peccati haberetur, quæ fundum hujus MARIS, s. punctum Conceptionis MARIÆ, inficere potuisset? 33.

Helid. — Rupert. MARIA terra benedicta, terra vivorum.

SYMB: Magni Augustini scitum est, maledicti Divini fulmen sub mundi exordium adversùs terram duntaxat, non verò adversùs maria & aquas vibratum fuisse: restrictè enim dixit DEUS ad Adam: *Maledicta terra in opere tuo.* Gen: 3. 17. Hinc quidam cultor MARIÆ, ad designandum MARIAM fuisse MARE originalis labis ignarum: Depicto MARI inscripsit. *Nunquam maledictum.* Succum Symboli benè expressit, supra citatus Polonus, hisce verbis, ibid: *MARIA est MARE, cui omnium benedictionum fontem, & originem DEUS concessit: non enim alia de causa, cùm terram malediceret DEUS, hoc anathemate MARE non damnavit; nisi quòd MARIÆ Imaginem in se referens, debuit potiùs benedictionibus abundare.* 34.

Aquæ DEUS non maledixit, cur? Gen. — Sup: n. 30.

35. *POES:* Omnia valdè DEUS fecit bona, nunc meliora;
Quando MARIA MARE est edita, sale carens.
Principio MARE sincerum fuit; influitante
Sorde, modo salsum, dissimile estq; sibi.
En nubecula de medio MARIS orta refulget,
Nilq; vehit salsi; nam sine labe vitii.

36. *PROG: Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.*
ANAG: MARE puritatis, ignotum maculæ Adæ.
Lactea, pura, eja mundo vitam germines.
Prima vis, tanta mea, dulcor in auge mea.
Tu Magna! amaritudine pomi cares: vale.

Probatur Historicè.

37. Pierius Hierogl: l. 31. c. 3. tradit, quòd apud Antiquos seriò vetitum fuerit, quidpiam profanum injicere MARI: & hoc ideò, ne fortè MARE, quod apud ipsos erat instrumentum purificationis, contaminaretur. Unde M. Tullius, ubi rationes de pæna paricidarum commemorat, Orat: pro P. Roscio, eâ potissimùm de causa, in sui reos culeo dicit, ne dum in flumen projecti, delati essent in mare, illud polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putabantur. Porrò S. Antonin: in Sum: P. 4. l. 7. c. 2. §. 5. vocat *MARIAM*, *MARE purificationis, mundans nos à peccatis, meritis, & precibus suis.* B. Joseph: Hymnographus in Mariali, vocat illam *Purificatorium animarum nostrarum.* S. Bonav: in laud: V. *Purgatricem criminum.* Ergo ne æternæ Sapientissimi Creatoris leges, adeò incircumspectè egisse censendæ sunt; ut MARE hoc Purificationis nostræ MARIAM, quod cæteris ad expiationem in Conceptione sua conderetur, cadavere scelesti, & tot posterorum homicidæ Adæ, per originale peccatum derivatum ab illo pollueretur? minimè equidem.

Anton. MARIA Mare purificationis. quomodo?

EPILOGUS.

38. Author est Plinius l. 9. c. 60. quod MARE, præter alios innumeros pisces, quendam nomine Stellam, gignat, & nutriat; qui in aqua ardet, & quidquid sibi appropinquat, accendit illud, & ar-

& ardere facit. Lustravimus jam immensum gratiarum MARE SS. MARIAM; MARE inquam in sui Conceptione dulcissimum imò lacteum, ab omni salsedine, seu maledicto peccati remotissimum. Utinam juxta illud Davidicum Psal: 45. 3. *Et transferentur montes in cor maris*; quo significantur juxta Bern: Bust: transferendos, convertendos animos devotorum Christianorum ad MARIAM: utinam (inquam) & nos infimi clientes ipsius, innatemus, immergamurq; huic MARI! utinam frigida corda nostra, tanquam stellæ, vel faculæ ardeant, præ pietate, & zelo cultûs Immaculatæ Conceptionis ejus!

Piscis stella in mari lucens, ardens, & urens, *Psal:*

Et quoniam Antiquorum mos, etsi in parte superstitiosus, fuerat, quem notavit S. Aug: tract: 10. in Joan: c. 2. Orationes ad MARE fundere; eo, quòd faciliùs exaudiendæ crederentur. Et præterea, MARE nostrum Immaculatè Conceptam MARIAM longè placabilius esse audio ab illis, qui ex quadam revelatione, docent efficacissimam esse Orationem, dum, quid petitur à DEO, per Immaculatam Virginis Conceptionem. Ergò tam diu jam, tempestuosi mundi & tentationum Sathanæ jactati procellis, & quibus amata est anima, ob multitudinem peccatorum, accedamus ad hoc pacificum & lacteum MARE MARIAM sine labe Conceptam, ipsam reverenter exoraturi, tantò nunc faciliùs exaudiendi. Ajo jam cum Seraphico Bonav: in Specul: V. c. 7. *Plenum ergo MARE audiamus tonare contra vitia: Tonet ergo MARE & plenitudo ejus; tonet plenum MARE, tonet plena MARIA, tonet contra luxuriam, tonet contra superbiam, tonet contra ingratitudinem.* Ad extremum, ô dulcissimum MARE amoris, quia increati Mater dulcoris, MARIA! da zelotibus Imm: Ortûs, amoris tui sentire dulcedinem; quo in extremo vitæ nostræ, dum intrabunt aquæ validissimarum tentationum super capita nostra, recreemur & reficiamur: atq; fac, ne illa sæva tempestas obruat nos: temperes tum dulcedine tuâ amaritudines mortis, & agoniæ nostræ; ô pia! ô dulcis Virgo MARIA!

Aug: Antiqui solebant orare ad mare, cur?

Bonav: Votum Authoris.

Io! vivat Immaculata Sanctissimæ DEIparæ Conceptio.



NAVIS, sine Naufragio, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

De qua natus est JESUS Matt: 1.
Facta est quasi Navis Institoris. Prov: 31.

I. EO jam devenit, nullis circumscripta terminis mundialis superbiæ arrogantia, ut non tantùm in solidiori elemento, evanidæ suæ gloriæ struat pegmata; sed in medijs quoq; sali fluctibus, & super fluxi elementi spumas, fastûs sui monumenta erigat. NN. Assurgunt enim & videntur in mari stupendæ navigiorum machinæ, deauratâ puppi, rudentibus sericis, & nobilissimis paregris excultæ, turgētibusq; velis superbæ, quasi animatæ quædam munitiones & castella; quæ dum per vastas Oceani plagas huc, illucq; circumferuntur, nedum pretiosas opes, sed nomina quoq; & gloriam hominum quærunt, aut portant. Mitto hic admirandas amplitudine, & cultu veterum, Ptolomæi, Hieronis, Archimedis, Cleopatræ, Argonaves: de quibus lego apud Athen: l. 5. & Plutarchum, in M. Aurel: Xerxis item, atq; Pōpeij celebres numero, & apparatu bellico classes; occurrit mihi recentioris sæculi, quædam Edgardi Regis Angliæ triūphalis NAVIS, notāda valde ex nobilitate Nautarum & Remigum: circa A.D. 974. (ut lego ap: Blanc: in Psal: 106) Hic enim Rex ad ostendendam regalem magnificentiam, quòd s. haberet subjectam sibi tot Regum potentiam, quadam die ad Urbem Legionum

Naves veterum famosæ.

Navis Regis Angliæ, in qua 8. Reges remigabant.

convo-

convocaverat octo Reges Valliæ, suos Vasallos, & sibi juramento fidelitatis obligatos; cum quibus unam conscendens NAVIM, eos ad remos collocavit, illisq; quasi remigibus remis incumbentibus, ipse in puppi sedens, cum insigni pompa ad Monasterium S. Joannis per Danum fluvium læto navigavit spectaculo.

Equidem, quòd non dissimili, imo lòngè nobiliori apparatu & pompâ, in Decretis æternis disponebatur futurus Regis Regum in mundum adventus, ex hodierno conijcio Evangelio. 2.
Notum etenim est, quandoq; in S. Scriptura Mysterium Incarnationis Filij DEI, notari sub Symbolo NAVIS: hinc Isid: Pelusiota l.1. ep: 417. inter tria illa difficilia Salomonis, Prov: 30. 19. per viam NAVIS investigabilem in Mari, innuì observavit, inscrutabile hocce Mysterium: de quo illud est Prophetæ: *Generationem ejus, quis enarrabit.* NAVEM etiam, per quam desideratissimus iste Gentium, & Rex Regum ad oras nostras appulsurus erat, non aliam explicant SS. Patres, quàm SS. Virginem MARIAM, Matrem JESU. Illa enim verba, Prov: 31. 14. *Facta est quasi NAVIS Institoris.* S. Bonav: Ser: 2. de B. V. & Alb: M. in Bibl: Mariæ, de ipsa appositè satis interpretantur. Et Bern: de Busto S. 3. de assimil: taliter Mysticam delineat hanc NAVEM; inquiens: *MARIA est NAVIS, facta de Cedro Virginitatis, de cypresso charitatis, de Oliva pietatis, de platano humilitatis; habens CHRISTUM pro velo, in qua arbor, CHRISTUS fuit, mercibus virtutum, & gratiarum onerata.*

Isid. *Prov:* MARIA Navis Institoris. *Prov.* *Bonav.* *Alb: M.* *Bernar. Bust.*

ARGONAVIS hæc Cælestis, si pompam, & apparatum spectes; minimè cedit, illi triumphali triremi Regis Angliæ; imò ipsam superat: in hac enim non jam octo; uti in illa, sed quatuordecim Reges numero; quos recenseri audio ab Evangelista in Genealogia CRISTI & MARIÆ; qui per generationis lineam hanc NAVEM deduxêre usq; ad CHRISTUM. *De qua natus est JESUS, qui vocatur CHRISTUS.* Hæc itaq; Magni Regis magnifica ARGONAVIS, hodie à portu in altum soluit, dum in Utero dignissimæ Matris suæ Annæ, concipitur. Sed ô quàm fortunatè! Porrò & nos cæteri filij Adæ, tanquam naves, solvimus in altum mare vitæ, dum concipimur; sed solvimus in- 3.

Mariana Navis remiges, 14. Reges.

fos-

fortunatissimè; quia in ipso portu, seu puncto conceptionis, ob originale peccatum naufragamur. & quamvis deinceps per Baptismum vel Pænitentiam reparantur carinæ nostræ, sumus tamen NAVES naufragio vitiatæ: quibus bene adaptari posset illud S. Hier: ep: ad Salvian: ait: *Nec nobis pænitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infelicium remedia. Aliud est enim integrà NAVI, & salvis mercibus portum salutis intrare, aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum reversibus ad asperrima saxa collidi.* Solius hoc ARGONAVIS MARIÆ privilegium, quòd nec in ipso portu, nec unquam alibi, naufragata fuerit. Meritò dicenda NAVIS sine naufragio: & hoc probare intendo: præmissâ doctrinâ de naufragio meritorum per peccatum: nunc salutemus breviter Neo-Conceptam.

Hieron.

Propositio.

Salve NAVIS, quæ de Cælo Sub Spiritûs solvis velo:
Tu nec semel naufragaris; O Regina potens Maris.

PARS I.

De naufragio meritorum, per peccatum.

4. PAtientissimus ille, simulq; sublimiter illuminatus Job, miseræ, & infaustæ navigationis nostræ, scilicet vitæ humanæ, sub varijs similitudinibus describendo vicissitudines, non intermisit quoq; similitudinem, à NAVI quadam cum pomis transeunte desumptam: quando de cursu vitæ suæ præteritæ, ita ait: *Dies mei . . . pertransierunt, quasi NAVES poma portantes.* Job: 9. 26. Reflectit se hic Job (ut observat Glossa apud Lyranum) ad terram & poma paradisi, & fortè etiam ad originale peccatum; quod novimus ex esu pomi vetiti esse contractum: Hæc enim verba lego, in Lyrano: *Terra hominis paradisus est, in qua innocens permansisset; sed per culpam ad undas mutabilitatis venit.* Ubi Glossa enumeratis nonnullis dotibus statûs innocentiæ, ulterius addit: *Poma hæc noluit in terra quietis homo edere, per Mare portat, & in tot tentationibus servare conatur.* Tandem subjungit: quòd NAVIS poma portans, ob levitatem facilè huc, illucq; ventis impulsa, de naufragio periclitetur. Quasi per hoc innuere & ostendere vellet, quomodò homo ob fragilitatem

Job:

Lyran.

Naves poma portantes, homines peccabiles.

quam

quam ex originali peccato contraxit, tentationum, cupiditatumq; ventis agitatus, nimis facilè, naufragium gratiæ subeat, & jacturam omnium mercium, s. virtutum, & meritorum præteritorum incurrat. Quod ipsum clariùs.

Probatur

Scripturaliter.

Nullum clariùs ad propositum puto posse ex S. Scriptura erui testimonium, quàm illa Prophetæ verba. Ezech: 18. 24. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ubi inprimis ponderanda est dictio illa *Omnes:* quidquid enim per 30. vel 40. annos, boni operatus fuit quis, planè tum totum deperditur. Quod varijs similitudinibus Commentatores S. Scripturæ declarare intendunt. Neotericorum quispiam dicit, hoc ad eum modum fieri, acsi interminabilis quidam Oceanus, nectare, & ambrosiâ plenus, per unicam duntaxat fellis infusi guttam amaricaretur. Didacus Stell: in c. 11. Luc: tali in materia præsenti utitur similitudine. *Quemadmodum* (inquit) *in discessu Regis, omnes qui sunt in curia abeunt: ita, cùm DEUS discedit ab anima, omnia bona opera, quæ peccator in statu gratiæ fuit operatus, amittit, & nullius sunt valoris.* 5.

Ezech.

Vnum peccatum perdit merita totius vitæ.

Did. Still.

Apud Isaiam c. 1. 7. dicitur. *Desolabitur, sicut in vastitate hostili, & derelinquetur filia Sion, in umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.* Hoc vaticinium dictus Propheta, de illo edidit exterminio, quod Jerosolymæ tandem supervenerat; hanc enim prædicebat redigendam ad illum statum, in quo est tugurium aliquod temporaneum, in vinea, vel in agro cucumerum erectum: hoc utiq; pro eo solùm tempore durat, quo vel uvæ in vinea, vel cucumeres in cucumerario colliguntur, & custodiuntur; postea verò in ignem conijcitur. Per Jerosolymam typicè anima in gratia DEI constituta designatur. At verò, si eadem ab inimico per peccatum invadatur, *desolabitur in vastitate hostili.* Enimverò, quando in civitate aliqua, in constanti pace vivitur, magnus ad eam quotidiè est viatorum negotiantium & incolarum concursus; rigida quoq; in ea regnare solet justitia, vigetq; ingens abundantia, tranquillitas 6.

Isai.

Peccatricis animæ desolatio, similitudine declaratur.

& Civium unio, soletq; in ea optimum florere regimen; at verò postquam ab inimicis aggressa, & invasa fuit, in lapidum redigitur cumulum, fitq; scorpionum & ferarum receptaculum, ac in tantam redigitur miseriam, ut demolitorum mæniorum vix relinquantur vestigia: Per quam quidem Metaphoram, verã illi⁹ sanctæ Civitatis desolationē delineare voluit Propheta; spiritualiter autem etiam describere intendit desolationem animæ illius, in quam inimicus infernalis per peccatum mortale ingressus fuit: dum enim hanc deprædatur, omnia donorum, virtutum, gratiarum, & meritorum bona, quæ antea possidebat, diripit & devastat. Unde Prov: 8. 36. de peccatore æterna Sapientia dicit. *Qui in me peccaverit, lædet animam suam*; Pagninus legit. *Exspoliat animam suam.*

Prov.

7. Rectè & apposité huic proposito posset accommodari & illud Davidicum Psal: 68. 1. Ubi in persona peccatoris orat Psaltes: *Salvum me fac DEUS, quoniam intraverunt aquæ, usq; ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia; veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*. Observat S. Basil: hom: in Prov: id loqui Davidem in persona hominis, qui naufragium animæ, propter admissum peccatum passus, amarè damna sua deflet & recenset: & præsertim, quòd infixus in limo voluptatis peccaminosæ, totius suæ substantiæ, quam per virtutum, operumq; bonorum exercitia comparaverat, subierit jacturam, ad extremam egestatem animæ deductus.

Psal.

Basil.

Naufragium peccatoris, & damna ej⁹.

8. Et sanè, jure meritò: Peccatum enim, juxta S. Bonav: *annihilat hominem, & deficere facit à verò esse hominis*. Item secundùm D. Aug: in Psal: 123. *Peccata, non habent substantiam, inopiam verò habent.* Unde idem S. Doctor perpendens illa verba Filij prodigi ad Patrem Luc: 15. 12. *Da mihi Pater portionem substantiæ; &c.* quâ postea dilapidatâ cum meretricibus, egens factus, porcos pavit. Hæc (dico) S. Doctor perpendens, convertit sermonem, & apostrophe facit ad peccatores, in hæc verba: *Considerent ergò omnes peccata sua, & videant, si habeant substantiam ipsa peccata*. Quod si ita est; certè nihil reperitur magis contrarium substantiæ, seu esse spirituali hominis, quàm negatio substantiæ, seu non substantia, s. peccatum: adeoq; sicut ablatâ

Bonav.

August.

Luc.

Peccatum non habet substantiam.

substantiâ, tolli necesse est omnia accidentia; pariter quando asserit Propheta in naufragio animæ, perdi substantiam; *Et non est* (inquit) *substantia*. eò ipso indicat, quidquid virtutis, quid quid bonorum operum, habet homo, totum illud, quoad rationem meriti, deperdi, quando peccat. Substantiâ ablatâ gratiæ, necesse est perire accidentia s. merita.

Probatur

Figuraliter.

9. Naufragium hoc spirituale meritorum animæ, dum peccatur, benè cerni poterit veluti in Figura, in summo illo CHRISTI discipulorum in mari navigantium, & jam jam penè naufragantium, periculo. Matt: 8. 25. Cùm enim in continenti docuisset turbas plurimas Salvator, NAVIM conscendit, & solvit à portu, tranquillo & sedato mari. Sed ut inquietum est, varium, & inconstans illud elementum, ecce subita in eo tempestas suboriri cæpit, agitari maria, totoq; elemento vagari, furere, bacchari venti, ita ut navicula, non tantùm aquam admittere, sed & operiri, tegi, & quasi obrui videretur. Hanc tẽpestatem describit S. Matthæus, hisce verbis. *Motus factus est magnus in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Hic primùm tacere, & mirari discipuli, præsertim quòd Magister suus, inter fluctuãtes æstus, securè dormiret; deinde ingravescente periculo, clamitare incipiũt. *Domine, salva nos, perimus.* Et quidem factum est, ubi imperavit ventis & mari, facta est tranquillitas magna. *Matt.*

10. Hic agitari solet quæstio: an ea tempestas, naturæ vi, solitoq; impetu ventorum, an miraculo, divinâq; virtute fuerit excitata? A natura potuisse excitari, nemo est, qui ambigat. At Origenes vult, re ipsâ per miraculum concitatum fuisse illum motum maris. *Tempestas* (inquit) *non est ex se orta, sed potestati paruit imperantis, qui producit ventos de thesauris suis.* Sed hinc petitur alia Quæstio: cur videlicet præter naturæ ordinem, & modum, turbantur maria, & è suis cavernis dimittuntur? Varia variorum de hoc sunt placita & rationes: mihi pro interim, magis cæteris placet S. Ambrosij sensus; qui existimat, ortos illos adversi maris æstus, & propè demersam fluctibus naviculam, quòd ea, cum alijs discipulis, Judam proditorem veheret. Verba de hoc S. Ambr: *Non turbatur NAVIS, quæ Petrum habet,* *Origen.* Navis 12. Apostolorum periclitatur propter Iudam. *Ambros.*

bet, turbatur illa quæ Judam habet: etsi multa illic discipulorum merità navigarent, tamen eam adhuc proditoris perfidia agitabat. Portabatur eadem NAVI Petrus, portabantur & alij Apostoli, magnæ illæ levissimæq;, quia elevatissimæ in spiritu, mentes: portabatur & ipse CHRISTUS, ipsa bonitas & sanctitas; & tamen ab unius Judæ scelerata mente, veluti immani pondere cymba subsidit & periclitabatur.

11. Hinc à simili, & quasi à Typo, propositi nostri, sic desumo argumentum: quamdiù ô homo! es amicus DEI, s. manes in gratia DEI; manes autem in ipsa, quàmdiu non peccas; navigas utiq; cum CHRISTO: *Gratia enim DEI* (juxta Apostolum Rom: 7. 15.) *per CHRISTUM JESUM*: quando autem sedulè incumbis conquirendis virtutibus, humilitatis, patientiæ, paupertatis, obedientiæ, sobrietatis, conformitatis cum voluntate DEI, castitatis; dum quoq; per bona opera, jejunia, eleemosynas, orationes, & his similia, cumulandis meritis non impigrè vacas; quasi Apostolis, quos in hac parte æmularis connavigas: unus tantummodo, si veniat Judas proditor, s. unum mortale peccatum, cui deliberatè consentias, illicò magno suo pondere, omnium virtutum, & meritorum tuorum apparatum, in profundum deprimit, & quantùm ad valorem suum plenè submergit: adeò, ut S. Vinc: Ferr: l. 2. in Reminisc: dicat: *Si quis haberet omnia merita Prophetarum, & Apostolorum, & peccaret mortaliter, statim perderet omnia, & nihil sibi remaneret.* Quod argumentum idem zelosus verbi DEI præco prosequitur declarare per similitudinem. *Sicut* (inquit) *homo in morte omnia dimittit, etiamsi esset Dominus totius mundi; sic peccatum mortale ad instar mortis, omnia aufert homini merita: non solùm enim perduntur virtutes contrariæ, sed etiam omnia alia v.g. si peccas per superbiam; non credas solùm perdere te merita quæ acquisivisti per humilitatem, sed etiam omnia alia: ratio est; quia omnia merita in gratia DEI fundantur; quâ perditâ, omnia merita perduntur; quia destructo fundamento, cadit omne ædificium.*

Rom.

Unum mortale peccatum, est Judas, proditor meritorum.

Vinc. Ferr.

12. Sed adhuc longè elegantiùs S. Basil: super cit: locum rem nostram illustrat, quando sub assumpta à nobis allegoria naufragij, infortunatissimam sortem peccatorum deplorat taliter:

Mise-

Miserandum (inquit) *sanè spectaculum: post continentiam annorum forte viginti, aut triginta, post assiduas preces, post uberes lacrymas, post jejunium, post asperam degendæ vitæ rationem, propter animæ negligentiam, & incuriam, omnibus orbari; ac similem esse eum, qui mandatorum divinorum operatione, ac quæstu affluebat, locupletissimo cuidam mercatori, qui amplissimas merces secum efferens, ac securo vento periculosa maria emensus, in ipso littore fracta NAVI, omnibus opibus repentè privatur; siquidem hic quoq; ea, quæ innumeris laboribus, & sudoribus quæsierat, unico impetu dæmonis perdit; peccato nimirùm, non secus, ac sævo quodam turbine pressus ac submersus.* Hucusq; S. Doctor. Rem hanc tristem in exemplo videamus. Basil. Naufragium meritorum deploratur.

Probatur

Historicè.

Memorandam, simulq; valdè lugubrem, audio narrationem apud Thom: Cantip: l. 2. c. 30. Memor (inquit ille) sum facti, quod meo tempore, propè Cameracensem Diœcesim evenerat. Quidam Clericus à pueritia cælebs & castus, post longum Theologiæ studium, in solemni Conventuali Ecclesia, Canoniam adeptus est. Animarum ergo zelo ductus, præbendam pro parochiali Ecclesia commutavit: in qua cùm septennium fructosè multùm & fideliter laborasset, prædicationeq; & exemplo, animas lucratus fuisset CHRISTO, quas diabolus conabatur auferre; accidit ut virgo sexagenaria, quæ cilicium ipsius Sacerdotis lavare ac mundare solebat, sola sine teste, vel socia thalamum ingrederetur. Quid plura? Res ad hoc devenit, ut ambo, Sacerdos & mulier, nunquam separarentur; & quod consequens est, in peccatum carnis prolapsi, tot annorum decursu servatæ virginitatis meritum, imò omnia pientissimæ anteactæ vitæ merita, tam miserabilitèr amiserint: & utinam non finaliter. Scribit etenim idem Author; quòd ex ea re, mulier tantùm doluit (non exprimendo, an veræ & supernaturalis pænitentiæ motivo, an verò ex naturali pænitudine remordentis conscientiæ) ut præ nimia amaritudine, mortem sibi continuo planctu acceleraverit. Sacerdos autem ille, adhuc protunc quasi desperatus in malo perseverabat. 13. Cantip. Devota quædam sexagenaria, unico lapsu, miserè perit.

Utinam unicum hoc contigisset virtutis, & meritorum nau- 14.

fragium! sed ah quàm dolendum! plura & plusquam plura, fatalis hujuscemodi naufragij reperire est in vitis Patrum lugubria exempla; etiam in austerrimæ, longoq; spatio protractæ vitæ senecionibus Eremicolis; quæ facile leges apud Petr: Skargam Polonum Soc: JESU. O mille lacrymis deploranda, virtutum ac meritorum naufragia! ô fatuas NAVES! ô stultas mentes hominum, tam grandi damno, & jacturâ totius vitæ meritorum, momentaneum illud, quod sapit ipsis in peccato, mercantium! His valdè appositè servit illud, quod referunt Annal: Kwiatkievij Soc: JESU Poloni, sub Anno 1586. n. 9. cùm quidam Anglus Hedingtomus nomine, omnibus suis diventitis bonis, pretium in sumptus expendisset pro ædificandis quatuor magnis navibus; naves illas cominùs ex Palatio conspiciens Regina Elizabeth, dixit: *Naves istæ, naves sunt stultitiæ:* fatuitatem mercatoris illius arguens, quòd tot periculis, & naufragijs, totam substantiam suam exposuisset. Longè justiùs ego, NAVES stultitiæ appellavero, illos, qui pro unius voluptatulæ momento, omnium opum & proventuum animæ, s. gratiæ & meritorum, non jam periculo, sed certissimo exponunt se naufragio, seu jacturæ.

Naves quatuor, stultitiæ dictæ.

PARS II.

SS. MARIA sine naufragio originali.

15. APpianus l. 2. bell: civ: notavit hæc de Cæsare: quòd cùm turbato Mari vellet ad exercitum navigare; nauclerus autem timendo naufragium, nonnihil tergiversaretur; animando ipsum, dixerit Cæsar: *Alacri (inquit) animo & forti esto adversùs fluctus; naufragium non metue: Cæsarem quippe & fortunam ejus vehis.* Etiam, ut video, Mystica NAVIS nostra, SS. Virgo MARIA, dum hodie in procellosum vitæ hujus mare, soluit à littore, in puncto s. Conceptionis suæ, omninò à simili, fausta navigationis suæ portendit omina, imò ipsa sumit initia: jam etenim quasi Cæsarem portat, dum ut futura Mater Cælestis Imperatoris concipitur. Unde rectè eam S. Ernest: Prag: Marial: c. 106. appellavit NAVEM Salomonis, quæ (ut legitur 3. Reg: 9. 27.)

cum classe Regis Hiram, descendens per mare, copiosissimum portabat aurum. Descendit enim hæc cum classe seu servis Hiram; qui ap: Sylv: Alleg: interpretationem habet, anathematizans; quia pariter, ut & nos concipitur, ex parentibus suis, anathemate Adæ seu originali peccato antea affectis; nihilominus longè aliter navigat; quia nos, ut jam dixi supra ex Job, transimus per Uterum Parentum, quasi NAVES fatale & vetitum portantes Evæ pomum; ideoq; in ipso adhuc portu originalem submergimur per culpam; MARIÆ verò NAVIS, utpotè NAVIS Cælestis Salomonis, id est, Filij DEI destinata Mater, & ignara pomi Evæ, aurum potiùs originalis justitiæ portat; atq; ideo à communi hominum naufragio immunis, fortunatissimè à littore solvit. Idipsum jam MARIA, in Cõceptione, Navis Salomonis, aurum gratiæ originalis.

Probatur **Scripturaliter.** 16.

Eccl: 24. 8. dicitur in Persona æternæ Sapientiæ, vel potiùs, dicit ipsa æterna Sapientia. *Gyrum Cæli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi.* Omnium acceptione, intelliguntur hæc verba, primariò de Sapientia æterna incarnata; secundariò verò de Matre Filij DEI. Et ex isto loco probari solet, MARIAM esse Dominam universi: prout ipsam appellavit S. Aug: S. de assumpt. Et S. Sabbas in Menæis Græc: 3. Januar. Et quidem, si extensivè hic titulus MARIÆ consideretur, ipsam specialiter dici Dominatricem maris ex hoc textu, evidentiùs comprobatur. Profectò Dominium maris, videtur esse Dominium excellentissimum, respectivè ad Dominium terræ; soliq; DEO, & CHRISTO ejus, principaliter conveniens. Ita etenim Rex Propheta ait: Psal: 88. 10. *Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Atq; hoc ipsum argumentum fuerat illi admiranti turbæ, recognoscendi quidpiam Divinum in CHRISTO, cùm eum imperium super fluctus maris exercentem cernerent: inquit Matt: c. 8. *Homines mirati sunt, dicentes: Quis est hic, quia venti, & mare obediunt ei.* Et hoc speciale Dominium DEI supra mare, Canutus Rex Angliæ, acuto & simul pio invento recognovisse legitur. Hic enim (ut scribit Polid: l. 7. hist:) ut cõfunderet

Eccli. *August.* *Sabb.* Maris dominium, excellentissimum. *Psal.* *Matt.*

quo-

Rex Angliæ, cur noluit vocari Dominus maris.

quorundam adulatorum blandimenta, qui eum circa mare deambulantem, vocabant magnum Regem, & Dominum, qui hominibus, qui terræ, qui mari, longè latéq; imperitaret; vestibus confestim se exuens, ac super eas conglobatas proximè aquam sedens, cùm se ex alto æstus excitasset, Unda (inquit) tibi mando, ne pedes meos tangas. Postea videns se madefactum, negavit se priore illo titulo dignum, aut ullum mortalium ipso excepto CHRISTO, posse dici Dominum maris.

17\. MARIA Domina Maris; quo sensu?

Cæterùm, quod negatum est universis mortalium, hoc speciali privilegio indulsit Matri suæ DEUS: ut scilicet terris dominaretur & undis: siquidem tantùm ejus potestas à potestate increatæ Sapientiæ, s. Filij DEI disterminatur, quantùm Filius à Matre. Benè ergo in Persona SS. V. MARIÆ, utpotè Dominatricis Maris, illud dicitur: *Gyrum Cæli circuivi sola, & in fluctibus maris ambulavi.* Quod etsi de visibili, tamen & de mystico mari s. de vita mortalium, & de fluctibus ejus s. de tentationibus, ac periculis peccatorum intelligunt SS. Patres. Dum ergo MARIA, dicit se solam gyrum cæli circumivisse, & in fluctibus maris ambulasse; quoddam speciale, & distinctum ab alijs privilegium, nulliq; puræ creaturæ concessum, sibi indultum fuisse asserit. Ambulare enim in fluctibus maris, & non mergi vel imperare eis, argumentum (ut vidimus supra in CHRISTO) Dominationis est; mysticeq; juxta S. Greg: 17. Moral: 15. designat victoriam tentationum; seu in re, immunitatem à naufragio gratiæ per peccatum.

Dominij maris argumentum, ambulare in fluctibus.

Greg:

18\. Hoc porrò SS. Virgini MARIÆ dupliciter competere potest; semel respectu nostri; idq; minùs principaliter: per ipsam enim, quilibet, qui in fluctibus, seu periculo tentationum, auxilium ab illa inclamaverit, naufragium evadit. De quo sic Rich: Laur: l. 2. de laud: V. *Ipsa est* NAVIS, *quæ suscipit amicos suos naufragantes in fluctibus hujus maris: ut dicitur Ecclesiastici: In fluctibus maris ambulavi s. cum familiaribus meis; ut illos eriperem à naufragio peccatorum, & ereptos deducerem in portum.* Deinde iste locus intelligi potest, & quidem principaliter, de ipsamet SS. Virgine MARIA, respectu illiusmet. *In fluctibus* (inquit) *ambulavi.* Quibus verbis, primam hic victoriam suam de peccato appellare videtur B.V. MARIA. Uni-

Richardi. MARIA salvat suos in fluctibus tentationum.

Universi quippe, quotquot nascimur, in primo statim passu, seu puncto vitæ nostræ, aggravati culpâ Adæ, subitò mergimur: hæc semper ambulavit, triumphalesq; suos gressus in primo puncto vitæ suæ posuit, per hoc ipsum, quia ex asse Domina, Imperatrix & Regina Maris: non aliter unquam per fluctus vitæ suæ gradiens, nisi conformiter ad vestigia Filij sui; qui quoniam ipse, sine omni peccato venturus erat in mundum, prædilectæ etiam Matri suæ, prævisis suis meritis, sat providè adstitit. Juxta illud Propheticum Isa: 43. *Cùm transieris per aquam, tecum ero;* ut ita primos suos figendo gressus seu ingressus in mundum, victrici calcaneo, tumétes sathanæ, potuisset bene calcare fluctus. 19. MARIA in Cōceptione, securè ambulat super fluctus. Isai.

Quod ipsum ingeniosè satis observavit Noster Carthagena, in illo Cælestium Spirituum, Ortui Mariano applaudentium, concentu Cant: 7. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui, Filia Principis,* dùm ita fatur: *Hæc verba possumus explicare, dicentes: Omnes ingressus filiorum Adæ in mundum, turpes esse in oculis DEI. Ex sententia Davidis. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. MARIÆ autem per Conceptionem ingressus in hunc mundum, quia pulcher & DEO gratus extitit, utpotè nullâ labe peccati maculatus, sed divinis charismatibus cumulatissimus: ajunt illi: Quàm pulchri sunt gressus tui.* En habes, quomodò SS. Virgo MARIA, quæ propriè dicitur Domina Maris, & Unica Spes naufragantium, tam pulchrè in fluctibus maris ambulans, naufragium commune originalis labis effugere bene potuit; imò debuit. 20. Cant. Carthag. MARIAE Conceptionē Angeli mirantur.

Probatur

Figuraliter.

Elucidandæ rei nostræ nullam tam accommodam in S. Scriptura invenio Figuram; quàm illam locupletissimam, simulq; fortunatissimam Institoris NAVEM; quæ immensa Oceani emensa spatia, remotissimas circumiens mundi plagas, syrtes, charybdes, periculososq; marium superans vortices, nullum unquam naufragium passa, exoticum panem, prædamq; multiplicem, feliciter ad destinatum deportavit portum. Huic porrò NAVI assimilabatur per Salomonem quædam Mulier fortis; & in ejus Typo, juxta sensum SS. Patrum, (ut dixi supra) designabatur SS. V. MARIA, Mystica NAVIS nostra. *Mulierem* (inquit) *for-* 21. MARIA in Cōceptione, Navis Institoris.

tem quis inveniet -- &c. Facta est quasi NAVIS *Institoris, de longè portans Panem suum.* Prov: 31. 14. Præsertim verò in illa NAVI, notabatur Immacul: Conceptio ejus; atq; simul, quomodo in illo creationis puncto, commune naufragium filiorum Adæ, & vortices originalis peccati evaserit MARIA, mysterium pandebatur. De quo placeat audire Did: Baëzam in Evan: l. 1. c. 4. §. 9. *Uni* (inquit) *MARIÆ, id felicitatis contigit; sola hæc quasi* NAVIS *Institoris à longè, id est, à primo Conceptionis instanti, portans Cælestem gratiæ Panem, integra, & salvis mercibus æternam felicitatem adipiscitur.*

Prov. Baëz.

22\. Porrò, quòd aliquæ NAVES naufragia evadant, feliciterq; desideratum attingant portum; hæc quatuor plerumq; in ipsis observantur, & plurimùm juvant. NAVIS Sapiens Fabricator, deinde Gubernator sedulus; carbasa, seu vela apprimè disposita; acus tandem magnetica, quæ polos demonstrando, viam NAVIS, quò oportuerit, dirigat. Hæc omnia, quàm concinnè conveniant NAVI nostræ Mysticæ, SS. MARIÆ, in ipsa statim Conceptione, videamus. Fabricatorem illius, si quæris; ipse Sapientissimus est, & Potentissimus, qui creavit illam: DEUS Trinus, & Unus. De quo sic Idiota: cont: 39. *MARIA est* NAVIS, *à Divina Trinitate facta, compaginata omnium virtutum firmitate, ac plenitudine omnium gratiarum.* Ubi statim subnectit, & ingeniosè observat, in fabricatione hujus NAVIS s. in Conceptione MARIÆ, intervenisse potentiam Patris, Sapientiam Filij, & gratiam Spiritûs S. Richardus autem Laur: l. 11. extollit etiam providentiam hujus Fabricatoris contra stillicidia peccati, ipsam præmunientis. *Ipsa* (inquit) *est* NAVIS *linita bitumine castitatis, & Spiritûs, sicut Arca Noë.*

Navis non naufragatur 4. de causis.

Idiota. Marianæ Navis Fabricator SS. Trinitas.

Richard.

23\. Satis benè commendari hanc NAVEM audimus ex parte Fabricatoris: sed non minùs commendabilem illam esse video, ex parte Gubernatoris: hic enim non alius fuit, nisi (ut idem Richardus advertit) CHRISTUS, Sapientia Patris: unde huic NAVI convenit illud Psal: 22. 1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Hoc autem intellige de CHRISTO, ratione prævisorum meritorum ejus; quorum intuitu, ita disponebatur Conceptio MARIÆ, ne vel tùm, NAVIS hæc periclitaretur. Si etenim

Psal.

cuidam seni, adhuc catechumeno (ut scribit S. Paulin: ad Macarium) hæc bona sors contigisse legitur, quòd dum in navi solus vi tempestatis abreptus, sine temone, sine cibo, sine ulla hominum ope, plures septimanas in mari jactaretur, ipse CHRISTUS vultu corusco apparens, senem allectabat sedens in puppi; viditq; Angelos excubare navigio, & cuncta nautici muneris administrare officia: atq; sic tam peritis remigibus, ipsoq; Gubernatore mundi navim regente, ad oras Christianorum delatus, naufragium evasit. Quantò magis credendum est, eundem Cælestem Gubernatorem, majori solicitudine direxisse NAVEM futuræ Matris suæ, ne in puncto Conceptionis suæ naufragaretur per peccatum.

Marianæ Navis Gubernator, Christus D.

Navem senis cujusdam, Christ⁹ cum Angelis, regere visus.

Vela tandem hujus NAVIS si considero, faustæ navigationis ejus omina capio. Per vela intelligo potentias rationales animæ s. intellectum & voluntatem; quibus anima sub vento, seu motibus Cælestis gratiæ, fertur in altum s. in DEUM. Vela in antena seu in elatiori parte navis disposita, salus sunt, & quasi anima Navis. Vela hæc quodammodò in antena nostræ NAVIS, id est, in primo instanti Conceptionis MARIÆ, sub faventissimo Spiritûs S. vento, erecta video; dum plurium dignissimorum Authorum opinionem rememoro; qui docent B. V. MARIAM in primo instanti Creationis suæ, habuisse intellectum suum donatum lumine gloriæ, adeoq; ex consequenti, voluntatem, fruitione beatificâ dotatam. 24.

Marianæ Navis vela quæ? & quomodo sub Vento Spiritûs S. in Cõceptione.

Hinc statim acum Nauticam seu Magneticam, quâ hæc NAVIS, etiam tum, ad Polum s. ad DEUM dirigebatur, cernere est; hoc est, ipsam originalem gratiam: hæc enim necessariò præsupponenda claræ visioni, & fruitioni beatificæ. Quod si ergo SS. MARIA, in revel: S. Birgittæ l. 3. c. 22. Magnes dicitur, per quem reducuntur homines ad portum Cæli; si præterea tam providè fabricata, & tam sapienter sub velis, Favonijsq; Spiritûs S. Mystica hæc NAVIS, SS. videlicet MARIA, semper gubernabatur; quomodò ergo statim in portu Conceptionis suæ naufraga, aut de peccato primo periclitata fuisse, cogitari à quopiam poterit? Audiamus deniq; quomodò huic de fluctibus & naufragio peccati, triumphanti ARGONAVI no- 25.

Marianæ Navis acus magnetica, gratia originalis

Birg.

stræ Immaculatè Conceptæ MARIÆ, lætum Pæana occinant Patres.

Probatur **Doctoralitèr.**

26. S. Damasc: Orat: 1. de dormit: *Invenit MARIA gratiæ abyssum, quâ duplicis Virginitatis NAVEM servaverat, animamq; non minùs, quàm corpus, incolumes custodierat.* Ubi S. Doctor Virginitatem Spiritûs, innocentiam absolutam, & immunitatem ab omni peccato, appellat. Sic enim S. Doctoris verba prosequitur & declarat Did: Baeza cit: *Etenim nunquam naufraga MARIA, non tabulis hæsit, sed quasi Victrix NAVIS in vitam soluit.*

S. Proclus in Orat: 6. de laud: V. de ipsa ait: *Hæc est navicula, nullo modo à dæmone concussa.* Jacobus de Vorag: in Mariali: S. 3, cùm jam dixisset MARIAM esse NAVEM à tota Trinitate fabricatam: rationem asserti reddens, ita fatur. *In ea enim Pater posuit suam potentiam, inquantùm ei potentiam receptivam DEItatis contulit: Filius suam sapientiam, inquantùm & sigillum integritatis integrum servavit; Spiritus S. gratiam, inquantùm plenitudinem gratiæ dedit ei.* Nota in plenitudine gratiæ; à potiori contineri, primam originalem gratiam; quæ est quasi initium omnis gratiæ.

27. Bernardin: de Busto S. 6. de Concept: *In ista maris abysso s. in profluvio originalis peccati, submersi sunt omnes ab Adam progeniti. De quibus spiritualiter potest intelligi illud Exod: 15. Submersi sunt in mari rubro, abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Istud tamen profluvium demergere non potuit gloriosam Virginem MARIAM. Unde de ipsius Immac: Conceptione, dicere possumus illud Exod: 15. Stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari: Ipsa quoq; gloriosa Virgo potest gloriari, dicens illud Exod: 24. Gyrum cæli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, & in fluctibus maris ambulavi.*

28. Huc spectare videntur illa omnia, quæ Sacri Scriptores, sub MARIA Arca Noe, cur? similitudine illius primæ in mundo NAVIS s. Arcæ Noë loquuntur de SS. V. MARIA. S. Bernard: Ser: de B. V. cujus initium est: *Ave MARIA:* ita habet. *MARIA est Arca Noë, quæ non sensit naufragia ullius vitij, adeoq; nec originalis.* S. Ernest: Prag: in Marial:

Marial: c. 109. *Ipsa est Arca Noë, levigata ab omni pondere culpæ, per sanctificationem.* Cæteris adhuc ad rem nostram clariùs, novissimus Dionysius Fabri Tract: 1. de Concept: B. V. sic ait: *Arca hæc DEIpara per Arcam Noë olìm præfigurata, à discrimine periculoso Cataclysmi peccatorum prorsùs libera; universos montes, Patriarchas loquor, Prophetas, & Apostolos, vitæ sanctitate longè post terga relinquens: quæ in sui Sacratissimi Conceptûs exordio portatur in sublime puritatis; nec immersa est, veluti montes, prælibata voragine originalis diluvij; sed immunitate contagionis illius, eam prævenit divinitùs gratia cælestis.*

Probatur Miraculosè.

Prodigiosa quædam in honorem, & memoriam Imm: Concept: B. V. MARIÆ cujusdam Canonici de naufragio eliberatio, non leviter comprobare videtur, SS. V. MARIAM à naufragio communi hominum immunem extitisse. Rem taliter describit S. Anselmus in quadam Epistola citata à P. Salazar in Defens: Imm: Concept: c. 35. In Pelago Gallico, quidam Canonicus, Ordine Sacerdos, solitus B. V. MARIÆ horas Canonicas decantare, à villa quadam, ubi cum Uxore alterius fornicatus fuerat, rediens ad oppidum, in quo morabatur, tendere curans, & Pelagus Sequanæ transmeare cupiens; solus navim ingressus, Dominicæ Matris, Horas navigando canere cæpit. Cumq; Invitatorium, *Ave MARIA &c.* diceret, & jam in medio fluminis esset, ecce turba magna dæmonum in profundo Pelagi, unà cum ejus navicula ipsum præcipitavit, ejusq; animam rapuit ad tormenta: die autem tertiâ ad locum, in quo dæmones eam tormentis afficiebant, venit Mater JESU, cùm magna Angelorũ societate, dicens eis: ut quid animam famuli nostri ita injustè affligitis? cui illi: nos eam debemus habere, & meritò; quia in nostris operibus capta est. Quibus Mater JESU: si illius debet esse, cujus opera faciebat, ergò nostra debet esse, quoniam matutinas nostras, dum vos eum peremistis, decantabat: unde magis rei estis, qui iniquè cõtra me egistis. His dictis dæmones huc, illucq; dispersi fugerunt; & B.V. MARIA animam reduxit ad corpus, hominemq; ab utroq; funere suscitatum, per brachium arri-

29. Ansel. In Concept: imm: memoriam, Canonicus à naufragio liberatus.

piens, aquam à dextris, & à sinistris, quasi murum stare jubens, de profundo pelagi ad portum incolumem reduxit. at ille gaudens, pedibus B. V. prostratus, ait: Clarissima Domina & Virgo speciosissima, quid Tibi retribuam pro tantis beneficijs, quæ mihi fecisti? Liberasti me de ore Leonis, & tormentis inferni gravissimis animam meam. Cui Mater JESU: Precor te, ne de cætero in adulterij peccatum cadas; ne fiat tibi novissimus error pejor priore. Precor iterùm, ut de cætero Festum Conceptionis meæ devotè celebres annuatim, sexto Idus Decembris, & ubiq; celebrandum prædices. Mox ut hæc dixit B. V. MARIA, eo cernente Cælos ascendit, & ipse eremiticam vitam ducens, quod sibi acciderat, cunctis audire volentibus, narravit, & postea quamdiu vixit, Festum Conceptionis solemnitèr, & devotè celebravit, & celebrandum prædicavit. Hactenùs S. Anselmus.

Probatur **Scholasticè.**

30. *THEOL:* Ex suppositione communis sensûs Theologorum, quòd Baptismus dicatur prima tabula post naufragium: & præterea, quòd plerumq; teneatur, B. V. MARIAM recepisse Baptismum; vel ab ipso CHRISTO, vel à S. Petro; communis adhuc fert opinio; quòd ipsa non receperit Baptismum, tanquam tabulam naufragij s. ad abolendum originale peccatum: De quo lege Drexel: de Rosa candida c. 8. Unde ævi nostri eximius Theologus Thomas Młodzianovius Polonus Soc: JESU, in fronte Prælectionum Theologicarum de Sacrament: vocat MARIAM baptisatam, non tamen ablutam: quando autem B. V. recepit Baptismum aut ipso indiguit, id tantùm fuit, aut propter imitationem humilitatis Filij sui, qui similiter baptizari voluit à Joanne, ut impleret omnem justitiam: aut propter acquirendum novum characterem Sacramentalem in anima. Ergo, si non indiguit Baptismo, tanquam tabulâ naufragij, signum est, quòd per originale peccatum nunquam naufragaverit: Ergo justè dicitur NAVIS sine naufragio.

MARIA recepit Baptismum; quo sensu eo indiguit.

Si dicas: etiam Joannes Baptista, quem tradunt Patres, apud
31. Cornel: in Matt: 3. 14. recepisse Baptismum à Salvatore, non

indi-

indiguit, ipso in hoc sensu s. tanquam tabulâ naufragij: idemq; dicendum de omnibus sanctificatis in Utero; nec tamen sequitur ipsos per peccatum originale non naufragasse: defacto enim in ipso concepti fuerunt. Ergo carentia naufragij seu originalis peccati in B. V. MARIA, non rectè concluditur ex adducto argumento. Sed respondeo; quòd Joannes, & cæteri sanctificati in Utero, etsi non indiguerint post nativitatem sui Baptismo, ut tabulâ naufragij; hoc enim jam evaserant; indiguerunt tamen adhuc in Utero Matrum, aliquo alio, quod æquivaleret Baptismo ut tali; s. gratiâ illa sanctificationis, quæ fuit ipsis concessa, tanquam tabula naufragij: & quæ aliàs extra Uterum Matrum conferenda ipsis erat, per applicationem Sacramenti. Hoc autem dici nequit de gratia primò infusa MARIÆ: illa enim ex communi opinione Authorum fuit summa & perfectissima, respectivè ad omnes puras creaturas; imò fuit plenitudo omnis gratiæ: quod colligunt ex illis verbis salutationis. *Ave, gratiâ plena:* Et favet illud S. Hieron: *Cæteris datur gratia per partes: in MARIA autem, tota se infudit plenitudo gratiæ.* Gratia autem illa, quæ datur alicui per modum tabulæ naufragij, seu post naufragium peccati, saltim ab extrinseco, seu connotativè videtur esse inferioris cujuspiam ordinis.

Ioannes sanctificatus in Vtero, quo sensu non indiguit Baptismo.

Ioanni in Vtero collata gratia, tabula fuit naufragij: non tamen collata MARIAE, cur?

32. Confirmatur à pari vel à simili: Scotus 4. D. 4. Q. 6. §. *Ad primum argumentum.* B. 3. ubi opinativè supponit B. Virginem MARIAM in Conceptione Filij sui habuisse illam plenitudinem gratiæ, ad quam DEUS disposuit ipsam pervenire: ibidem tenet præfatam plenitudinem gratiæ, fuisse sufficientem rationem, nedum non obligandi Batptismo, sed etiam excipiendi absolutè B. V. MARIAM, à communi lege de suscipiendo Baptismo: Atqui eandem plenitudinem gratiæ habuisse MARIAM in sui Conceptione, quam habuit in Conceptione activa Filij sui, multi tenent & probant; præsertim Ferd: Salazar c. 39. 10. qui præterea asserit, istam abundantiam gratiæ, cum immunitate peccati, potiùs attribuendam MARIÆ, ante Incarnationem, quàm postea; & hoc propter decentiam partûs, ad quam disponebatur: ubi allegat authoritatem S. Athanasij; qui enumerando gratias concessas B. V. MARIÆ, tempus

MARIA ob plenitudinē gratiæ, absolutè potuit excipi ab obligatione Baptismi.

Salaz.

MARIAE tribuēda plenitudo gratiæ potius ante Incarnationem Filij

Athan: pus omne, quo ipsi inerant, complectitur. *Neq; enim* (inquit S. Doctor) *id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora, hoc illi datum fuisse.* Ergo ex eadem ratione plenitudinis gratiæ, non tantùm non indiguit B.V. MARIA Baptismo, ut tabulâ naufragij, sed neq; indiguit ullo suppletivo Baptismi seu gratiâ aliquâ, tanquam reparativâ post naufragium: Consequens est; quòd ignoraverit peccati naufragium. Sic etenim plenitudinem hanc gratiæ in MARIA explicat S. Bonav: Ser: 2. de B.V. *Domina nostra* (inquit) *fuit plena gratiâ præveniente in sui sanctificatione, gratiâ scilicet præservativâ contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ; nisi speciali gratiâ præventa, præservata fuisset.*

MARIAE Imm: Conceptionem docet S. Bonavent.

33. *PHILOS:* In Quæstione illa, in qua controvertitur, cur NAVES ex ligno compactæ non merguntur? resolvit difficultatem Philosophus, totam causam revolvendo, non in levitatem ligni; nam ipsi quoq; suum pondus est; imo ingentes NAVES plùs ponderant, quàm aliqua particula plumbi; hæc tamen statim mergitur, illæ verò minimè: sed fit totum propter aërem inclusum in poris ligni; hujus enim elementi, quia cōnaturalis locus est, super superficiem aquæ ideò semper enatat: undè ligna quò magis porosa sunt, uti Abietes, adeoq; plùs de aëre intra poros continentia, eò magis fabricandis navigijs sunt idonea: cùm plerumq; talia non facilè periclitentur. Quod etiam notavit S. Ambros: l. 2. de Spir: S. Nostra porrò mystica NAVIS hodie Concepta MARIA, NAVIS abjegna, summèq; aëris Cælestis f. Spiritûs S. gratiæ receptiva est. Illam quippe S. Ernest: Prag: c. 55. & Rich: Laur: l. 12. partim propter proceritatem, partim propter pulcherrimas virtutum comas, Abietem appellãt. Benè itaq; tam leviter navigans, & plena auræ Spiritûs S. in Conceptionis suæ puncto, extra omne peccati periculum, navigare potuit.

Naves etiam ponderosissimæ cur non merguntur?

Naves abjectinæ non facilè periclitantur, cur?

Ernest. *Richard.* MARIA Abies.

34. *SYMB:* Hoc cûm symbolicè elucidare cogito, novamq; simul insinuare causam asserti nostri, occurrit celebris illa NAVIS Jasonis aureum de Colchis deportans vellus; quæ mille superans maris pericula, feliciter navigavit, & pertigit ad portum. Hanc ergò pro Symbolo Imm: Concept: B.V. MARIÆ depingo; addito

MARIA Navis vellus aureum portans.

dito

dito Lemmate. *A vellere, salva.* Alludendo ad excellentissimum privilegium Maternitatis DEI in MARIA: propter quod à S. Methodio, Ambros: Ephrem, vellus Gedeonis, cælesti rore respersum ipsa appellatur. Hoc ergo à vellere, s. ob privilegium futuræ Maternitatis DEI, NAVIS hæc, Filij DEI Mater, conservata & salva esse debuit, à communi originalis peccati naufragio. *Meth. Ambr: Ephr.*

POES: Criminis immensum pelagus, submerserat orbem, 35.
Impurisq; homines contumulavit aquis.
Omnia Pontus habet peccati; fluctibus omnes
Mortiferis pereunt; publica nulla salus.
Sola sed incolumis, vastum mare naviget Adam,
Puraq; sola DEI, per mare Mater eat.

PROG: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.* 36.
ANAG: Pura eat, incolumis naviget mare Adam,
Tu Domina maris; Tu alme pia, cave, regna:
Mater alma, vice NAVIS, porta Agnum DEI:
Mica alma parte, Tu ô NAVIS regiè munda.

Probatur

Historicè.

Duo apud Historicos lego rei meæ non incomptè accommoda: Unum ex profanis, quod scribit Pier: Hierog: l. 45. c. 4. faisse apud Athenienses celeberrimam quandam NAVIM, quæ dicebatur *NAVIS Salutis;* & hæc singulis annis, in cultum Apollinis mittebatur in Delon: hanc NAVIM coronabat in puppi Sacerdos; cautumq; fuit lege, antequam emenso pelago rediret in patriam, ne quisquam reus, pœnâ capitis mulctaretur. Hoc ex profanis; Ex Catholicorum autem Historijs, illud prehendo, quod de S. Aldegunde Regina refert Theat: vitæ hum. Hæc dum versaretur in proximo periculo naufragij, vidit circumvolitantem columbam, cujus unica de alis excussa pennula, mariq; immersa, tempestatem maris sedavit; sicq; naufragium Regina pia evasit. 37. *Navis Delphica à Sacerdote coronata, privilegiata pro reis.* *Colũba succurrit naufraganti.*

Et sanè: Filius DEI incarnatus, Sacerdos dicitur Summus secundùm ordinem Melchisedech. Columba etiam usitatissimum est Spiritûs S. symbolum. NAVEM ergo nostram SS. MARIAM in portu s. in puncto Conceptionis suæ, à Summo hoc Sacer- 38.

Cant: MARIA, navis coronata. dote coronari audio: Cant: 4. 8. *Veni, veni, coronaberis de vertice Sanir & Hermon.* idq; coronâ meritorum prævisæ Passionis CHRISTI, specialiter MARIÆ applicatorum. Præpetibus quoq; pennis Cælestem Columbam Spiritum S. advolantem huic NAVI cum præservantis gratiæ plenitudine, circumspicio: Eccli: juxta illud Eccl: 1. 9. *Ipse creavit eam in Spiritu S.* Ergo ne sic coronata, quasi rea esset capitis, mulctâ originali plectenda? ergone sub tàm providis Columbæ alis, tam benè præcustodita NAVIS, in portu Conceptionis suæ, naufragium non evasisse, asserenda? minimè.

EPILOGUS.

39. Quare jam triumphantem de communi filiorum Adæ naufragio MARIAM, non ut olim Act: 20. Majores Ecclesiæ, in collum Pauli solventis à Mileto, sed in terram proni, procumbentes, deducamus usq; ad NAVEM, devotè recolentes privilegium Imm: Conceptionis ejus, imò potiùs, ipsam in portu seu puncto Conceptionis illius, veluti NAVEM salutis, festivè salutemus. Et quia Væ nobis, qui (juxta Isai: 18. 2.) in mare Naves papyraceæ. hoc procellosum vitæ nostræ mittimur, atq; in vasis papyri super aquas navigamus; & quidem in confractis toties per peccatum ratibus nostris. Proinde ad hanc NAVEM, quæ dicitur NAVIS salutis; & quæ juxta Rich: Richard. Laur: l. 2. NAVIS *est, quæ suscipit amicos suos naufragantes, in fluctibus hujus maris*: ad hanc (inquam) salutis nostræ NAVEM, è fluctibus, & naufragio erigamus capita nostra, lamentabilesq; extollamus voces.

40. Mergimur ô Domina, salva nos perimus: innue, vel potiùs annue, ut non jam socijs sed clientibus tuis naufragantibus, veniat navicula tua. Et si Socrati (ut refert Pier: cit.) propter NAVEM salutis in Delon euntem, Votum Authoris. prorogata fuit pæna capitis. Tu justissimè dicta NAVIS salutis, age cum Filio tuo, ut dignas quas meruimus pænas, si non plenè remittat, saltim spatium pænitentiæ indulgens, utpotè præstabilis super malitia hominum, eas differat: quatenus interea utcunq; reparatis per pænitentiam carinis nostris, tandem in ultimo portu vitæ nostræ, de naufragio salutis non periclitemur. Vtar ad Te verbis Seraphici Doctoris:

Ave Virgo Spes humana. Prome ventos, fluctus plana:
Vt evecti mundi undis Emergamus de profundis.

Io! vivat Immaculata SS. DEIparæ Conceptio.

QVIS



O V I S, sine Errore, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

Jacob genuit Joseph, Virum MARIÆ. Matt: 1.
Qui deducis velut Ovem, Joseph. Psal: 79.

TRiumphalem video, venturo in carne Filio DEI, à sacro Evangelista, quodammodo præparari currum, magnificumq; theatrum, gloriæ tanti Regis exstrui, dum in Genealogia CHRISTI, tot coronatos Regum vertices, & veneranda Patriarcharum capita, recenseri ab illo audio. NN. Quorum à numero minimè excludendum censeo, celeberrimum illum Proregem Ægypti, Patriarcham Josephum; partim, quia unus ex fratribus, quos narratur genuisse Jacob. *Iacob autem genuit Iudam, & fratres ejus*; partim, quia in Joseph Sponso MARIÆ, cujus ille (juxta S. Bernard:) typus fuerat; pro majori pompa Genealogiæ CHRISTI, simulq; (ut observat Escobar: l. 4. de Concept: M. T. 3. n. 209.) pro propugnanda immunitate à peccato MARIÆ, nominatur in Evangelio. 1. — *Iosephus Patriarcha, suo modo spectat ad hodiernum Evangelium. cur?*

Hunc Sanctissimum Patriarcham, quoad Pompam cæteris celebriorem fuisse considero; neq; enim ullum alium, præter ipsum, bis splendidè & quasi triumphaliter deductum fuisse lego; semel in S. Scriptura. Gen: 41. 43. *Fecitq; (Pharao) eum ascende-* 2. — *Gen.*

re super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. Altera vice, dum mortuus, post demersum in mari rubro Pharaonem, post debellatos Reges terræ Chanaan, in terram promissionis, extraordinario apparatu deductus, ingrederetur. Narrat enim Historia Scholastica; quo etiam utitur S. Ernestus Prag: ad laudes MARIÆ, (ut mox audiemus) quòd Moyses memor testamentariæ Josephi adjurationis. Gen: 50. 25. *Asportate ossa mea vobiscum, de loco isto:* dum jam educeret ex Ægypto filios Israel, tumulumq; seu loculum cum ossibus S. Patriarchæ, ubi reconditus esset ignoraret; apparuit per miraculum quædam ovicula, quæ voce humanâ locuta, locum ostendit: quæ etiam comitata est, & duxit populum, eum cum loculo antecedendo, per mare rubrum, per desertum, usq; ad terram promissionis. Sit Historiæ sua fides: quis scit? an non hoc voluerit Psalmista insinuare illis verbis. Psal: 79. 2. *Qui deducis velut ovem, Joseph.* Cui non modicùm favere videtur illud Eccli: 49. 18. *Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.*

[Margin: Josephus Patriarcha bis triumphaliter curru vectus. — Gen. — Ovis locuta voce humana, ossa Iosephi prodit. — Psal: — Eccli:]

3\. Porrò Joseph iste juxta S. Chrysostomum ap: Sylv: Alleg: ex plurimis circumstantijs apprimè figurabat CHRISTUM. Mitto nunc cætera: in curru tantummodo Ove deducto, Mysterium quærere volo. Scio, quòd terreni Imperatores, splendidis & triumphalibus rhedis, jugales junxerint Leones, ut M. Antonius: alij Elephantes, ut Pompeius; alij Cervos, ut Aurelianus: alij Tygrides, ut Heliogabalus: alij tandem Reges devictos, ut Susacus Ægypti Princeps: de quo Joseph: l. 8. antiq: In Ovibus tamen neminem triumphasse reperio; eò fortè, quia mitissimum hoc animal, fastui & superbiæ triumphantium, minùs congruum judicabatur. Cæterùm mysticus noster Joseph, CHRISTUS JESUS, utpotè mansuetissimus Rex, imò tanquam Ovis aliquando ad occisionem ducendus, triumphalem Generationis suæ currum, in mitissima Ove deducere, sibi complacuit: Imô totam hanc Pompam ab illa præiri video, dum illa lego Evangelij verba. *Joseph Virum MARIÆ.* Ipsa enim juxta S. Ernest: in Marial. c. 8. *Est Ovis, id est, Rachel speciosa & ama-*

[Margin: CHRISTUS in Iosepho figuratus. — Currus triumphales tracti leonibus, cervis, &c. — Ernest.]

amabilis super omnes mulieres DEO Patri. Vel, ipsa est Ovis, quæ dicitur locuta fuisse in translatione ossium Joseph. Hæc unica est Ovis electa, juxta illud Esdræ 4. 5 ℣. 26. *Ex omnibus plasmatis pecoribus, providisti tibi Ovem unam.* Hæc ergo Ovis MARIA, meritò principali loco, quia immediatè ante CHRISTUM nominata, dux hujus triumphalis pompæ eligitur, quia non errabunda, non devia unquam. Nos quidem *Omnes quasi Oves erravimus:* ut fatetur Isaias 53. 6. quia nedum semel peccavimus in Adam, sed toties repetimus errores nostros, quoties actualiter peccamus, ut de seipso dolenter dixerat David. *Erravi, sicut Ovis quæ periit.* Solius SS. MARIÆ privilegium est, omnem talem ignorasse errorem. In hoc itaq; triumphali Genealogiæ CHRISTI tripudio, salutabo MARIAM, Ovem sine errore s. sine peccato originali, ipsam appellando & probando: Præmisso morali discursu, de quodam speciali errore peccatorum. Breviter interea Neo-Conceptam saluto:

MARIA Ovis. Esdr. Isa. Propositio.

Ave Ovis, Mater Agni, JESU CHRISTI, Regis Magni,
Ab hoc nunquam aberrasti, Quem ab Ubere lactasti.

PARS I.

De errore ab Utero: seu de speciali gravitate peccatorum post Baptismum commissorum. 4.

FRequenti in usu habet S. Scriptura, peccatores appellare errones quosdam, aut errabundas oves: quod patet, partim ex duplici loco immediatè citato; partim ex illo Prov: 13. 13. *Animæ dolosæ errant in peccatis.* Et 14. 22. *Errant, qui operantur iniquitatem.* Eccli: 11. 16. *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt.* Omnes ergo errones sumus: sed errores nostros quis intelligit? prout S. Hier: legit illa Psaltis verba. *Delicta quis intelligit?* Nihilominùs eadem S. Scriptura insinuat quosdam peccatorum errores. Errat primò peccator à recta ratione: juxta illud Psal: 13. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est DEUS.* Sci-

Prov. Eccl. Peccatores omnes, sunt errones, errant à ratione, à via, à Scopo, ab Utero.

scitatur hic & respondet S. Ambros: inquiens: *Quis est iste insipiens? nisi qui peccatum facit, & eligit malum pro bonis.* Errat secundò peccator à via Veritatis. *Erravimus* (inquiunt scelerati Sap: 5. 6.) *à via Veritatis:* quia æternæ Veritatis lege contemptâ, vana, & falsa mundi sequuntur lenocinia. Errant tertiò à Scopo; quia ultimum finem suum (qui solus est DEUS) affigunt Creaturæ, in qua delectantur. Errat quartò peccator ab utero: ut ait David de ipsis, Psal: 57. 4. *Erraverunt ab Vtero, locuti sunt falsa.* Et hic error cæteris respectivè gravior est: Talem autem errorem incurrit homo toties, quoties post Baptismum deliberatè consentit in mortale peccatum. Hæc enim præcipua est circumstantia, quæ aggravat fidelium peccata: & causa existit, quòd DEUS acriùs puniat peccata fidelium, quàm infidelium. Hinc ad id probandum, reassumo Davidica illa verba, & textum Psalmi citati.

Sap. / Psal.

Probatur

Scripturaliter.

5. Alienati sunt (inquit Divinus Psaltes futurorum præsagus de quibusdam) peccatores à vulva; erraverunt ab Utero, locuti sunt falsa. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis.* Et paulo infra. *DEVS conteret dentes in ore ipsorum. - - Ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens: - - Sicut cera, quæ fluit auferentur: - - Supercecidit ignis, & non viderunt Solem: - - In ira absorbet eos.* Hic sciscitari liceat, qui nam illi sint peccatores, quos erraſſe à vulva & Utero, & nunc errare advertit Solymeus vates? Tropologicè quidem (juxta Thom: Blanc: hic) per hosce peccatores, intelliguntur omnes homines, qui in Utero Matrum suarum concipiuntur in originali peccato. Symbolicè tamen percommodè intelligi possunt, omnes illi, qui modò post Baptismum peccant. Nam S. Greg: Niss: tract: 2. in Ps: c. 15. per vulvam, intelligit Matricem benignitatis ac bonitatis DEI. Hæc autem Matrix convenientissimè appellari poterit Sacramentum Baptismi; qui dicitur, & est janua Sacramentorum, consequenter bonitatis & benignitatis DEI: est enim initium & fundamentum gratiarum; quarum deinceps homo particeps fit, vel fieri potest. Ex eadem ratione idem Baptismus, dicendus est Uterus;

Peccatum originale, error à vulva.

Greg. Niss:

Vulva, Uterus, Ecclesiæ, est Baptismus.

rus; hinc enim nascitur, aut potiùs renascitur homo; vitæq; spiritualis initia sumit, in aqua & Spiritu: juxta dogmata à CHRISTO Nicodemo tradita.

Egredimur profectò de Utero Matrum, sed ut D. Jobtes fatetur; nudi, quia spoliati gratiâ, seu innocentiâ originali, aut potiùs saccum originalis peccati induti. De Vulva & Utero Matris Ecclesiæ s. ex Baptismo, egredimur iterum, sed longè aliter: quia plùsquam duplicibus vestiti, dùm præter pretiosam gratiæ sanctificantis togam, triplicem vestem seu habitum trium virtutum Theologicarum, quasi polymitam, quia simul cum indelebili charactere animæ impresso, exportamus. Ad quod satis concinnè servit illud S. Optati l. 5. cont: Parmen: *Quis fidelium nesciat singulare Baptisma, virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, innocentiæ partum.* 6.

De Vulva Ecclesiæ, quam benè vestiti egredimur.

Optat.

Illi itaq; ab hoc Utero s. à Baptismo errare censendi, qui Baptismi gratiam adepti, vivunt sceleratè: *Loquuntur enim primò falsa;* quia mentiuntur DEO, dum initum cum CHRISTO pactum, transgrediendo mandata DEI, violant, & rursùs adhærent sathanæ, cui & ipsius actibus tam solemnitèr in Baptismo renunciarant. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis.* Ecce gravitas peccatorum, quæ illi committunt, exprimitur. Offendere communiter dicuntur homines DEUM, dum peccant: si tamen ut baptizati delinquunt, deteriùs quidpiam perpetrant; quia furiunt: furore quippe, seu nimiâ libidine peccandi concitati, in ipsum Filium DEI, cujus Sanguine; (nam ex meritis Passionis ejus,) abluti fuerunt in Baptismo, sæviunt, dum iterum ipsum crucifigūt, juxta illud Pauli Hæbr: 6. *Rursùs crucifigētes sibimetipsis Filium DEI.* Nam S. Thom: ista verba Pauli exponens, ita fatur: *Refertur ad lapsum eorum, qui peccant* (intellige post fidem, & Baptismum) *qui scilicet quantùm in ipsis est, rursùs crucifigunt CHRISTUM; quia CHRISTUS pro peccatis nostris mortuus est semel. 1. Pet: 3. Cùm ergo peccas, quantùm in te est, das occasionem, ut iterum CHRISTUS crucifigatur; & sic contumelia fit CHRISTO, in cujus Sanguine teipsum maculas.* Et S. Anselmus in Matt: 13. illa explicando verba: *Tunc assumit septem alios spiritus, nequiores se.* sic ait: *Nequiores dicuntur, quia graviora sunt peccata post Baptismum, quàm antea.* 7.

Peccare post Baptismum, est errare à Vulva.

Hibr.

Thom.

Peccata post Baptismum cōmissa sunt graviora, quam antea.

Anselm.

Tan-

8. Tandem gravitatem pænarum, quæ imminent errantibus ab Utero, seu peccantibus post Baptismum, quasi in præsenti cernens, ait David: *Ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens: sicut cera quæ fluit, auferentur, supercecidit ignis.* Ubi in aqua decurrente, notari videtur celeritas brevi imminentis pænæ; in igne verò & cera defluente, atrocitas ejus. Cùm tandem dicit: *In ira absorbet eos.* Siquidem juxta Gloss: Ordin: ap: Sylv: Alleg: *Absorbere* significat excessum quendam pænæ; designatur per hoc, non vulgaris, sed extraordinaria quædam pæna inferni; quæ manet, seu expectat illos, qui post Baptismi gratiam delinquunt; eaq; longè atrocior est, illâ pænâ, quæ debetur infidelibus non baptizatis, pro similibus peccatis. Hanc nostram interpretationem Sermonis Davidici optimè juvat, & tuetur illud S. Chrysost: hom: 1. in Act: Apost. *Illud (inquit) considera: Habuit aliquis gravia peccata, vel homicidium, aut adulterium; hæc per lavacrum remissa sunt: non enim est ullum jam peccatum, ullaq; impietas, quæ non cedat, locumq; det dono DEI: nam Divina est res, gratia. Deniq; mæchatus est aliquis, aut homicidium commisit, prius quidem adulterium condemnatum est, & homicidium illud, simul cum adulterio cessit, ac nequaquam revocatur; nesciunt enim pænitentiam dona & vocatio DEI. Cæterùm quæ post Baptismum commissa sunt, tantam damus pænam, quasi & illa revocata sint; ac multò etiam graviorem. Iam enim non simplex peccatum est, sed duplex, aut triplex.*

Rigidior pæna, peccatorum post Baptismum.

Chrys.

Probatur

Figuraliter.

9. Ejusdem argumenti probatio prodit se etiam in alijs locis S. Scripturæ. Quantum ad atrocitatem majorem pænæ peccatis post Baptismum commissis debitam, ipsiusq; accelerationem, eam cum Did: Baëza in Evan: Tom: 2. §. 3. observo & eruo ex nucleo illius asserti Joannis Baptistæ, de JESU Baptismi futuro Conditore. Matt: 3. *Ipse baptizabit vos* (inquit Joannes) *Spiritu S. & igne.* Firmiter credo & tueor, principaliter, & ex proposito, innui hìc de igne Cælesti, aliàs de Spiritûs S. gratia, adjuncta lavacro Baptismi: sed præterea aliquid de pæna ignis ex S. Paschasio colligo ex dictis verbis. hoc est: propterea

Matt.

rea Baptismi sanctificationi, ignem statim apponit, ut baptizati qui offenderint deinceps; non supplicium leve, tandem aliquando sibi imminere, sed potiùs, quasi atrocissimam pœnam punitivi ignis, jam jam proximam experiantur. Ait enim S. Paschas: l. 2. in Matt: *Baptizabit vos Spiritu S. & igne: quasi nos in præsenti Spiritu S. abluat, & deinceps, si qua peccati macula subrepserit, per ignem conflagrationis ad purum exurat.* Ex quibus S. Doctoris, verbis cit: Baëz: l. 16. c. 16. Nedum atrocitatem pœnarum, pro peccatis post Baptismum commissis, sed citam quoq; accelerationem colligit; dum ita ait: *Est quidem Baptismi aquis vicinus punitionis ignis, ut credant baptizati, si peccaverint, in proximo sibi adesse pœnam peccati.*

Cum Baptismo, cur statim nominetur ignis.

Pasch.

Baez.

Ad quod clariùs illustrandum, citatus Author rursus aliam suggerit Figuram, ex Job c. 25. assumptam: dum in Græca versione taliter inducit Scripturæ verba. *Neq; enim quis judicet, quòd dilatio sit piratis.* Piratæ sanè dicuntur illi, qui latrocinium in aquis exercent; illisq; supplicium, longè citiùs, quàm alijs prædonibus, adventurum prædicitur. Et cur? De peccatoribus, pœnaq; illorum, hîc res est, non tamen de omnibus, sed de illis tantummodo; qui in Baptismi Christiani aquis tincti, quasi piraticam exercent; quando post Baptismum sceleribus operam navant; significaturq; per hoc, quod illi præcipuè, & præ omnibus alijs, festinatissimè supplicium atrox capient. Quod docens D. Hieron: in c. 6. Oseæ, tandem sic fatur: *Quamvis enim præsenti sæculo se jactare videantur, & conturbare aquas, & operari vana, & exercere piraticam; tamen non est mora pœnarum; quæ eos velociter comprehendent.* O homo! miser, & miserrimus es, qui Baptismi professionem conturbas, qui super aquas Baptismi latrocinaris: nam quàmprimùm ad supplicium vocaberis. Væ tibi, qui abuteris aquis Baptismi; ut sub professione sanctitatis, vivas sceleratus: nam absq; dubio, te minimùm cogitante, supplicium tuum non tardabit. Inquit cit: Baëza. 10.

Job.

Christiani mali, sunt piratæ latrocinantes in aquis Baptismi: festinanter & atrociter puniuntur.

Hieron.

Puto non extra Mysterium esse illud; quòd D. Psaltes describendo damnationem quorundam, eam per similitudinem Ovium posi- 11.

Psal. tarum in inferno declaraverit; inquiens: Psal: 48. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt.* Si in illius districtæ diei puncto, condemnandos impios, hædos appellavit Salvator. *Statuet inquit hædos à sinistris.* cur in inferno tanquam Oves, ponendos prædicit, vel tanquam præsentes, cernit Propheta? *Sicut* Oves *in inferno positi sunt.* Reflexerat se forsitan, dum hæc in spiritu agitaret Propheta, super illas Oves: quarum pestifero gregi, aliquandò se adhæsisse dolenter fatetur alibi. *Erravi sicut* Ovis, *quæ periit.* Psal: 118. videlicet, super peccatorum animas. Pulchram hic facit observationem Thom: Blanc: & asserit, quòd sicut apud Ethnicos moris fuerat in triumphis, & alijs festis, Oves, & pecora, destinata ad victimam, lauris, floribus, & similibus ornamentis redimire; pari modo aliquos peccatores, veluti oves coronatas, deducendos fore in infernum.

Matt.

Christiani mali, ut oves sepeliuntur in inferno. cur?

Victimæ coronabantur floribus.

12\. Et qui quæso illi sunt, qui non vulgariter, sed coronati merguntur in infernum? Respondet idem Commentator: illi, qui gestientes & exultantes in peccatis, ruunt in infernum. Ipsius tamen interpretationi, aliam confinem subjungendi, ingerit se occasio & fundamentum. Sever: Alex: de Baptis: Characterem Baptismi, vocat Coronam: inquiens ad Neobaptizatos: *Psallite Fratres mei, Hymnum Filio Dominatoris omnium, qui Regum coronâ vos decoravit.* Unde in primordijs Ecclesiæ, cujuslibet qui baptizabatur capiti, imponebatur corona. Coronatæ ergo oves, benè designare possunt eos, qui coronâ CHRISTI, seu charactere Baptismi insigniti sunt; hi autem dum finaliter à via justitiæ, & mandatorum DEI errant, merguntur in infernum, veluti Oves charactere illo coronatæ, ad majorem damnationis suæ pænam: siquidem juxta communiorem Theologorum doctrinam, character ille Baptismi, est indelebilis in anima, etiam post mortem; manetq; tam in beatis, quam in damnatis; illis quidem ad ornamentum, majus gloriæ; istis autem ad majorem confusionem, & incrementum pænæ.

Baptizatis corona imponebatur.

Character Baptismi manet in damnatis. cur?

13\. Unde Joseph: Mansi: de Fide d. 14. pensando illa verba Salvatoris, Luc. 12. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit,*

fecit, vapulabit multis: ita fatur: *Ex quo, dum character baptismalis animæ nostræ imprimitur, nos ad Divinum servitium exactè, & inviolabiliter præstandum obligamus, DEI quoq; veri lumen, & notitiam recipimus, ejusq; voluntati nostram attemperamus; consequens omninò est, ut si infideles & perfidi fuerimus, severissima justitiæ vindicativæ DEI supplicia nobis conciliemus.*

Probatur

Historicè.

Accommodatissimam huic rei Historiam, de vocali cujusdam Ethnici Calvaria ab Eremita inventa, vide supra Tit: FACIES. n. 15. Cui aliam ex S. Codice adjungere placuit, aliàs proprium oris testimonium, quorundam olim Erronum, jam in pæna damnationis manentium; qui de gravitate pænarum, eorum qui post agnitionem fidei peccant, testati sunt taliter in persona omnium fari. *Ergò erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non illuxit nobis; & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sap: 5. 6. Miserabiles isti Errones, fatentur se aliquando stetisse in via veritatis, vel saltim cognovisse eam, per agnitionem veræ fidei: sed quia obtenebrati concupiscentiarum caligine, lumini justitiæ non attendebant, erarunt à via veritatis, quia mentiti Veritati æternæ, deflexerunt in vias pravas & indirectas. Ideoq; damnationis suæ exordium, simul à tam terribili, & nunquam concludenda incipiunt conclusione. *Ergo erravimus.* 14.

Pænæ perversorum fidelium, & atrocitatis ejus exempla.

Sap.

O errabundas, nunquam jam ad caulam Cælestis Pastoris reducendas oves! ô errorem inemendabilem! ô conclusionem irrefragabilis, quia æternæ, consequentiæ! ô lamentabile, prægnansq; novorum dolorum, & nunquam ultimum vale. Quod per exagerationem sic explicat S. Ephrem. *Dicendum quid restabit? valete justi universi, valete Apostoli, valete Prophetæ, Martyres; valete cœtus Patriarcharum; vale Monachorum agmen. Vale Crux speciosa atq; vivifica. Vale Cælorum Regnum omni fine carens. Vale Paradise voluptatis. Vale etiam Tu Domina Genitrix, Mater amatoris, hominum DEI. Valete Patres, & Matres, filij, & filiæ. Nullum siquidem vestrum visuri sumus ultra.* Non 15.

Ephrem.

Lamenta damnatorum Catholicorũ

16. Non Ethnicorum, sed eorum quibus nota fuerant mysteria Fidei, has voces esse, evidens est. Ergo ô perversæ vitæ Christiane, erige aures, adverte quid sit, & quantæ damnationis, errare à vulva, à gratia Baptismi, & post habitam agnitionem fidei. Patheticè te alloquentem audi Petr: Marchantium in Cand: T. 2. l. 1. cum allusione ad quasdam ceremonias Baptismi. *Quoties* (inquit) *ô Christiane! peccatum mortale committis, Baptismi candelam extinguis, albam sordidas, cruore inficis, promissionem infringis, professioni tuæ contradicis, signum Chrismatis in capite violas, signum filiorum DEI commaculas, semen sacrum gratiæ, quo regeneratus es proculcas, Unctionem adeò frequenter repetitam violas; & ex victima DEI, victimam te efficis sathanæ & ignis æterni. Fuge ergo peccatum, quo solo, Sacro tuo Baptismo, & ejusdem mysteriis contrarius, ingratus, & infidus existis.*

Marchan.

P A R S. II.

SS. MARIA, sine Errore originali.

17. MAgnus ille inter quatuor Prophetas Isaias, festivam quandam à canticis & à magnifica pompa, præsago spiritu, describens diem. c. 26. 1. ait: *In illa die cantabitur canticum istud in terra Juda: Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator, ponetur in ea murus, & antemurale: Aperite Portas, & ingrediatur gens justa &c.* Ubi quasi causam tantæ festivitatis subnectere volens, ait: *Vetus error abÿt.* scilicet, detriumphatio antiqui cujusdam erroris. Principaliter hæc omninò intelligenda veniunt de diebus & adventu Messiæ; secundariò tamen, perbellè applicari possunt SSmæ Matri ipsius Messiæ; præsertim in die triumphali, & Festo Conceptionis ejus. Ipsam enim S. Ansel: in hymn: vocat *Canticum lætitiæ.* Alb: M. in Bibl: *Urbem fortitudinis, contra omne malum.* S. Andr: Cret: *Murum fidelium inexpugnabilem.* S. Joan: Damasc: *Antemurale Christianorum.* Dum ergo dicitur. *Vetus error abÿt.* Quis porrò ille? nisi veteris Adæ, in quo omnes originalitèr erravimus. Justè

Isai.

Ansel. Albin. Andr. Damasc. MARIA, Canticum, Vrbs, Murus, Antemurale.

ergo

ergò dies Conceptionis MARIÆ apud Prophetam, dies Cantici, & lætitiæ, dies triumphantis urbis dicitur, dum statim veterem, s. Adæ, errorem procul ab ea fuisse perhibetur; utpotè ab illa, quæ fuit singularis, & electa Agni Cælestis Ovis, nunquam à DEO aberrans. Pro quo primo S. Scripturam appello.

Probatur

Scripturaliter.

Novissimus quidem Prophetarum, eximius tamen in prædictionibus Esdras, dum ex captivitate Babylonica, magnis favoribus Artaxerxis Persarum Regis insignitus, redijsset in Jerusalem, plurima futura in spiritu prospiciens, ex ipsis aliqua selectiora recensuit: inter quæ singulariter meminit cujusdam oviculæ electæ: inquit enim l. 4. c. 5. ℣. 26. *Dominator Domine, ex omni Sylva terræ, & omnibus arboribus ejus, elegisti Vineam unicam - - - ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi columbam unam: & ex omnibus plasmatis pecoribus, providisti tibi* OVEM *unam.* Prænoto hìc, Librum tertium & quartum Esdræ, quamvis sint extra seriem Canonicorum librorum, quos S. Synodus Trid. recepit; tamen quia à nonnullis SS. Patribus citantur, tanquam non postremæ authoritatis Libri; ideò Sacris Biblijs impressis, adnectuntur. Redeo itaq; ad verba Prophetæ, pro argumento propositi nostri assumpta. 18.

Esdr.
Tria electa DEI: Vinea, Columba, Ovis.

Ex omnibus plasmatis pecoribus, providisti tibi OVEM *unam.* Symbolicè video, Propheta, in OVE hac una, intendebat denotare illam electam gentem Hebræam. Mysticè tamen arbitror, per OVEM illam unam percommodè posse significari SS. MARIAM. Illam etenim S. Ernest: Prag: jam supra cit: appellat *Oviculam unam in se, & à se indivisam; & ab omnibus alijs, quæ percusso pastore dispersa sunt, longè divisam.* Porro OVIS hæc Mystica SS. MARIA multiplici de causa, OVIS una, & electa ex omnibus, dici meretur. *Primò* ex fæcunditate: nam juxta Petr: Blesen: s. 1. de adv. *Ipsa est* OVIS, *quæ Agnum peperit, qui tollit peccata mundi. Secundò:* ex lanæ & velleris præstantia: Ait enim B. Aëlred: Abb: s. de annunc: *MARIA est* OVIS, *in cujus vellus descendit illa Cælestis plu-* 19.

Ernest.
MARIA, Ovis unica, cur?

Bles.

Aelred.

via; sicut dicit David: Descendet sicut pluvia in vellus. Loquitur autem de Mysterio Incarnationis in Utero Virginis celebrato. *Tertiò* ex lactis ubertate. Est enim, ut ait Bernard. Bust: S. 2. de assimil: B. V. *Ovis, nos nutriens lacte sua devotionis, pascens carne Filij sui. Quartò* deniq; ex pascuorum suorum nobilitate. *Hac namq;* (ut dicit Maurit: de Villa S. 7. coron: B. V.) *fuit Ovis, quæ pastum amoris DEI habuit in hac vita, modò verò habet pascua gloriosa.*

Bust.

20. Præcipuum tandem, & quod propiùs rem nostram tangit, in hac Ove observo, propter quod etiam dicitur una, & electa ex omnibus; quia s. inter tot errabundas Oves, sola illa est, quæ non erravit unquam; & absolutè ab omni illo errore, quo aberrant vel aberrarunt impij, immunis extitit. Non enim hæc aberravit cum impijs à Ratione: ipsa etenim summè illuminatum habuit intellectum; utpote Mater illius Luminis, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: prout de ipsa asseruit S. Epiph: Item non erravit à via veritatis: cum ipsa de se attestetur Eccl: 24. 25. *In me est omnis gratia Vitæ, & Veritatis. Demum* non erravit à scopo, s. à fine suo ultimo, qui est DEUS: nunquam enim mortaliter aut venialiter peccavit: ut est communis Orthodoxorum Theologorum opinio: cujus Privilegij Doct: Angel: 3. P. q. 27. a. 4. assignat tres rationes inquiens: *Quia si SS. MARIA peccasset mortaliter vel venialiter, redundaret hoc in ignominiam Filij: quia indecens erat, ut quæ singularem affinitatem habitura erat cum CHRISTO, aliquod commercium haberet cum dæmone: & quia æterni Patris Sapientia s. CHRISTUS, non debuit habitare in malevola anima.*

MARIA nunquam erravit, à ratione, à via, à scopo. cur?

Eccl:

Thom.

21. Hinc jam omninò sequitur, & quidem à fortiori; quòd si hæc Ovis nunquam erravit à ratione, à via veritatis, à Scopo; multominùs erravit à vulva; in qua omnes, qui Vteris Maternis concipimur, propter originale peccatum erravimus, prout ostendi supra n. 5. Error enim iste, seu originale peccatum, est error primus, summus, & fons omnium aliorum errorum s. peccatorum.

MARIA non erravit a vulva: s. in sui Cõceptione.

Dici-

Dicitur vulgò; *Unus error, alium trudit errorem.* Hic unus, sed mille, imò infinitos trusit errores. Deinde, si juxta Angelicum Doctorem immediatè adductum, errare per mortale aut veniale peccatum, dedecebat SS. MARIAM, ex prætactis ab illo rationibus: error autem à vulva, seu originale peccatum, magis maculat animam (quia læthale est,) quàm error quispiam venialis. *Magisq;* (ut ait Carthagena) *si optio daretur MARIÆ, unum ex duobus eligendi necessariò: aut veniale, aut originale incurrendi; potiùs eligeret (imò quilibet sanæ mentis) veniale, quàm originale.* Jam necessariò & ex pondere earundem rationum D. Thomæ, sequitur, Mysticam hanc OVEM SS. MARIAM, à vulva, seu in Utero Dignissimæ suæ Parentis, non errasse; sed immunem fuisse ab originali peccato: & propterea dictam OVEM *unam*, ex omnibus plasmatis pecoribus s. hominibus, à DEO, Filio suo provisam in Matrem. *Carthag.*

Probatur

Figuraliter.

22. Illustrandæ huic rei per commodam possumus intueri Figuram, in illa parabola Nathan Prophetæ, quam Regi Davidi ipse proposuerat, de quadam OVE parvula, & summè cuidam pauperi perdilecta. 2. Reg: 12. 3. Pono textum S. Scripturæ. *Pauper verò nihil habebat omninò, nisi Ovem parvulam, quam emerat, & quæ creverat apud eum, cum filiis ejus, simul de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu ejus dormiens, eratq; ei sicut filia.* S. Ernest: Prag: cit: per hunc pauperem, intelligit ipsum Filium DEI, qui dives ab æterno, in tempore, propter nos pauper, & egenus factus est. De quo Zach: 9. 9. legitur. *Ecce Rex tuus venit, tibi justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinum.* In quæ verba præfatus S. Præsul, sic fatur: *Fuit JESUS Rex noster, pauper in ingressu, pauperior in progressu, pauperrimus in eggressu.* Per illam verò OVICULAM unam, tam tenerè ab illo dilectam, intelligit dilectissimam Matrem ejus MARIAM: ibiq; sat ingeniosè, simulq; devotè prosequitur, ulterioris Scripturæ textûs explicationem & applicationem; quamvis in diverso nonnihil sensu à scopo nostro.

Reg. MARIA Ovis Christi. *Zach.* *Ernest.*

Cæterùm

23. Cæterùm hujuscemodi S. Præsulis ingenij acumen in explicando præfato loco Scripturæ provocat, panditq; viam & libertatem eundem locum interpretandi, de SS. MARIA, rursùs in alio sensu convenientiori proposito nostro; hinc ex verbis ejusdem audebo reverenter, nonnulla ad elucidandum Immac: Ortum MARIÆ, eruere argumenta. Et quidem primò, cum dicitur SS. MARIA, Ovis quam emerat dives ille, simul & pauper CHRISTUS: Noveris hinc, quòd Assertores magis piæ sententiæ, ita B. V. MARIAM tueantur, esse sine peccato originali conceptam, ut tamen redemptam esse à CHRISTO profiteantur: siquidem & ipsamet in Cantico Visitationis, satis clarè, DEVM Salvatorem suum appellavit, inquiens: *Et exultavit Spiritus meus, in DEO Salutari meo.* Luc: 1. 47. Id tamen intelligendum esse de redemptione non curativa, sed nonnisi de præservativa à peccato originali, fateberis, si benè perpenderis pretium extraordinarium redemptionis ejus; Dicit autem S. Bernardin: S. de Assump: *Plùs pro Virgine redimenda Christus venit, quàm pro omni alia creatura.* Tanto ergò & tam superabundanti propter SS. MARIAM præparato pretio, non ordinaria illa, quæ communiter nobis datur post lapsum, gratia, sed quædam perfectior s. originalis, venalis erat. Hinc specialem modum redemptionis MARIÆ à CHRISTO, admiratus S. Ildephonsus, l. de V. M. c. 12. sic eam alloquitur: *Procido ante te, solum opus Incarnationis DEI: nam quod in redemptione nostra operatus est, in tua Personæ veritate formavit seu firmavit.*

MARIA empta, seu redempta à CHRISTO, redemptione præservativâ

Luc:

Bern: Sem

MARIAE pretium redemptionis extraordinarium.

Ildeph.

24. Sequitur textus ulterior Scripturæ. *Quæ (Ovis) creverat apud eum cum filijs ejus.* S. Ernest: per filios istos, cum quibus crevit Ovis hæc MARIA, intelligit Angelos: Scimus autem communiter teneri, Angelos fuisse creatos, in gratia seu in originali justitia: juxta illud S. Aug: 12. de Civit: 9. *Simul in eis condens naturam, & largiens gratiam, creavit ipsos in bona voluntate.* ergo dum SS. MARIA crevisse simul cum Angelis dicitur, jam eo ipso creata fuisse in originali justitia asseritur. Nos cæteri mortalium, (ut ait Regius Vates) paulominùs, etiam quoad hoc, minoramur ab Angelis;

August.

MARIA in gratia simul crevit cum Angelis: imo plùs.

gelis; quia non statim cum primis vitæ spiraculis, haurimus gratiam: SS. MARIA in primo creationis puncto, nedum ad mensuram plenitudinis gratiæ, crevit par Angelis, sed longè excellentiùs: quia confirmatam & immutabilem accepit gratiam. Ideo ipsam S. Epiph: alloquitur sic: *Naturâ formosior es ipsis Cherubim & Seraphim, & omni exercitu Angelorum.* Epiph.

Simul de pane illius comedens, & de calice ejus bibens. Et quis tam commensalis CHRISTO, quâm SS. Mater ejus? sic enim ipsam à Sponso Cælesti compellari audio. Cant: 1. 14. *Ecce tu pulchra es amica mea.* Hebr: legit. *Commensalis mea.* Si Amica appellatur, amicorum verò (vulgò dicitur) omnia sunt communia; eo ipso de originali gratia, quæ propriè est Christi, jure hoc amicitiæ omninò participare debuit; ut pariter sicut & ille, sine peccato conciperetur. Si deinde semper commensalis CHRISTO MARIA, fame originali perire non potuit: hanc enim ne ad exitialis paradisi pomi delicias in Protoparentibus orexim pateretur, deliciosis Mensæ suæ pavit CHRISTUS inescavitq; edulijs; dum ex elixata per ignem Passionis suæ carne, & ex pretiosi sanguinis sui guttis, aliàs ex Crucis meritis prævisis, præservantem ipsi comparavit gratiam. 25.

Cant:

MARIA quia commẽsalis CHRISTO & amica, ideo sine labe originali.

Et in sinu ejus dormiens. Ex usu communi loquendi: sinu recipi, idem est, ac specialem gratiam aut protectionem cujuspiam Potentioris sortiri. Dormire in sinu tali, indicat securitatem: quæ duo, satis pulchrè promovent præconceptum Mysterium Immac: Conceptionis MARIÆ. Securum se reputasset Job, quod & optaverat, Job: c. 3. 14. si cum Regibus, & Principibus terræ requievisset, & obdormisset: quantæ proinde securitatis fuerit in conceptu suo MARIA collige, si sinu ipsius æterni Patris, aut Regis Cælorum, & Domini scilicet futuri Filij sui prævisis meritis, fuit protecta. O quàm securo & molli lecto, imò communi cum Filio suo, in Conceptione sua cubavit MARIA! quid ergo mirum, si sine labe concepta; Quod bene notavit Pet: Galat: in illa Cant: 1. *Lectulus noster floridus:* dum sic in Persona MARIÆ affatur CHRISTUM. 26.

Dormire in sinu alterius, notat securitatem.

Job.

Cõceptio in sinu æterni Patris, & Filij: hinc Immaculati.

Cant.

Lectulus noster floridus; quia quemadmodum ego absq; originali labe concepta sum; ita quoq; amicus meus, &c.

27. Ultimò tandem, quasi pro Coronide, de illa parabolica Ove dicitur: *Eratq; ei sicuti filia.* O quàm nobile, quàm eximium pro Immac: Ortu Oviculæ nostræ MARIÆ, insinuat se his in verbis argumentum! MARIA etenim non vulgariter, sed excellenti quodam modo Filia DEI: & hoc propter specialem quandam adoptionem: idq; non aliter, nisi per originalem gratiam. De quo taliter discurrit Salazar: c. 29. n. 6. *Alios Pater adoptatione suâ, non tam filios sibi creat, quàm recreat: non tam generat, quàm regenerat. Virginem autem DEIparam per gratiam originalem, primò, ac per se genuit, non regeneravit: atq; adeò illius adoptio, perfectissima ipsius naturæ imitaio fuit.* Et hoc ipsum longè ante S. German: Constant: s. in Præsent: B. V. advertit in MARIA, dum ipsam vocat: *Filiam DEI, in visceribus Annæ conceptam:* Per quod contradistinxit Conceptionem MARIÆ, à conceptione cæterorum hominum; qui filij iræ in uteris Matrum concipimur. Benè ergo, illa muta, quia parabolica Prophetæ ovicula, quasi locuta est pro Immaculato Ortu Ovis nostræ mysticæ MARIÆ; dum in seipsa exprimens & commendans quædam Privilegia ipsius; nova nobis, tuendi Ovem nostram MARIAM ab originali errore, subministravit fundamenta. Jam exquiramus placita Patrum.

MARIA specialiter Filia DEI adoptiva.

Salaz.

German.

Probatur Doctoraliter.

28. Frequentissimè SS. Patres, quando de SS. MARIA sub similitudine Ovis tractant; appellant illam Immaculatam; qui terminus est modus specificus, exprimendi Mysterium Imm: Conceptionis; ex communi usu & acceptatione fidelium. Specialiter tamen, S. Ephrem s. de laud: B. V. sic ait: *Hæc est Ovis Immaculata, quæ peperit Agnum CHRISTUM.* S. Ambr: hom: de Abel. *De hoc grege, Sancta & Immaculata illa Ovis processit MARIA.*

S. Epiphan: ap: Salaz: c. 42. aliquid plùs, & clariùs ad rem nostram subjungit, dum eam vocat. Ovem *immaculatam, quæ peperit*

Agnum

Agnum Christum; & juvencam, nunquam jugum expertam. Porrò (ut advertit Salazar,) memor hic fuit S. Doctor, jugi illius gravissimi, impositi super filios Adam, s. originalis peccati; super quo doluit insigniter Sapiens Eccli: 40. S. Proclus Orat: 6. de laud: V. *MARIA est Ovis nullo modo à dæmone seducta.*. Jacob: de Vorag: in Marial: S. 3. *Ovis est MARIA, quæ abhorruit herbam putridam:* hoc est, peccatum. Similiter & Maurit: à Vill: S. 7. Coron: B.V. *Ovis est quoad pastum; non enim comedit herbam putridam peccati.*

His omnibus appositissimè ad propositum nostrum de mystica & nunquam errabunda Ove nostra MARIA, doctissimus noster Carthagena scribit, & asserit, imò probat. de Arcan: DEIp: l. 1. hom: 2. n. 9. in hæc verba: *Certè Christus Dominus, licet tanquam Supremus Pastor ovium suarum, ab æterno curam gesserit, singularem tamen illam adhibuit, in custodienda ab initio suæ Conceptionis hâc mitissima* Ove, *ne inter ungues diabolicos immanissimi lupi incideret; sciens, quòd parvus error in principio, maximus fieri soleat in fine.* Ubi errorem hunc in principio, vocat errorem ab Vtero; hoc est, peccatum in Adam, in quo omnes originaliter quasi Oves erravimus. Deinde ad MARIAM convertens sermonem, sic pro illa fatur. *Ab hoc tamen errore in principio Conceptionis custodivit DEUS hanc purissimam* Ovem *ex qua nasciturus erat Agnus occisus ab origine mundi. Apoc: 5. ut sic ab originali eam labe præservans, aptam & idoneam se exhiberet; ut prædefinito tempore inventa foret habens de Spiritu S.* 29.

Probatur Miraculosè.

Contigit in Alemania (ut refert Bern: de Bustis Ser: 7. p. 2.) dum quidam Religiosus post prandium acerbiùs contra Immacul: Conceptionem Virginis prædicasset, (sive ex ignorantia, sive ex contumacia) atq; insuper ut suis dictis Auditorij fidem efficaciùs conciliaret, divinam ultionem per malam mortem, eo ipso die demonstrandam, sibi imprecatus fuisset, si in Concione sua, aut DEI, 30.

Lupus suffocat quendam impugnātem Conceptionem Immac: B. V. M.

aut Virginis indignationem incurrisset, aut veram doctrinam impugnasset: factum est, quòd dum finitâ Concione, ad dicendas vesperas cum alijs fratribus Chorum intravit, statim lupus quidam magnus adfuit, qui intrans Ecclesiam, totum Chorum tribus vicibus circumgyravit, omnes illos fratres horribilibus oculis aspiciens; sed postmodum vehementi facto impetu illum prædicatorem invasit; & in præsentia omnium suffocavit: moxq; peracto ministerio sibi divinitùs commisso, ad suas sylvestres latebras, nunquam amplius comparendo, properavit.

31. Hæc mihi legenti, occurrit in mentem illud vulgare Adagium: *O præclarum custodem* OVIUM, *(ut ajunt) lupum!* Dum in proximo festinarent, desideratissima illa tempora, quibus ima summis socianda erant, & novitas quædam in naturis immineret, ut Caro fieret DEUS, & DEUS Caro; ferocium quoq; animalium immutandas naturas, prædixerat Propheta. *Habitabit* (inquit Isaias 11. 6.) *lupus cum agno, & pardus cum hædo, vitulus & leo, & OVIS simul morabuntur.* Hæc omninò, aut similia saltim prodigia, nonne in præsenti narratione cernis, bone Lector: dum ferocissimus lupus iste, alias hostis ovium, tam præclarum OVIS nostræ immaculatissimæ & tam strenuum Custodem peregit: quasi vellet esse testis & assertor Immaculati Ortûs MARIÆ, pro ejus honore & immunitate contra adversarios dimicando, & vindicando.

Probatur Scholasticè.

32. *THEOL:* Juxta Positivam Theologiam, OVES à dextris, significant justos confirmatos perfectè in gratia; conformiter ad illa verba Salvatoris: Matt: 25. 23. *Statuet Oves* (justos, mox æternâ, & completâ beatitudine donandos) *à dextris*; *hædos verò* (s. impios condemnandos) *à sinistris.* Sed OVIS nostra Imm: SS. V. MARIA, est, imò statim in primo Conceptionis suæ puncto *fuit à dextris* DEI. Ergo in eodem puncto fuit justa, & perfectè confirmata in gratia: adeoq; non erravit originaliter cum alijs. Minor probatur ex illis propheticis de V. MARIA verbis: *Astitit Regina*

à dextris

à dextris tuis. Psal: 44. 10. Quæ verba satis acuminosè deflectit ad nostrum propositum Salazar jam cit: n. 27. conferendo illa primò ad veterem Regum morem, concludendi Virgines in Gynęceis, antequam ad Nuptias vocarentur, ut ibi per certum tempus expolirentur, & ungerentur: ait ergo ita: *Nostræ omnium anima in corporibus, ceu in quibusdam gynęceis inclusæ, ad detergendas peccatorum sordes & maculas excoli debent; ut sanctæ & immaculatæ ad connubia ipsius veniant. Quid de MARIA? Astitit Regina à dextris tuis: non dixit: venit, seu accessit, sed subitum quid renunciavit. Astitit Regina. Quasi dicat? Non habuit unquam maculas, vel sordes, nævos, aut rugas, quas in Gynęceo abluere aut detergere opus esset. Sed dictum, factum; statimq; atq; condita est, subitò ad Christi dexteram ipsi adstitit.* Psal. MARIA in Conceptione, statim à dextris DEI. Salaz.

PHIL: Naturales Philosophi asserunt, præsertim Plinius, observari in OVIBUS quandam dependentiam coloris lanæ, à vena quadam sita sub lingua: nam ut habet Joann: à Genim: similit: l. 6. c. 75. fætæ oves, quibus talis albicat vena, fætus albos; sin nigrescat, nigros pariunt. Item (quod notavit Aresstius in Festo SS. Philipp:) color lanarum ovium, est juxta colorem illius venæ sub lingua. Et hoc alterum, accommodatiùs rei nostræ elucidandæ videtur. Linguam quæso OVICULÆ nostræ Neo-Conceptæ in Vtero S. Annæ MARIÆ inspice, quisquis certificari cupis de mundissima Conceptione ipsius; venam illam in lingua ipsius observa; aliàs verbum illud, in brevi decursu temporum ab illa pronunciandum; *Fiat mihi secundùm verbum tuum:* quo prolaso fiet Mater DEI. nimirum considera, in MARIA titulum Maternitatis DEI; cum quo titulo statim hæc Virgo, nedum concepta, sed ab æterno etiam prædestinata fuit: ut multi censent Theologi; apud Sylvei: cit: in Apoc: 12. n. 224. Quorum sententiæ favent illa verba S. Chrysost: S. 144. *MARIA Mater vocatur: & quando non MARIA Mater.* Vena profectò hæc s. titulus Maternitatis, est scaturigo omnium gratiarum, quæ quandocunq; venerunt in MARIAM. Ve Rup: l. 1. in Cant: ad c. 1. ℣. 3. in persona MARIÆ loquitur. *Qui* 33. Ovium partus quomodo de lana futura dignoscendus. In MARIAE Imm: Cōcept: signum, Maternitatis DEI.

enim verbum suum, quod est in corde suo mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donavit. Vnde Sylvei: in Apoc 12. ℣. 1. n. 126. in ejusdem Persona usurpat illa verba. Sap: 4. 11. *Venerunt mihi omnia bona, pariter cum illa.* Numquid ergò atri quid ominaberis in Ortu OVICULÆ nostræ hujus, cujus tam candida, tam benedicta lingua? potiùs cum Petr: Cellensi l. 6. epist: fatearis illam etiam in Conceptione sua apparuisse veluti OVEM, *lanâ primæ gratiæ candidissimam?*

34. *SYMB:* Huic immaculatissimæ OVI, ut Symbolicè quoq; alludas, depinge OVEM unam in medio gregis stantem, & ore tenentem herbam origani; toto grege quasi in stuporem acto, illam circumstante: Huic enim herbæ vis quædam naturæ inest, nedum quòd aspersione sui acervos frumenti conservet, ne formicæ grana depopulentur; sed præterea, si ore unius OVIS teneatur, totum gregem stupere facit. de quo Pier: Hierogl: l. 10. c. 3. & l. 8. c. 9. Tabulæ autem sic depictæ adijce Lemma: *Stupentibus cunctis.* OVIS illa denotabit MARIAM; grex, universum de cætero genus humanum: Herba verò in ore animalis, significabit gratiam, in Ortu MARIÆ ipsi concessam, contra vermem originalis peccati præservativam: quam propterea universus generis humani errabundus & peccato originali infectus grex, meritò stupet, & devotè veneratur.

Oves, visâ quadam herba, in stuporem agûtur.

Pier.

35. *POES:* Vt parias Agnum, tollit qui crimina mundi;
Virgo sis casti pectoris Agna, decet.
Ille cruore suo, maculas ut deleat Orbis,
Ibit, & æternum continuabit opus.
A macula tu munda etiam, dum nasceris, ito;
JESV per merita es, libera facta Parens.

Iosep. Biezant: in Anag. 112. Agnus.

PROGR: *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

36. *ANAG:* Agna ito munda maculâ, per merita JESV.
Agna verè munda, viam veritatis plano.
Tu pia Agna, solve crimen, reatum Adami.
Arde ô Mater Agna! à manè vicisti lupum.

Proba-

Probatur

Historicé.

Duo circa oves notanda quamvis pro more Ethnicorum superstitiosa, in Aresio ex Æliano reperio: videlicet quod olim apud Gentiles Ægyptios, Oves maximo honore colerentur, nec unquam eas contingere licebat. Deinde, quòd apud Apolloniæ gentem, tanta in reverentia Oves fuêre, ut nobiliores ex statibus deputarentur custodiæ earum. Vndè cùm nobilis quidam Evenius dictus, somno oppressus curam illarum habens, sexaginta à lupis devorari permisisset, Senatûs consilio oculis fuit privatus: quod refert Herodot: l. 9. Id autem præstabatur Ovibus, non quia aliqua ipsis inesse crederetur divinitas, sed quia Soli erant consecratæ. 37.

Oves, in quanta observantia, apud veteres Ethnicos.

Et sanè SS. V. MARIA hodie concepta, vix in Vtero dignissimæ Parentis suæ Annæ apparuit, jam tunc fuit Ovis & Agna æterno Soli dedicata, scilicet destinata in futuram & veram Matrem Agni Cælestis, Filij DEI: quæ itaq; pia mens cogitare poterit, quod Ægyptius ille ater, vel potiùs Æthyops Stygius, ad hanc candidissimam sacramq; Ovem accedere, illamq; originalis culpæ attactû commaculare, ausus fuerit? Itane putas & tam segnitèr centoculus ille Cælestis Argus, in Ortu Matris suæ vigilaverat? ut deifica hæc Ovicula, prædæ & feroci denti, avernalis patuisset lupi? Et certè, si juxta opinionem Physicorum, vestes ex lana oviculæ, quæ lupi dente aliquando attacta aut laniata fuit, confectæ, facilè verminant: nonne eo ipso vesti Filij DEI, s. Humanitati, de vellere, hoc est, de carne, & sanguine hujus Oviculæ assumptæ, quidam indecentiæ vermis, & macula adhæsisset? Ait enim S. Hieron: cit: ap: Escob: l. 4. de Concept: S. 4. n. 63. *Nullum dubium est de Matre Domini, quin talis debuerit esse; quæ de peccato redargui non posset; cùm hoc ad improperium Filij sui fuisset.* 38.

MARIA Solis æterni Agna.

Vestes ex lana Ovis dente lupi attactæ, facilè verminant.

Hieron.

EPILOGUS.

Policene l. 7. scribit, de Cambyse illum notabilem quandam victoriam obtinuisse per Oves; idq; in oppugnatione Pelusij Ægyptiorum: dum enim Incolæ fortiter resisterent impressionibus ejus belli- 39.

Victoriā per Oves obtinuit Cābyses.

bellicis, jussit ante exercitum suum greges Ovium, quæ (ut dixi jam) in cultu erant Ægyptijs, præcedere; quas cum obsessi, præ reverentia impugnare non auderent; feliciter de illis triumphavit Cambyses. Jam video hodie dum concipitur immaculatissimè B.V. MARIA, incipiunt mysteria & preambula victoriarum Cælestis Triumphatoris: hodie enim de Stygio Ægyptio Sathana, primùm DEVS triumphat in Ove, s. in B.V. MARIA; hanc enim, quia ille præ reverentia Maternitatis DEI, (ad quam electa fuit,) dum attingere non audet, sub pedibus ejusdem mitissimæ Oviculæ, contrito capite, gemit.

MARIA Ovis triumphans in Ortu suo de Sathana.

40. Ergo ô mitissima! ô candidissima! omnisq; erroris expers, quia Victrix Ovis Nostra MARIA! procede jam feliciter & triumpha in Ortu tuo. Devotissimus olim tui Cultor, B. Philippus Benitius viderat Te procedentem curru, quem inter alios trahebat ovicula: potiùs jam ascende hunc triumphalem currum, Victoriosa Ovis nostra: nos vilia jumenta, Cultores devoti Immacul: Ortûs Tui, utinam fiamus dignæ quadrigæ, deducendo ubiq; terrarum honori Immac: Conceptionis Tuæ. Insuper cum audimus, audientes stupemus, stupentes veneramur, & confitemur Te esse Ovem sine omni errore peccati: nos miseri, qui sumus per originale dispersæ & infectæ oves; imo veluti grex immolatorum (non quidem DEO, sed sathanæ) tener; nam teneri adhuc s. in Vtero Matrum, facti sumus victima prima ipsius; nos, qui omnes tanquàm Oves in Adam erravimus, utinam aliquando desideratissimam illam communis Nostri Pastoris CHRISTI Filij tui audiamus vocem. *Venite benedicti, &c.* Audi ô Domina non tam balatus, quàm gemitus Ovium tuarum, errantes, almis tuis precibus ad vocem, & sinum Boni Pastoris reduc, & revoca. Fac ut dicere Filio tuo valeamus cum Propheta, Psal: 78. *Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum.* Tibi quoq; dulciter canamus illud.

B. Philip: Benitius vidit B.V. insidentem currui, quem Ovis trahebat.

Votum Authoris.

Io! vivat Sanctissimæ DEIparæ Immaculata Conceptio.

PRI-



PRIMA,
sine Secunda,
SS. Virgo MARIA,
sine labe Concepta.

Jacob autem genuit Judam. Matt: 1.
Prodivi Primogenita ante omnem Creaturam. Eccli: 24.

I. Curiosa statim ad initium hujus Discursûs, pulsat mentem meam Quæstio; cur nam Judas, quasi primogenitus esset filius Jacob, in Tabulis Genealogiæ CHRISTI & MARIÆ, cæteris anteponatur fratribus. *Jacob* (inquit) *genuit Judam.* NN. Scimus utiq; Patriarcham Jacob, duodecim filios habuisse, capita duodecim tribuum validarum; inter quos, unus Judas fuit: sed quomodo Judas quarto loco genitus, cum præjudicio Ruben, & aliorum duorum, primo loco ponitur? Cur quæso non scripsit Evangelista. *Jacob genuit Ruben.* Novimus jam benè tâm ex Sacris, quâm ex profanis Scripturis, dilecta nimiùm, & delicata fuisse primogenituræ privilegia, & quòd perturbatus præcedentiæ ordo, non leviter turbaverit multos; quod & in ipso Jacobo, Parente Judæ contigisse meminimus; qui de jure primogenituræ cum fratre suo Esau contendens, rixas lites, imò vatiniana incurrerat odia. Si ergò Regis pacifici, in Matre ipsius, quæ hodie concipitur, jam jam proximè adventus disponitur, cur jura primogenitu-

Quare Judas hic ponitur, potiùs quàm primogenit. Ruben.

ræ inter fratres interturbantur? dum Judas cæteris anteponitur.

2. Sed satis ingeniosè Euthymius, & Landspergius, nodum hunc solvunt, dum rem controversam ad pacem disponendo, jura componunt. Nemo enim nescit, quòd CHRISTVS DEVS noster, de tribu Juda nasci debuit. juxta illud Gen: 49. 10. *Non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est.* Iudas ergo reliquis omnibus anteponendus erat: nam is, qui Pater est CHRISTI, aliquod privilegium præcedentiæ habere debebat. Accipe verba citatorum Doctorum. *Judas iste non fuit primogenitus, sed quartus filius Jacob: hic tamen fratribus suis præponitur, propterea, quòd de ejus semine Christus fuerit natus.*

Gen.

Euthym. Landsb.

3. Hinc non postremum, sed validum, quia à minori ad majus, pro Immaculato Ortu MARIÆ, porrigit se argumentum: quod acutè observavit Rota d. 5. pro Festo Concept: inquiens: *Quod si ergò Judas; ex cujus Tribu, post tot annos Christus proditurus erat, hoc privilegium obtinuit, ut cæteris anteponeretur: MARIA, quæ re ipsâ, & quidem proximè futura erat Mater Christi; nam eum in suis visceribus gestavit, uberibus lactavit, non obstante, quòd reliqui omnes contaminarentur culpâ Adami, reliquos præcedere, ipsis præferri, utpote Mater DEI; & ab illa noxa præservari, gratiâ decorari debuit.*

Rota.

MARIA dignior Primatu, quàm Iudas, filius Iacob: Patr.

4. Et sanè, ipsa quoq; Alma DEI Mater, pridem jam ante, excellentissimi Primatûs sui jura, testesq; produxit; per os videlicet Sapientis, quasi in Persona sua inquiens: *Ego ex ore Altissimi prodivi Primogenita ante omnem creaturam*: & rursùs. *Et in omni populo, & in omni gente, Primatum habui. &c. sup:* meritò S. Sabbas in Menæis sic illam alloquitur. *Tu es* PRIMAS *humani generis, ab Architecto, & Dominatore omnium DEO creata.* Arbitror autem, quòd hic PRIMATUS, juxta dictum S. Sabbæ attribui debet MARIÆ, ne dum ratione Tituli Maternitatis DEI; sed etiam ratione gratiæ primæ, quam accepit in Conceptione sua: ex eo dictæ primæ; vel quia non præsupponebat, aut admittebat amissionem, sive amissibilitatem prioris gratiæ, respectu cujus, ista ei data dicenda esset secunda:

Eccl.

Sabb.

MARIA, Primas humani generis

cunda: vel ideo; quia gratia ipsi in Conceptione infusa, atq; ejus originalis innocentia, tantæ excellentiæ fuit, ut in nulla alia pura Creatura, secunda talis, hoc est, par, aut similis reperibilis sit, vel fuerit. Vnde sicut de Privilegio Maternitatis in MARIA, cecinit *Sedulius.*

Nec primam, similem visa est, nec habere sequentem.

Idem omninò de Immac: Ortu ipsius asserere, & evincere conabor: videlicet SS. Virginem MARIAM in sui Conceptione, quoad gradum innocentiæ, & gratiæ, fuisse ita PRIMAM; ut secundam aut parem non admiserit. Moralem præmittendo Discursum, de conservatione primæ gratiæ. Breviter interea Neo-Conceptam saluto. Propositio.

Salve, DEVM paritura, DEI Mater mox futura:
O quàm clara habes jura! Pro tua Primogenitura.

PARS I.

De conservatione primæ gratiæ, seu de cavendo primo peccato.

JVxta placita Theologorum, *Gratia* prima dicitur illa, quæ primò infunditur in justificatione peccatoris: v. g. dum recipit Baptismum, aut Sacramentum Pænitentiæ: *Secunda* autem gratia, sumitur pro augmento illius primæ gratiæ. Id verò asserunt Theologi, respectivè ad præsentem statum hominis: nam si velimus hæc comparare ad statum priorem s. ad statum innocentiæ, quem amisimus in Protoparentibus, etiam hæc gratia, quam nunc accipit homo, in sui prima justificatione, poterit dici secunda gratia; in hoc sensu, quatenùs supponit amissionem seu privationem illius prioris originalis gratiæ, quæ cuiq; nostrûm debebatur, nisi peccasset Adam. Atq; sic nullius hominum gratia, quam à DEO accipit, potest strictè dici, Gratia prima, id est, sine connotatione secundæ; imò neq; illa ipsa, quæ fuit concreata Adæ: hæc enim, quia fuit amissibilis, implicitè connotabat secundam seu alteram gratiam, uti sui reparativam. Illa ergo, & sola, strictè prima di- 5.

Gratiæ primæ & secundæ distinctio, in diversis suppositionibus.

cenda esset gratia, quæ nec ex illo respectu amissibilitatis diceretur, vel dici posset secunda: & talis fuisse in sola, & unica SS. V. MARIA, infra probabitur. Cæterùm & istius gratiæ, quæ defacto, & ordinariè prima dicitur, ac præcipuè per quam homo post lapsum in peccatum originale restauratus est, ingens cura habenda est. Quamvis enim, damnum hoc reparabile sit, per aliam gratiam, quando s. pænitet homo; tamen à conservatione prioris illius gratiæ, plurimùm salus nostra pendet: illam etenim amittere, resolvendo se ad primum mortale peccatum, damnosissimum est homini, nec quidquam perniciosius est, quàm semel incipere, malè vivere. hoc

Gratiæ primæ seu Baptismalis amissio, quàm damnosa.

Probatur **Scripturalitèr.**

6. Qui aliquando audisset Prophetam Regem, amaris cum lacrymis implorare misericordiam DEI, & magnis vocibus veniam efflagitare, tum peccatorum suorum mentionem facere, quorum indulgentiam deprecabatur; ex ipsa commemoratione culparum, facilè arbitrari potuisset, illarum oblitum, vel non satis memorem extitisse. Cùm etenim plura perpetrarit flagitia, quæ omnes scimus, adulter, & homicida, scandalumque populi sui, unius tantummodò peccati recordatus fuisse videtur; quantùm ipsius supplicis verba sonant; quæ sic habentur: *Miserere mei DEUS. &c. dele iniquitatem meam.* Item. *Lava me ab iniquitate mea, & à delicto meo munda me. Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum, contra me est semper.* Psal: 50. 3. 4. 5. 6. Euthymius formulam verborum, quibus Rex pænitens culpas suas commemoravit, jubet animadvertere, inquiens: *Illud autem considera, quòd de uno tantùm à se commisso crimine loqui videtur; cùm tamen plura essent: Iniquitatem, non iniquitates deleri rogat, & à delicto, non à delictis mundari cupit, malum non mala, coram DEO fecisse plorat.*

Peccati unius frequenter petit David remissionem cur?

Psal.

Euthym.

7. Cur ita? fortè an scelerum suorum gravitatem dissimulatione numeri extenuare voluit? Nequaquam: Qui enim tam seriam pænitentiam egit, DEI offensi misericordiam tam exploratam habuit, non potuit gravatè crimina sua enumerare; cùm etiam tam exanimitùs de illorum perpetratione, sibi benè, imò

nè, imò malè conscius erat? Ad hæc præallegatus Euthymius respondet, inquiens: *Eâ nimirùm ratione; quia unum ab altero pendebat: quippe cum adulterio impulsus fuerit ad cædem.* Unius ergò tantùm, & quidem primi illius, ad quod se primò resolverat peccati meminit; veluti significans, qui primùm Unum committit, primamq; amittit gratiam, eum facilè perpetraturum alia multa: ac si dixisset David: Solam unius delicti mentionem facio: sic enim reliqua implicitè commemoro; quia unum ab alio dependebat: quando enim unum peccatum fores apertas jam reperit, post illud alia plura se insinuant. Peccatum primum, janua aliorum.

Est porrò anima veluti pudica Virgo, quæ si semel frontem exterserit, famamq; suam prostituerit, non ampliùs de scelerata, & infami vita erubescit. Est veluti agger quidam, qui ubi semel hiare incipit, ita paulatim obruitur, defluit, ac dilabitur, ut vestigium ejus, nullum maneat reliquum. Inquit enim Tertul: Apolog: c. 1. *Omne malum, aut timore, aut pudore natura perfudit.* Hinc experientiâ constat; quòd etiam potentiores homines, quibus nullus à quopiam hominum, potest esse timor de vindicta scelerum, prima sua adulteria celari cupiunt, & omnimodè curant, ne evulgentur: quod ipsum ingenitæ cujusdam erubescentiæ de peccato, evidens indicium est. Nam ut ait S. Hier: ep: ad Demetr: *Anima bonis actibus favet, sinistra opera condemnat.* 8. Anima primò peccans, quasi mulier semel prostituta. Tertul. Pudorem causat peccatum. Hieron.

Hoc etiam S. August: S. 31. de verb: Dom: observavit in Protoparentibus nostris. *Qui cùm cognovissent se nudos, consuêrunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Gen: 3. Causam enim erubescentiæ hujus subnectens S. Doctor, ait: *Ante nudi erant, & non confundebantur, non enim erat unde erubescent, quando peccatum non præcesserat.* Hunc ergo pudorem & erubescentiam, cùm primò vult deponere anima, luctam plerumq; non modicam eum reluctante seu reclamante Synthere si experitur; unde cum difficultate resolvit se ad primum perpetrandum flagitium: quo admisso, quasi prostituta mulier, ruit deinde facilè ad simile, imò ad omne nefas. Nam ait Nazianz: in Carmin: ad Olymp: *Pudoris jactura, flagitiorum omnium certissima est Mater & parens.* Huc etiam collimare videtur illa Doctrina S. Chry- 9. August. Nazian. Pudoris jactura, Mater flagitiorum.

fost: T 5. l. cont: gentil: *Anima quæ peccati semel gustum fecerit, & quæ nullius doloris, vel pænitentiæ stimulis tangitur, magnum certè auctuarium morbo adjicere solet.*

Probatur **Figuraliter.**

10. Exod: 12. 13. Quo tempore Dominus miseratus populi sui, duram sub crudeli Pharaonis tyrannide servitutem, delassatas tandem eorum cervices, tali exonerare jugo volebat, mandavit, ut sanguine Agni Paschalis, quem eâ nocte victimam mactare debebant, utrumq; portarum domûs suæ postem tingeret; ut sic Angelus, qui Ægyptiorum primogenita trucidaturus erat, talis signi intuitu absterritus, præteriret illorum ædes, nec quidquam incommodaret. *Cùmq; viderit* (refert Scriptura) *sanguinem in superliminari & utroq; poste, transcendet ostium domûs, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* S. Gregor: Niss: fixit hic pedem in consideratione hujus tam admirabilis ceremoniæ, quam DEUS voluit nocte illâ servari, quando jussit, ut superliminare ac simul utrumq; postem sanguine Agni linirent, ut pro munimento adversùs percussorem Angelum esset, & non sineret ingredi domos, ac lædere. Sed quorsùm tam immodica diligentia & solicitudo, de arcendo ab ingressu Angelo? Quid si Angelus semel ingressus fuisset, nonne exturbari aspersione sanguinis ex illa domo potuisset, qui ne ingrederetur, solo sanguinis aspectu prohiberi poterat? Certè, quem talis Sanguinis intuitus solus arcebat, ne intùs pedem inferret, is facilè, ut efferret illatum cogi potuisset. Quid ergo causæ, quòd tantâ cautione, ad hanc rem uti, & tam magno studio prohibere domorum suarum ingressu, Angelum percussorem, sunt jussi Hebræi?

Exod. 12. 23. — *Greg:* — Angelus percutiens, cur non sanguinis aspersione, sed intuitu arcebatur?

11. Idem S. Nissenus acutè, ut ferè semper solet, id explicatum dabit: Angelus ergo ille, qui tam immanem stragem inferebat Ægypto, juxta cit: Doctorem, typus fuit peccati, à quo uno omnia, eaq; maxima mala veniunt animabus, quæ in errorum suorũ tenebris degũt. Dicit ergò quasi DEUS: Quando talis quidam Angelus grassatur, necessum est illum prohibere aditu, & magnopere cavere, ne quoquomodo intret: nam ubi semel ingres-

Angelus percutiens, typus peccati. cur?

sus est, & ædes invasit, difficilè ejicitur. Prorsus ergo non introeat, ne ita sese intùs obfirmet, ut te, exturbandi illum vires deficiant. Audite S. Pontificem. *Primogenitorum nece & postium per sanguinem custodiâ discimus; ut illinc primas vitiorum appetitiones tollendas, & hinc primum vitiorum adversùs nos aditum, per verum Agnum repellendum esse intelligamus: non enim ingressum percussorem ejicere, sed ne omninò subingrediatur, cavere lex jubet.* Hæc ille, de vita Moysi. Greg.

12. Peccatum primū summo studio cavendum.

In his verbis specialiter notate, quod ait. *Non ingressum percussorem ejicere, sed ne omninò subingrediatur, cavere lex jubet.* Ut noveritis inde, quia totis muris & vallis arcendum ab anima hostem Dominus præcepit; ut doceret, quantùm huc studij & curæ conferendum; ne in illam, vel semel penetret; nàm si unum semel peccatum invaserit animam, certò nobis promittere possumus, quòd & alijs locum parabit, aditumq; patefaciet. Cui ingeniosissimæ S. Doctoris commentationi, liceat præterea aliam non longè absimilem subnectere.

13. Adolescentiæ innatum erubescere peccatum.

Porrò sanguis quasi naturale symbolum est erubescentiæ. Sanguis iste verè dicendus est Sanguis Agni anniculi; quia proprium quid est innocentis adolescentiæ, ad quamcunq; speciem mali erubescere, & innata est cuiq; quædam exhorrescentia peccati; quo sanguine quamdiu postes scilicet potentiæ animæ, intellectus, & voluntas, atq; superliminare, id est potentia irascibilis, rubescunt; tam diu secura à percussore, & à ruina peccati, stat anima in prima gratia immobiliter. Hunc verò sanguinem, si vel semel exterserit, inverecundè ad primum se resolvendo peccatum, irruit subitò percussor iste, & quidem non solus, nec unicus, sed cum caterva, & multitudine aliorum peccatorum. Unde monet quemq; S. Ambros: in Psal: 1. *Cavenda ergo sunt prima vitia, ne in plura deinde graviora proserpant. Etenim sicut ij, qui se in luto versant, quò magis volutantur; eò ampliùs inquinantur: ita, qui semel se luto improbitatis asperserit, nisi ab eo velocitèr exsiliat, graviùs sibi dedecoris sui cœnum, per singulos dies, lutulentæ conversationis obducit.* Didac: verò Nissen: Dom: Quinq: Perioch: 3. hisce verbis cuiq; benè precatur: *DEUS unumquemq; à primo peccato singulariter liberet; nam qui semel excutere frenum,* Amb: Nissen.

frenum, & ponere frontem cæperit, is difficulter postea sibi imperare poterit: ut omne malum nostrum in uno primo peccato, solùm positum esse videatur: quod ubi verecundiæ repagula convulsit, valuasq; effregit, omnibus deinceps sceleribus patet.

Probatur **Historicè.**

14. Memini benè me audivisse quondam à Viro rerum Turcicarum apprimè gnaro, utpotè, qui multorum annorum in illis partibus traxerat moras, hujuscemodi, de aliquo Turcarum Imperatore narrationem; quod scilicet ille, post mortem Uxoris cæteris omnibus, ob insignem corporis venustatem dilectioris sibi, cernens filiam demortuæ, simulq; propriam, similis omninò formæ, & venustatis defunctæ Uxoris, eam turpiter adamaverit, atq; omnis juris honestiq; immemor, eandem matrimonio sibi copulare proposuerit: quòd cùm filia renueret, partim ob quendam naturalem pudorem, & à nefandis nuptijs ingenitam abhorrentiam; partim ob linguas, & vituperia hominum; ut tantò efficaciùs filiæ id persuaderet Pater; mandavit è regione Palatij sui, publicam curulem viam, pretioso quodam, justæq; latitudinis & longitudinis tapete insterni: cùm verò per aliquot dies, quilibet per tam pretiosè stratam viam, currum agere vereretur, quidam tandem pertæsus quotidiani impedimenti, primus id ausus est, concitatisq; equis, citissimè per stratam transmeavit viam, spectante & acriter contra se conclamante populo: brevi alius cum curru superveniens, priorisq; jam vestigia advertens tantò audentiùs propellit equos; tandem tertius & quartus, successivè & alij, sine omni resistentia, cessantibusq; sensim clamoribus populi. Ingeniosè satis, licet probroso fine, facto hujuscemodi, scelestus iste Parens filiæ suæ ad turpes nuptias erubescenti, demonstrare voluit, quomodo initia tantùm mali pudorem ingerant; quo semel violenter superato, inverecundus, effrons, & audax ad quæq; nefanda redditur homo.

Turcarum Imp: quomodo filiam suam, pudorē exuere docuit.

15. O quisquis optimè adolescentum! adeò felix & beatus es, quòd in tua anima adhuc prima illa gutta Sanguinis CHRISTI, vel potiùs gratia, quam ex meritis Passionis ejus, in Baptismo hausi-

hausisti, nullo mortali peccato læsa, vel alterata, rubescit; scilicet qui nunquam adhuc peccasti mortaliter; perpende hactenus dicta, & ex ipsis collige, quantis studijs, quantâ solicitudine custodienda tibi sit gratia prima; illa præsertim innocentia, quam originaliter accepisti in Baptismo: hic enim thesaurus est, cujus pretium incomparabile, damnum recuperabile nunquam. Nam dicit Corn: à lap: in Prov: 1. ℣. 4. *Quatuor sunt adolescentum thesauri incomparabiles. Virginitas corporis, à nativitate accepta: Innocentia mentis in Baptismo data: Ætas maximè virtuti opportuna. Morum modestia, & verecundia.* Hæc age adolescens, hæc considera tum temporis, dum te ad gustandum primâ vice peccatum, vel allicit carnis voluptas, vel prava consilia, exemplaq; aut mala consortia trahunt; & tum sine omni mora frontem verecundam honesti pudoris, statim exporrige; exere vires, fortiter dimica, ne tam pretiosi thesauri s. primæ gratiæ, & innocentiæ baptismalis, damnum non compensabile incurras, & majoribus salutis tuæ periculis involvaris.

Cornel. Thesauri 4. adolescentũ, incomparabiles.

P A R S. II.

SS. MARIA, Prima sine secunda.

16.

Esse primum, sine secundo, & esse unum, Synonimicè non nisi inter se differre, quis non advertat. Unum autem dici, non vulgare, sed præcipuum videtur esse elogium, & laudum summa. Sic 1. Reg: c. 1. de Elcana dicitur: *Fuit Vir unus de Remathaimsophim, de monte Ephraim, & nomen ejus Elcana.* Super quo Origenes sic ait: *Hoc pertinet ad laudem justi, quòd dicitur Vir unus. Nos, qui adhuc peccatores sumus, non possumus istum laudis titulum acquirere: ipse unusquisq; nostrum non est unus, sed multi.* Quod cit: Author interpretatur de mutabilitate morali. Tádem subnectit. *Vide quomodo ille, qui putatur unus esse, non est unus, sed tot personæ in eo videntur esse, quot mores.* Porrò idemmet hom: 1. de diver: in Matt: SS. DEIparam hoc excellenti cohonoravit titulo, dum ipsam Unam Unius appellavit: *Hujus* (inquit) *Unigeniti DEI dicitur hæc Mater Virgo, digna Digni, Immacu-*

Vnum, & primum sine secundo, idem sonant.

Reg.

Orig. Vnum dici, magna laus.

Orig.

MARIA Una Unius: hinc Immaculata Concepta. *maculatæ Sancti, & Immaculati, UNA UNIUS.* Cùm ergò ex immediate dictis unum esse, significet invariabilitatem, MARIA autem, Una semper & Unius esse dicitur; eo ipso innuitur, innocentiam, seu gratiam nullo respectu variatam, aut variabilem, ipsi concreatam fuisse. Et hoc solùm ex fonte Synonimorum desumptum argumentum, sufficiens esset ad probandū SS. MARIAM in sui Conceptione, fuisse PRIMAM, sine secunda. Sed comportemus plura, & graviora pro asserto nostro documenta.

Probatur Scripturaliter.

17. Nullum puto, evidentius afferti nostri testimonium, posse haberi ex S. Scriptura, quàm illa Sapientis verba pro themate Discursûs assumpta. Eccli: 24. 5. & 10. *Ego ex ore Altissimi prodivi Primogenita ante omnem creaturam:* & rursùs paulò infra. *Et in omni populo, & in omni gente, primatum habui, & omnium excellentium, & humilium corda, virtute calcavi.* Textus iste, & verba, primariò quidem (juxta sensum Expositorum) producūtur in Persona Æternæ Sapientiæ; secundariò tamen in Persona SS. MARIÆ. Ubi ex singulorum verborum commentarijs, etiam parùm apprehendenti, multiplex pro immunitate Ortûs MARIÆ, insinuat se argumentum: simul & pro excellentia, seu primitate gratiæ, respectivè ad puras Creaturas, quam ipsa accepit in sui Conceptione.

Eccli.

18. Et quidem primò illis verbis: *Ego ex ore Altissimi prodivi Primogenita ante omnem creaturam.* evidenter satis, prima Creatio, seu Ortus MARIÆ, vel ad summum, æterna illa Decreta, de Creatione ejus, circumscribuntur. Hæc allegata Primogenitura MARIÆ ante omnem Creaturam, innuit secundùm Expositores, æternam ejus electionem, seu prædestinationem, ne dum ad esse naturæ, sed etiam ad privilegium Maternitatis DEI. Ex hoc ergò loco, eximij Doctores ap: Salazar colligunt & probant, SS. Virginem ante omnes creaturas fuisse electam, seu prædestinatam: quorum opinioni perspicuè suffragantur aliqui SS. Patres. Nam D. Ansel: citatus à S. Bernard: Sen: T. 2. S. 51. art: 2. c. 4. sic alloquitur eam: *Tu ante omnem creaturam in*

MARIA prædestinata ante omnem Creaturam.

Ansel:

in mente DEI praeordinata fuisti. S. Damasc: quoq; Orat: 3. de Nativ: *MARIAM naturæ Reginam, & Massæ nostræ primitias appellat.* Ad hoc collimant illa verba S. Bernardi S. 3. in Salve. *Et ut* (inquit) *breviter concludam; de hac, & ob hanc, & propter hanc, omnis Scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est; & hæc gratiâ DEI plena est.* Damasc. Bernard.

19. Et quod magis mirandum, antiquissimorum etiam inter Hebræos, idem de MARIA sensus fuerat. Nam Rabbi Haccados, qui ante CHRISTUM & MARIAM aliquot sæculis floruit, apud Galatin: l. 7. c. 2. ad illa verba Jerem: 33. *Si irritum fieri potest pactum meum cum die, & pactum meum nocte. &c.* sic scribit: *Nisi pactum meum esset: id est, si amore mei JESU & MARIÆ, diem & noctem, leges cælo & terræ non posuissem, id est, mundum non creassem.* Rabbi quoq; Ancelos, super illud Gen: 1. *In principio DEUS creavit cælum & terram:* cùm taliter locum legisset. *Propter Sapientiam creavit DEUS cælum & terram:* sic statim attexuit: *Propter Sapientiam, hoc est, amore intemeratæ Virginis, quæ est mundi Sapientia, creavit DEUS hunc mundum; & amore Messiæ, Filij sui; cui in Divinis, Sapientia tribuitur.* Propter MARIAM creatum mundū, fatetur Hebræi.

20. Quod si ita est; scilicet, quòd SS. MARIA, in tantùm dicitur Primogenita ante omnem Creaturam, inquantùm prædestinata fuit; tam quoad esse naturæ, quàm quoad esse gratiæ, ante omnem creaturam, consequenter, antequam determinata fuisset creatio Adæ & Evæ; imò & Angelorum, & penè omnis Creaturæ; quomodo quæso potuit esse secunda, contrahendo f. originale à primo homine; qui tùm nec quoad existentiam, tantò minùs quòad peccabilitatem prævisus habebatur? quomodo in æterna illa electione MARIÆ ad gratiam, secunda quædam, seu minùs excellens gratia comparativè ad illam gratiam, quæ concreanda foret Protoparentibus, qui tantùm in massa possibilitatis tùm fuerant, determinaretur propter MARIAM? Hæc ergo Primogenitura, seu hic PRIMATUS MARIÆ ante omnem Creaturâm, indicat nedum immunitatem ipsius à peccato Adæ, quem in Decretis æternis præcessit, sed primitatem quoq;, seu excellentiam gratiæ, quâ in creatione sui omnem puram rationalem Creaturam præivit. MARIAE Imm: Conceptio, concluditur ex prædestinatione ipsius.

Ad illa descendamus verba: *In omni populo, & in omni gen-*
21. *te, primatum habui.* Respectivè quasi loqui videtur ad rationalem creaturam; Angelicam videlicet, & humanam. Utriq; profectò, tam homini, quàm Angelo fuit concreata gratia, sicut & MARIÆ! longè tamen aliter, & longè inferior; quia ipsorum gratia, amissibilis fuit: indeq; meritò, nedum inter homines, sed inter Angelos quoq; PRIMATUM se habuisse, quòad gratiam, gloriatur MARIA. Cui dogmatizationi plurimùm suffragari poterunt illa verba S. Hieron: ep: de Assumpt: *Angelorum quamvis natura sit celsior, non tamen gratia major; quia & ipsi, gratuitâ gratiâ sunt salvati, ne corruerent. Vnde David: Verbo Domini Cœli firmati sunt: -- unde etsi mirabilis sit eorum firmitas, mirabilior tamen in MARIA; quam obumbravit virtus Altissimi, ut ultra omnem virtutem sit Angelicam.* Justè tandem post adducta jura Primogenituræ suæ in gratia, subrexuit per Sapientem MARIA, illa verba. *Omnium excellentium & humilium corda, propriâ virtute calcavi.* Sequitur enim omninò, quòd cùm tam excellenti primâq; gratiâ, in suo Ortu præmunita & constabilita esset, superbi illius simulq; infestissimi generi humano Stygij serpentis, in Conceptione sua nedum afflatus evaserit, sed præterea triumphali suo calcaneo utpotè optimè originali calceata gratiâ, superbum ejus cõtriverit caput.

Hieron.

MARIA majorem & stabiliorem habuit gratiam, quàm Angeli.

Probatur

Figuraliter.

22. Primitatem hanc MARIÆ, ratione excellentis originalis gratiæ, & simul ipsius ante prævisum Adæ peccatum prædestinationem, (quòd valdè juvat in tuendo mysterio Imm: Conceptionis) venustè adumbravit Maria illa Soror Moysis; idq; tum, quando inter reliquas fæminas, quæ rubri maris evaserant undas, præibat, & præcinebat, chorum ducens: de quo sic S. Textus refert: Exod: 15. 20. *Sumpsit ergo MARIA Soror Moysis tympanum in manu sua, egressæq; sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino gloriosè, &c.* Ubiq; ut video, primatum tenet, præceditq; alios, non jam illa Soror Moysis, sed Mater JESU, MARIA. Præcedit, inquam in *Nascendo:* solius etenim inter fæminas MARIÆ Nativitas,

MARIAE typus, Maria Soror Moysis.

Exod.

tivitas, celebris & gloriosa ab Ecclesia appellatur. Præcedit secundò in *loquendo:* propter illud potentissimum, suavissimum DEO, Angelis, & hominibus desideratissimum verbum, *Fiat mihi secundùm verbum tuum:* de cujus excellentia, audi pulchrũ sermonem ex ore Gvilelmi Abb: pro tali verbo MARIAM deprecantis: *Dic (ô MARIA) verbum dulce, quia tempus loquendi est; noli silentio salutem omnium suspendere, vel impedire. Ecce os tuum respiciunt Angeli, Patriarchæ, & Prophetæ expectant, tanquam imbrem serotinum, omnis creatura ingemiscit, & parturit usq; adhuc, sub expectatione verbi dulcissimi. - - - Nec morata Virgo: Fiat, inquit, mihi. Hoc planè est verbum dulcissimum, quod & Angeli, & homines desiderabant audire.*

MARIA præcedit omnes in nascendo, in loquendo.

Guilel.

Præcedit tertiò MARIA in *salutando.* Et salutavit (inquit Lucas) Elizabeth: ad cujus vocem exultavit in utero Matris infans Joannes, inaudito, sed vivifico salutationis effectu: efficaciam salutationis hujus expendens Origenes hom: 9. in Luc: ait: *Quod tantùm MARIA venit ad Elizabeth, & salutavit eam; exultavit infans in gaudio, & Spiritu S. plena prophetavit ea, quæ scripta sunt in Evangelio, & unâ horâ habuit tantos profectus.* Præcedit quartò MARIA in *pariendo:* quia sola ipsa est, gaudia Matris habens cum Virginitatis honore. Præcedit quintò in *offerendo:* dum vivam hostiam, nam ipsius vitæ fontem, ipsumq; Summum Sacerdotem, & Pontificem animarum nostrarum CHRISTUM JESUM Filium suum, in legalis Purificationis ceremonia, proprijs Ulnis in Templum deportans, æterno obtulit Patri. Præcedit sextò in *stando:* videlicet sub Cruce patientis Filij constanter & animosè *Stabat autem Mater JESV.* inquit S. Textus. Præcedit septimò in *sedendo:* hoc est, in Assumptione sui ad Cælum; ibi enim ratione excellentissimæ suæ gloriæ, cæteros omnes Beatos, ac Beatas, homines, & Angelos, veluti illa Soror Moysis, in canticis & jubilis præit. Ut fatetur Bernard: S. 2. de Annunt: *Novum* (inquit) *canticum illud, quod solis dabitur in Regno DEI cantare Virginibus, ipsam Virginum Reginam cum cæteris, imò primò inter cæteras esse canituram, nemo est, qui ambigat.* 23.

MARIA præcedit in salutando, in pariendo, in offerendo.

Origen.

Præcedit in stando, in sedendo.

Bernard.

Sed præcipuum illud sit, quod ad propositum meum potissimè servit; quia SS. Virgo præcedit omnes in exoriendo, seu 24.

MARIA præcipuè omnes præcedit in exoriendo, seu in Conceptione sui.

in Conceptione; & hoc ratione innocentiæ, atq; gratiæ sibi concreatæ, nulli alteri creaturæ concessæ. Attigit hoc profundâ ingenij sui indagine S. Chrysol: in præassumpta ex Exodo Figura; s. in Maria, Sorore Moysis, cum tympano cæteras præcedente mulieres; dum taliter Ser: 146. ait: *Et ut semper MARIA, humanæ sit prævia salutis, populum, quem unda regeneratrix emisit in lucem, ipsa jure præcessit in cantico.* Respexit verò hìc S. Doctor ad illa verba S. Pauli I. Cor: 10. 2. *Omnes baptizati sunt in nube & mari.* Quibus innuit Apostolus in transitu maris rubri, Christi baptismum adumbratum fuisse. Ergo affirmat S. Chrysologus illis verbis (quod observavit Salazar c. 2.) Virginem DEIparam inter reliquas animas, quæ pro nunc per Baptismum, vel antea sub lege naturæ, aut scripta, per alia æquivalentia Baptismo remedia, renatæ sunt; præire, ac præcedere; quia cum aliæ sordes suæ originis baptismo eluant; ipsa salutem antevertens; nullas contraxit: & ideo præit, ac præcinit MARIA, & reliquæ post eam eggressæ animæ, suam redemptionem, salutemq; decantant.

Chrysol.

Corin.

25\. Huc spectare possunt illa Regij Vatis verba Psal: 44. 15. quæ Virgini MARIÆ etiam, vulgò attribui solent: *Adducentur Regi Virgines post eam afferentur in lætitia & exultatione.* Priora verba significantiùs transtulit S. Hieron: in singulari. *Adducetur Regi: Virgines post eam.* ipsa nimirum Virgo DEIpara ante alias Regi CHRISTO offeretur, meritis ipsius acquisita: & reliquæ animæ post eam. *In lætitia, & exultatione.* Verba primitiva, quæ his subijciuntur, canentium, & chorum ducentium, jubilationem significant; atq; adeo sensus est iste, quem ingeniosè eruit ex dictis verbis Salazar: nimirum, quòd ipsa, & sola Virgo Beatissima, tanquam chori ductrix, præcinet atq; præcedet, aliæ illi succinent, atq; succedent animæ, quotquot vel ad gratiam, vel ad gloriam præordinatæ sunt. Hæc ergo MARIAnæ felicitatis maxima pars est; quòd in originali gratia omnes præcedat in sui Conceptione; & cunctis primum suæ Conceptionis punctum deplorantibus, sola illa, utpotè gloriosa culpæ originalis victrix, sumat lætitiæ tympanum, & canticum laudis, atq; gratiarum, semper Prima Primiceriaq; gratiæ: cui

MARIA in sui Conceptione læta, ducit chorum.

cui Primatui MARIÆ in gratia, quomodo faveant Patres, videamus.

Probatur

Doctoraliter.

S. Bonav: Ser: 2 de V. MARIA. *MARIA in tantum DEO proxima fuit, tantâq; sanctitate resplēduit, & sic in summo bonorum omnium culmen obtinuit, ut creatura aliqua non unita VERBO, nec perfectior, nec capacior sit.* Quibus verbis S. Doctor clarè adscribit B. Virgini excellentiam, & primitatem in donis gratiæ (inter quæ numeranda originalis justitia) idq; nedum respectivè ad homines, & Angelos, sed etiam ad omnes possibiles puras creaturas. 26.

Rupert: Abb: l. 4. Comment: in Cant: *MARIA est PRIMA de primitijs pomorum (s. donorum, gratiæ, & sanctitatis) DEI.* S. Vinc: Ferrar: S. de Concept: B. V. *MARIA Primogenita ante omnem creaturam, non in tempore, sed in sanctitate, & dignitate.* Anonymus in Menæis Græc: 5. Mai. *MARIA PRIMITIÆ immortalitatis, quia more instar fluminis ruens, apud ipsam perdidit vires.* Greg: Nicod: orat: 3. de Purif: *MARIA PRIMITIÆ sanctissima generis humani.* Maurit: de Vill: Nov: S: 1. Coron: B. V. *Ipsa est PRIMITIVA omnium intellectualium; quia omnium Spirituum transcendit excellentiam.* Et rursus. *Primitiva omnium Cælestium luminarium, quia luci comparata, invenitur prior.* Sap: 7. 27.

Et quoniam esse principium, vel quasi principium respectu alterius, supponit secundùm Philosophos, aliquam primitatem, seu prioritatem illius, quod dicitur principium; ideo huc spectant asserta Patrum illorum, qui nomine utuntur Principij, de SS. V. MARIA; eò enim ipso subinnuunt de excellentia ejus originalis sanctitatis. S. Alb: M. sup: Miss: c. 34. *MARIA est causa, & principium omnium aliorum Sanctorum, summa Virginitatis puritate, peccati immunitate, peccandi impossibilitate.* Joan: Picus in Cant: 2. *Hoc est principium, alterum à DEO, sanctitatis; peccati, peccandiq; immunitate.* 28.

Probatur

Miraculosè.

Inter prodigia, vel saltim inter extraordinaria, recensendum puto illud singulare Cultorum Imm: Conceptionis privilegium, 29.

quòd

quòd hujscemodi zelotes MARIÆ, nedum in futuro sæculo
Prov. speciali decorentur gloriâ: juxta illud Prov: 24. 31. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*; sed in præsenti etiam vita,
Imm: Conceptionis evehuntur ad dignitates. mirâ DEI dispositione, Matrisq; SSmæ interventu, in infimo inter homines gradu delitescere diu non sinantur; verùm ad primos, & aliquando ad summos dignitatum eleventur honores: cujus exemplum habetur, inter plures alios, in Sixto IV.
Bernar. Bust. qui, ut asserit Bern: Busto S. 9. de Concept: p. 1. ad culmen Summ: Pontificatûs fuit evectus, eò quia quotidie ad Vesperas & Matutinum commemorationem de Imm: Conceptione faciebat: quam devotionem, etiam in Pontificatu observavit; Ob similem devotionem, Comitem quendam, Summum Ducatum Mediolanensem consecutum fuisse, idem asseverat. Majus quid affirmat S. Ansel: apud Nieszpork: in Centur: n. 154.
Anselm. s. quod Prælati illi, qui promovent celebrandum Festum Imm: Concept: nunquam cum confusione à gradu suo deponantur.

30. Deinde à contrario occurrit aliud; videlicet (quod observarunt aliqui) illos, qui adversantur mysterio Imm: Conceptionis B. V. in honoribus minimè crescere posse: testes sunt omnium penè Orthodoxarum Universitatum Leges, quibus arcentur à gradibus Doctoratûs, quotquot pro Imm: Conceptione MARIÆ stare non promittunt. Imò Ant: Escobar l. 4. de Concept: Sect: 1. n. 109. notavit, quòd tales nec in spiritu altiores perfectionis gradus adipisci possint. Nam adducto illo loco Scripturæ Num: 33. ubi leguntur Hebræi, habendo inter se leprosam Mariam, consedisse in deserto, nec gressus ultra movisse, hoc idem ad propositum applicando, taliter ait: *At in nostræ MARIÆ typum, populus non proficit, dum Maria Soror Moysi leprosa est: quia opinantes MARIAM JESU Matrem, aliquando originalis peccati leprâ infectam fuisse, ex cordis duritia, & contumacia, nullatenus pergunt ad profectum. At qui profitetur nunquam fuisse leprosam, pergit ad ulteriorem perfectionem.* Ar ano puto id totum fieri, DEI & MARIÆ consilio; ut ita, dum zelantes pro Imm: Ortu suo non patitur esse póstremos, vel secundos, sed ad altiora evehat ipsos honorum, & virtutum culmina, per id evidentiùs comprobet, se in ratione gratiæ, &

Immac. Concept: adversantes, in honoribus minimè crescũt nec in spiritu alterioris perfectionis.

Num.

Escob.

inno-

innocentiæ originalis nemini secundam, sed primam extitisse: atq; sic, ut ubi illa est, ibi (respectivè) sint & Ministri, seu amatores Imm: ejus Conceptionis: prout dicitur Eccli: 10. 5. *Super faciem sui Scribæ, ponit honorem suum.* *Eccli.*

Probatur

Scholasticè.

THEOL: Priùs fuit (prioritate illâ, quam admittunt Theologi inter Decreta æterna) Decretum de futuritione, seu creatione MARIÆ, adeoq; & de gratia, primò ipsi infundenda, uti Matri Filij DEI, quàm Decretum de futuritione, seu existentia Adami & Evæ, atq; prævisio primi peccati illorum. Ergò gratia primò infusa MARIÆ non potuit esse secunda, sed prima: hoc est, sine præsuppositione antecedentis peccati, propagati per Adam in posteros, cui gratia MARIÆ infundenda succederet. Consequentia ex se est evidens: quomodo enim præsupponeretur illud, cujus futuritio nondum fuit determinata. Antecedens autem probatur, per sequellas. Si non fuisset priûs decreta futuritio MARIÆ cum prædictis circumstantijs Maternitatis DEI & gratiæ, quàm futuritio Adæ, & prævisio peccati illius, sequeretur quòd creatio MARIÆ, & gratia illi primò infusa, essent tantùm quid occasionatum ex peccato. Item sequeretur, quòd B. V. MARIA, non rectè diceretur Mediatrix, Sequestra hominum. Sequester enim & Mediator ipse, debet esse liber, & non unus ex reis, dicente Greg: in Moral. *Cùm is, qui displicet ad interpellandum mittitur, irati judicis animus ad iracundiam provocatur.* Sed primum est inconveniens: aliàs, sicut DEUS peccatum ipsum vellet magis non esse, quàm esse: ita & satiùs duceret MARIAM Matrem suam non fore; quod pias aures non parùm lædere videtur. Secundum autem, est contra sensum Patrum; quorum plurimi, sine ullo præjudicio principalis Mediatoris Nostri CHRISTI, vocant B. Virginem, certo modo loquendi, Mediatricem nostram, Sequestram inter DEUM & homines. 31.

MARIA priùs decreta, quã Adã & Eva.

MARIA non est quid occasionatum.

MARIA Mediatrix, Sequestra.

Hinc taliter ipsam à S. Ephrem de laud: V. salutari audio. *Ave progenitoris Adam resurrectio. Ave mundi Mediatrix gloriosissima. Ave mundi salus. Ave universi terrarum Orbis reconciliatio.* 32. *Ephr.*

Iustin. Antiquissimus quoq; , nam secundo CHRISTI sæculo Justin: M. in expos: fidei de Trin: sic fatur: *Tunc de Cælo ad nos descendit, non corporali descensu, sed Divinæ voluntatis efficaciâ, & ad eam dispensationem usus est Sequestrâ Virgine, stirpis Davidicæ.* Arnold: Carnot: hujus singularis Tituli B. Virginis, suggerit præterea aliquas rationes: inquiens: *Mediatrix ideò dicitur, tum quia commori in Cruce desiderabat pro salute generis humani: tum quia conformando se Divinæ voluntati, liberè consensit ut moreretur pro salute populi, suus Filius: tum quia, addita est adjutrix salutis nostræ per impetrationem.* Ergo si creatio MARIÆ, & gratia ipsi primò infusa, non fuit quid occasionatum ex peccato, sed per se intentum à DEO: si præterea B. Virgo dicitur verè Mediatrix, & Sequestra hominum, exinde omninò sequitur, gratiam ipsi in Conceptione infusam, non præsupposuisse in ipsa ullum peccatum; adeoq; fuisse absolutè primam & excellentissimam in omni respectu.

Arnold.

MARIA Mediatrix ex triplici ratione.

33. *JURID:* Juxta L. *Si ut certò.* §. *Si duobus.* Non potest haberi perfectum unius rei dominium, simul à duobus. Deinde possessio rei, à proprietate, & dominio longè distat: hinc tritum est illud Juristarum: *Possessioni cum proprietate, nihil est commune.* Quæ duo placita Juris sic ad propositum juxta Carthag: l. 1. hom: 2. de Concept: applicari possunt, simul innitendo illis verbis Prov: 8. 22. *Dominus possedit me in initio &c.* quibus utuntur Doctores in elucidanda Imm: Conceptione MARIÆ. Circa primum sic: Si in initio Conceptionis suæ MARIA fuit in perfecto dominio, & possessione DEI, ut ipsa testatur: quomodo simul potuit esse in possessione sathanæ per reatum originalem? circa secundum, taliter discurrit nominatus Author. *DEUS habet dominium omnium prædestinatorum, simulq; proprietatē: cæterùm, si quem eorum contingat cadere in peccatum, dominio manente penes DEUM, diabolus acquirit possessionem, quamvis ad tempus. Quando ergo de sua electione, & prædestinatione dicit MARIA: Dominus possedit me in initio viarum suarum. Mira excellentia ipsius ostenditur super omnes prædestinatos: quia quamvis eorum omnium semper dominium habuerit & proprietatem, non tamen semper possessionem, s. pro illo tempore, quo fuerunt labe peccati originalis infecti.*

Dominium perfectum unius rei, nequit simul haberi a duob.

Prov:

MARIA in Cōceptione, possessa à DEO.

Bea-

Beatissimæ autem Virginis dicitur statim perfectam habuisse possessionem, simul & dominium; & sic pro nullo instanti, originali maculâ infecta fuisse evincitur. Primitati ergo Marianæ gratiæ, id est nullum præsupponentis peccatum, etiam Jura favent.

SYMB: Genium depinge, qui tabulam numero 1. signatam manibus sustineat, aliam verò numeris 2. 3 4. usq; ad 10. exaratam, pedibus conculcet; apposito Lemmate: *Unam amat, & effert Unam.* Hoc denotabit DEIparam, ratione excellentissimæ gratiæ in instanti Creationis illi infusæ, ita fuisse PRIMAM, solam & unam, ut nullam admiserit secundam. Quotquot enim creaturæ censentur, scabellum pedum DEI sunt, in pulvere nativitatis suæ prosternuntur; & quæ in Cælis, coram oculis DEI, ad suum nihilum, ut ad natales cunas respiciunt: ideò ex illis omnibus Una MARIA, quia extra, & supra omnes est, præsertim quoad punctum Creationis suæ. 34.

POES: Pulchro Epigrammate Academicus Poëta probavit MARIAM, in sui Conceptione fuisse PRIMAM sine secunda, dum asseruit, quoad hoc Unam: sic metro ludens in illud Cant. *Una est Matris suæ electa.* 35.

Mater inexhausto, quam fæcundissima partu,
 Divorum Sobolem gratia promeruit;
Censeri numero nescit; nil purius illâ,
 Mentibus electis, uberiusq; nihil.
Si Divina Parens, agnoverat hanc quoq; Matrem?
 Una suæ Matris, quomodo nata fuit?
Gratia in humanis, genuit nil Virgine majus:
 Hæc Matri proles, sufficit Una suæ.

PROG: Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

ANAG: Eja MARIA lumen, Sancto PRIMATU gaude. 36.
Ego à lumine Uteri PRIMA vadam Sancta.
PRIMA & Una regnas! ô Immaculata Diva.
PRIMATUM tenes, ô Diva ignara maculæ.

Probatur

Historicè.

Pier: Hierog: l. 3. c. 18. tradit morem fuisse Phænicibus populis, res, & animalia, humano usui valdè necessaria, primæ 37.

A, litt: signũ valde necessarij, cur?

vocalis nomine A. seu Alpha appellare. Subjungitq; hujus rationem ex Hesiodo: quia s. quod verè necessarium est, neq; secundum, neq; tertium esse debet, sed primum illicò. Sicut est litera prima A. quæ sine adjutorio cujuspiam secundi, ut puta linguæ, dentium aut labiorum, suaptè naturâ ex imo barathri viscerum erumpit, faucibus apertis. Atq; hâc de causa, terra, quæ prima omnium hominum consulit necessitati, prima alimenta subministrat, juxta eundem Pierium, literâ A. insignienda venit.

38. Porrò, quid tam necessarium Universo post DEUM, quàm MARIA? *Tolle* (inquit Thom: Vill:) *Solem, quid est in mundo, nisi tenebræ: tolle MARIAM ab Ecclesia, quid restat, nisi caligo?* Hæc est terra benedicta, cælestem, quo reficimur, nobis progerminans panem: Cur ergò non dicenda sit, respectivè ad omnem puram Creaturam, quoad gratiam originalem, PRIMA & nunquam secunda? vocalis etiam prima, meritò appellanda venit; quoniam in Conceptionis suæ puncto, nec minimè violato palato, aut infectis, esu vetiti pomi, dentibus Adæ attacta, liberrimè ex abysso ipsius puritatis, & sanctitatis prodijt. Maximè, quia de ipsa Cæsar: Cisterc: hom: de Nomine MARIÆ dixit: *MARIA est Alpha,* PRIMA *Creaturarum, dignitate.*

Thom. Vill.

MARIA Alpha, & primum necessarium.

Cæsar.

EPILOGUS.

39. Annal: Germ: notant, in Castris Caroli contigisse: quòd Comes quidam de inclyta Columnarum Prosapia, habens olìm ab Imperatoribus concessum Privilegium, Primatum tenendi in castris; dum aliquando hostem à tergo castrorum venire advertisset, de loco stationis à fronte ad tergum mutando contenderit, jus suæ Primitatis allegando, cæteris Colonellis reponentibus, à tergo locum non esse primum, sed ultimum: lis tandem devoluta fuit ad Imperatorem; qui decretoriè dirimens controversiam, inter alia, hæc dixit: *In castris meis, locus ille primus censendus, qui hosti proximus est:* & sic pro parte Comitis sententiam pronuntiavit.

In castris, locus prim⁹, qui proxim⁹ est hosti.

40. O PRIMA gratiarum, & nemini secunda, SS. Virgo Immaculatè Concepta! imò nec secundam admittens! Tu illa es terribilis

ribilis castrorum acies ordinata. Sat luculenter Primatûs tui produxisti nobis Privilegia. Nos miseri, omnes in fronte, in ortu nostro, quia in capite nostro, s. in Ada, in quo peccavimus, sub hostis cecidimus gladio; ubi tu sola, Una, & PRIMA in hac fronte, s. in Conceptione Tua firmiter stetisti, utpotè confirmata in gratia Tibi concreatâ; nobis iterum Stygius iste hostis à tergo instat: Ergò age, tuere nunc PRIMATûs Tui Privilegia: veni accelera, devotos Immaculati Ortûs Tui Cultores defende, fortiter pro eis dimica; ut sic sub Nomine & tutelâ Immaculatæ Conceptionis Tuæ, victores sathanæ facti, tantò lætiùs, triumphale illud prosequamur Jubilum. Votum Authoris.

Io! vivat Immaculata SS. DEIparæ Conceptio.





QUIES,
ſine Tædio,
SS. Virgo MARIA,
ſine labe Concepta.

Virum MARIÆ, de qua natus eſt JESVS. Matt: 1.
1. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Eccli: 24.

DEVM, ſicut fatigari, ita & requieſce-re, implicat.

JUxta Orthodoxorum Theologorū dogmata, imò, juxta ipſum naturæ lumen, quieſcere, vel reſpirare DEUM, æquè implicat, ac eundem fatigari: cum hoc ipſum paſſibilitatis cujusdam, & mortalitatis in DEO argumentum evidens eſſet. NN. Hinc ille magnus Domûs DEI Zelotes & Propheta Elias, falſitatem Baal, quem Achab cum ſuis Pſeudoprophetis Deum verum putaverat eſſe, & ut talem venerabatur, erronibus illis liquidò demonſtrare volens, ſubſannando tam ipſis, quàm falſo ipſorum Deo, à quo etiam vociferantes minimè exaudiebantur, ironicè dixerat: *Clamate voce majori: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.* 3. Reg: 18. 28. Undè meritò S. Auguſt: conſiderans, quamvis in carne aſſumpta, fatigatum DEUM, & potu a Samaritana refici poſtulantem Joan: 4. quaſi in ſtuporem actus, inquit: *Jam incipiunt myſteria: Non enim fruſtra fatigatur JESVS, non enim fruſtra fatigatur DEI virtus, non enim fruſtra fatigatur, per quem fatigati recreantur.*

Reg. · Auguſt.

2. His autem non obſtantibus, bis præcipuè reſpiraſſe, & requi-

eviſſe

evisse DEUM, reperio in S. Scriptura. *Primò* post Creationem mundi, s. die septimo. Gen: 2. 2. *Complevit DEVS die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.* Et iterùm in creatione SS. V. MARIÆ. Ipsa etenim Creationem sui describens Eccli: 24. 13. inter alia taliter ait. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Quod ipsum interpretantur Patres, nedum respectivè ad Incarnationem Filij DEI; qui novem mensibus in Utero ipsius requieverat; sed etiam respectivè ad totam SS. TRINITATEM; quatenus ipsa, cæteris omnibus creatis pleniorem, & commodiorem invenit in MARIA quietem. Proinde S. Bonav: in Ps. ait *Sancta MARIA, est placitum DEI Umbraculum.* Et alibi hisce eam verbis salutat. *Ave Virgo, DEI QVIES.*

Gen. Bis requievit DEVS. Eccli: In MARIA DEVS requievit dupliciter. Bonav.

3. Porrò post conditos Cælos & Terram, Angelicam humanamq; naturam, respiraverat tantisper DEUS. *Inspiravit* (inquit Moyses Gen: 2) *in faciem ejus* s. hominis, *spiraculum vitæ.* Addit explicativè Novarin: in Umb: Virg: n. 510. *Ac si respiraret, & requiesceret DEVS.* Sed primò tumultibus Angelorum, & deinde ruinâ totius generis humani excitatus, *tanquam potens* (ut ait Psaltes) *crapulatus à Vino,* saltim hominum damna reparaturus, novis se accinxit laboribus: quod innuere videtur per Prophetam. *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Isa. 43. 24. in aliqua tandem pura & quietissima, nullisq; subjecta tumultibus Creatura, perfectissimè, & imperturbabiliter respiraturus & requieturus.

DEVS respiravit, creatò homine. Isai. Peccatum quietem DEI perturbat.

4. Præcesserant equidem in tot ab initio mundi generationibus, plurimæ excellentis sanctitatis animæ; sed quia omnes vel ad summum originalis illius in Adamo tumultûs contra DEUM reæ erat, propterea plena QVIES DEI nec esse, nec dici poterant. Ventum tamen est ad MARIAM, illam de qua audivimus in Evangelio, *Virum MARIÆ, de qua natus est JESVS,* hæc nunquam tumultuata est, etiam in Protoparente suo contra DEUM; & idcircò vix hodie creatur, atq; materno concipitur in Utero, illicò in quietissimum & gratissimum tabernaculum cessit DEO, placidissimamq; ipsi in anima sua præparavit QUIETEM. Ergò justè appellabo & demonstrabo SS. Virginem MARIAM in-

Propositio.

in Conceptione sua fuisse plenissimam & sine omni tædio, aut tumultu peccati, QUIETEM. Prævie dicturus, de tumultibus & inquietudine peccatricis animæ. Breviter interea saluto Neo-Conceptam.

Salve Virgo, DEI QUIES: Salve illa læta dies;
In qua DEUS respiravit. Quando Te puram creavit.

PARS I.

De tumultibus, reæ conscientiæ.

5. MAcrob: in Saturn: l. 2. c. 4 memorat Augustum Cæsarem, cum subaudisset, quòd quidam civis Romanus, qui quamvis plurimo ære alieno ob contracta debita, oneratus esset, tamen in specie exteriori, nullum unquam mæroris, aut displicentiæ exhibens signum, & ad continuas creditorum, sua repetentium voces, penitùs obsurdescens, semper quietum se dabat sopori; rem proinde insuetam admiratus Imperator, quia ipse frequenter insomnium patiebatur, vim quandam arcanam conciliandi somnum, cervicalibus illius inesse fortè opinatus, cùm post mortem Civis, venum ad hastam exponeretur suppellex ipsius, pretio comparari jussit unam ex illis culcitris debitoris; pro remedio capiendi somnum eam adhibiturus. Quonam eventu, nunc non inquiro: Cæterùm majus prodigium ego arbitror, dum mortalis peccati quempiam reum, ipsiq; DEO debitorem factum, quædam tranquillitatis signa præseferentem video; & inter tot nedum tumultuantis conscientiæ, sed omnis quoq; creaturæ, imò ipsius Sanguinis CHRISTI, clamantes contra se voces, quietè posse vivere planè stupeo. De clamoribus, seu remorsu conscientiæ alibi dictum, vel dicendum. Nunc clamorem Creaturæ contra peccatorem audiamus.

Culcitram privilegiatā ad somnum, coëmit August: Cæs.

Tit: Columba. N. 6. 7. 8.

Probatur Scripturaliter.

6. Meminit Doctor Gentium quorundam quotidianorum gemitum omnis creaturæ; eorumq; statim subnectit causam. Rom: 8. 22. *Vanitati* (inquit) *Creatura subjecta est, non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe: - - Scimus quòd omnis creatura* *inge-*

Rom. Gemit⁹ creaturæ: unde?

ingemiscit, & parturit usq; adhuc. Vox utiq; homini data est, ut latentes animi conceptus exprimat, & in aliorum aures animosq; circumferat. Et peccato quoq; sua vox non deest; quæ etiam abditos animi scelerati recessus explicet, & in lucem apertumq; proferat: & ita quidem; ut quantumvis cætera taceant, peccatum unum altè loquatur, & clamet, lacerans malæ conscientiæ aures; reus es, reus es, inquiens. Quod si ea peccati vox contineri posset intra mentis abdita, secretosq; recessus, tolerandum utcunq; foret; sed præterea elabitur illa, terris, aere, cæloq; sonat; ad cujus voces omnis creatura excitata, tumultuatur quoque contra peccatorem, vindictamq; quasi spirans contra eundem gemit, & clamat. Quod illis verbis innuere intendit S. Paulus. *Vanitati creatura subiecta est, &c.*

Porrò homo ob mobilitatem passionum suarum, rectè appellari meretur vanitas; cui suffragatur illud Davidicum 38. 6. *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.* Semper quidem, tum verò maximè, quando per peccatum, à summo & immutabili bono, i. DEO recedens, ad vilem, & mutabilissimam creaturam deflectit: & hæc ipsa creatura, licet insensibilis sit ad alia, injuriam tamen communis Creatoris non sentire non potest; hinc ipsi quasi compatiens, iras quodammodo contra injurium suo Creatori peccatorem concipit, vindictam spirat; quam, quia (utpotè lege Conditoris subjecta homini) exerere non valet, propterea ex dilatione ultionis, ingemiscere, & parturire dicitur. 7. *Psal:* Creatura sentit Creatoris injuriã.

Audiamus hac de re, super prædicta verba Pauli elegantissimã S. Anselmi cõmentationem & doctrinam: de stimul: c. 101. *Ex offensione, non solùm iram DEI promeruimus, sed etiam totam creaturam adversùm nos excitavimus: etenim, si servus alicujus à Domino suo recederet, & inimico Domini adhæreret; non solùm ipsum Dominum exacerbaret; sed etiam totam familiam ejus justissimè irritaret: Cùm igitur Creatorem omnium offenderimus, adversùs nos cunctam creaturam, quantùm spectat ad meritum nostrum, in iram commovimus. Potest ergo nobis terra justâ consideratione, dicere: Non debeo vos sustinere, sed potiùs absorbere, quoniam à Creatore meo non timuistis peccando recedere; & inimico ejus diabolo servire, &* 8. *Anselm.* Creaturæ voces, cõtra peccatorem.

adhærere. Potest etiam cibus dicere & potus; non meruistis, ut vos pascere debeamus; imò potiùs ut confusionem, ut necem vobis præparemus: ab illo enim, peccando recessistis, per quem nec ales esurit. Sol quoq; vobis ad salutem non debet lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis, & fons luminis, penitùs se coërcere. Sic & singulæ quæq; Creaturæ contra nos possunt surgere irrefragabili ratione.

Paulus. Hactenus S. Anselmus. Hoc ergo est gemere Creaturam, contra

Blosius. peccatorem; quod asseruerat S. Paulus. Unde devotissim᷒ Blosius disponendo peccatorem ad pænitentiam, taliter ipsum affatur. *Admirare vehementer (ò peccator!) quòd omnia elementa, omnesq; Creaturæ non insurrexerint adversùm te, ut injuriam sui Creatoris ulciscerentur. Obstupesce, quomodo non se aperuerit terra, ut te vivum deglutiret, & ad infernum transmitteret.*

9. Sed parùm est, quod dixit Paulus, gemere, & spirare vindictam, universam Creaturam, contra ream conscientiam; magìs impatientem morarum, quia jam jam armandam ad ulci-

Sap. scendum pro Domino, audio apud Sapientem, Sap: 5. 18. *Armabit* (inquit) *Creaturam ad ultionem inimicorum; & pugnabit pro illo Orbis terrarum contra insensatos.* O quam numerosæ instruuntur contra peccatorem acies! ô quàm metuenda sub tam

Eccl. forti, & potenti Duce, ipso s. DEO castra! Et iterùm Eccli:

Creatura, pugnat pro DEO, contra peccatorem. 39. 36. dicitur. *Ignis, grando, fames, & mors; omnia hæc ad vindictam creata sunt. Bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & rhomphæa vindicans in exterminium impios.* S. Ambr: & August: interpretantur hunc locum; non quasi fuerit primus hic finis creationis eorum; ut censuit Origen: sed quia ex malitia hominum in hunc usum convertuntur, & assumuntur à DEO: quod præsertim fiet in tempore consummationis, seu in die judicij: de quo ibi loquitur Sapiens. Cæterùm Glossa id putat verificari, etiam de facto; quando pugnam hanc elementorum contra hominem, & rebellionem bestiarum, modoprimùm

Gloss. post peccatum in pænam illius accidisse affirmat. *Omnia* (inquit) *homini ante peccatum obediebant, post peccatum verò pugnat contra eum orbis terrarum. Inde fames, & mors, & mille pericula mortis, bestiæ quoq; contra eum sæviunt, & rhomphæa cælestis vindicta,*

Pro-

Probatur **Figuraliter.**

Audisti jam, ô rea conscientia! gemitus, murmura, minas tumultuantis Creaturæ contra te; aures adhuc erige ad voces Sanguinis, innocentissimi Fratris tui, s. CHRISTI, iterùm contra te, veluti adversùs redivivum Caim, de terra acriter clamantis. Meritò hic usurpabo illa verba. Gen: 4. 10. *Vox Sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra.* ait Dominus. In ipsis mundi cunis, & in prima nascentis mundi infantia, peccarat invidus Caim, & fraterno sanguine cruentatas manus infecerat. Obstupuit terra, & erubuit, ubi cruentum bibit imbrem, sanguinemq; humanum hausit; & tam infandæ cædis impatiens, in cælum ipsum, vocem extulit. Hinc illud tonantis DEI fulmen, super fratricidam: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra.* S. Chrysostomus hom: 19. in Gen: paraphrasticè enucleat sensum verborum, quemq; peccatorem in Persona CHRISTI alloquẽs, taliter: *Non homo sum, qui solam illam vocem audiam, quæ per linguam profertur: DEUS sum, qui possum, & per sanguinem audire clamantem, & alibi prostratum, & in terra jacentem. Ecce quoq; volat vox sanguinis hujus, & usq; in Cælum à terra ascendit, & prætercurrens Cælum, Celoq; superiores virtutes, throno assistit, & tuum deplorat homicidium.* 10.

Gen.

Vox sanguinis, quæ, & quàm penetrativa?

Chrysost.

Quis perperàm ibit, quòd Abel ille à fratre suo occisus, genuinus fuerit typus CHRISTI, qui frater noster esse & dici non dedignatus est. juxta illud Mat: 12. 50. *Quicunq; fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater & soror est:* Qui ut ait S. Paulus Hebr: 2. 17. *Voluit per omnia assimilari fratribus suis.* Innocentissimus ille Abel, & frater noster, secundùm eundem Apostolum, toties, iterum atq; iterum à fratribus occiditur, quoties peccatrix anima, novo mortali peccato sauciatur. *Rursùs sibi ipsis crucifigentes Filium DEI.* inquit ille Hebr: 8. 6. Undè peccatum, vulgò dicitur offensa DEI, offensa CHRISTI. Ergo ne putas, ô peccator! Sanguis justi hujus, magis quàm Abel, quia veri Filij DEI, tacebit, nec clamabit in Cælum? minimè. Si enim juxta eundem Apostolum, Sanguini Abel defuncti sua loquella non defuit, quantò magis Sanguis CHRISTI, dabit in cælum voces suas. 11.

Abel, typus CHRISTI.

Matt.

Hebr.

Hebr.

CHRISTUM fratrem nostrum, occidunt peccatores.

12. At inquies. Dabit certè, sed longè alitèr, quàm tu putas: quia non voces vindictæ contra me, sicut olim sanguis Abel dederat contra Caim; sed magis clamabit pro me: nam idem Apostolus asserit *aspersionem Sanguinis CHRISTI, meliùs esse loquentem, quàm Sanguinem Abel.* Hebr: 12. 24. Et ut ait Lobett: de Peccat: *Sanguis hic, non iras spirat, nec vindicem manum inclamat; sed vel maximè, miserationem appellat. Abelis, vel si mavis, terræ, hæc vox fuit: vindica, feri, trucida, macta, perde. At CHRISTI, cæliq; hæc vox: Indulge, parce, miserere, veniam vitamq; dona.* Benè est, ô peccator! & securum te fateor, atq; spondeo, si talis es, ut illi, pro qualibus ibi, loqui benè dicitur Sanguis CHRISTI: videlicet, si ad voces Sanguinis CHRISTI, te ad pænitentiam invitantis, non obsurdescis; si de peccatis pænites, veniamq; per aspersionem Sanguinis CHRISTI postulas, atq; eam per usum Sacramentorum curas obtinere. Cæterùm si impiè, si inverecundè, Sanguinis CHRISTI immemor, & ingratus, CHRISTUM jam ad dexteram Patris sedentem, iterum quasi de throno Majestatis ejus deturbas, in Crucem agis, novis confodis peccatorum tuorum vulneribus; & tamen tanti flagitij tibi conscius, nec minimùm pænitentiam cogitas; imò in spem facilis veniæ, audentiùs peccas; noveris omninò velim, quòd Sanguis Filij DEI, à te iteratò effusus, justæ iræ DEI vindictam, contra te tam impium, ingratum, & crudelem inclamet: ut qui recusasti loquentem audire misericorditer pro te, ad Patrem pro venia, sentias deinceps justissimè te accusantem pro vindicta. Non enim sine mysterio est, quòd ibidem Apostolus, hæc subjunxerit admonitionis verba: *Videte ne recusetis loquentem: si enim illi (s. obstinati Judæi) non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur; multò magis nos, qui de Cælis loquentem, nobis avertimus.*

Hebr.

Sãguis Christi, pro quibusdam bene loquitur, pro quibusdam malè.

13. Huic proposito optimè deseruit, celebris illa querela, quam S. Aug: Ser: 67. de tempore, in Persona Redemptoris, peccatori ipsum mortaliter offendenti, improperat in hæc verba: *Cur me graviori criminum tuorum cruci, quàm illa, in qua quondam pependi, affixisti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in qua tui misertus, mortem tuam*

August.

CHRISTI improperiũ, contra peccatorem.

tuam occisurus ascendi. Huc spectare possunt & illa Davidica verba, quæ Hugo symbolicè in Persona CHRISTI usurpat, alloquendo peccatorem: *Quæ* (inquit) *utilitas in Sanguine meo, dum descendo in corruptionem.* Psal: 29. 10. hoc est, in corruptum peccatorem: qui eo ipso, quasi corrumpit Sanguinem CHRISTI, dum animam suam, quam scit pretio Sanguinis ejus esse comparatam, prostituit peccato. Ait enim Euseb: Emiss: hom: de Latr: *Reus erit non parvi pretij, sed Sanguinis CHRISTI, qui violat, & commaculat animam, CHRISTI Sanguine & Passione redemptam.* Utrasq; has voces, tam s. Creaturæ, quàm Sanguinis CHRISTI, contra peccatores, audiamus in exemplis, quas hactenus tantùm percepimus in discursu.

Hugo. Psal. Euseb.

Probatur

Historicè.

Lobett: T. de Peccat: duas, unam ex antiquis, alteram ex recentioribus, ad utrumq; punctum conquisivit historias: quoad primum, refert de Ibyco Poëta; qui adhuc inter Ethnicos, factus fuit nefandæ cædis reus: scelus illud dum terra tegit & celat, & reticebat omnis ætas hominum, illud aperuerunt garrulæ per aëra volucres; nam homicidam turmatim circumvolitantes grues, crocitatione suâ; sceleris continuò arguebant. Unde in pösteros abijt illud Adagium: *Ibyci grues.* Simile quid contigit cuidam parricidæ, Besso nomine; qui continuò hirundinum garritus, tanquam sceleris occulti se arguentes, videbatur sibi audire: quos dum ferre non posset, arreptâ hastâ nidum petit, disturbat, evertit, & amenti similis, exclamat: An non audis? non capitis, quid mussitent, garriant, clamitent importunæ istæ hirundines. Me paternæ cædis insimulant, arguunt, & damnant. Ecce in exemplo habes, ô peccator! vociferantem contra scelus creaturam. 14.

Aves, prodũt crocitationẽ homicidas.

Alterum exemplum accipe, de voce Sanguinis CHRISTI, ex Vita S. Fran: Borgiæ Soc: JESU. Legimus hunc Sanctum semel, accepto speciali à CHRISTO mandato, adijsse quendam proximè moribundum, sed obstinatum peccatorem; cômonendo eum ad pœnitentiam; quem etiam primâ vice comitatus fuit ipse CHRISTUS, assumptâ Personâ Medici; cohortabāturq; 15.

utrumq; infirmum, per omnia Sancta, ut converteretur; sed dum surdo canunt, ambo recedunt. Iterùm tamen brevi à CHRISTO expeditur Franciscus ad infirmum; quem accedens, commonstratâ eidem Crucifixi effigie, per vulnera, per lacrymas, per sudores, per mortem penduli de Cruce CHRISTI, obtestatur illum, ut pœniteat. Sed in cassum. Quid deinde? Mirum dictu, visuq;: ipsum Crucis simulacrum, veluti sudare, & per manus, pedesq;, per latus, & vulnera copiosum sanguinem fundere cernebatur. Sed & hæc frustra. Tum ipse CHRISTUS de Cruce ægrum allocutus est, commendando quantùm stetisset illi anima ipsius; quidq; pro ea passus esset: sed cùm & hæc in vanum: illudmet Crucifixi simulacrum visum est à Cruce bracchium dextrum revellere; atq; è latere haustum sanguinem in faciem ægri conijcere; adijciendo hæc verborum fulmina. *Hic Sanguis, qui tibi pro salute esse potuit, erit pro condemnatione.* Atq; sic, malâ morte periit. Quæ ergo tibi mens? quis sensus? ô rea conscientia! quæ ad tam validas voces obsurdescens, turpiter in malo stertis, saporosè quiescis; lætaris cùm malè feceris, & exultas in rebus pessimis. Ad tantas voces excute somnum, tolle grabatum, pœnitentiam amplectere, emunda conscientiam, quiesce perverse agere: atq; sic nedum anima tua in DEO, sed DEUS quoq; in anima tua jucundè, & sine omni tædio, quiescet.

CHRISTUS sanguinem projecit in faciem impœnitentis.

Ad conscientiam malâ apostrophe.

PARS II.

SS. MARIA QUIES DEI sine tædio.

16. VUlgare illud inter Scholasticos circumfertur. *Non jacet in molli veneranda scientia lecto.* Et meritò: sicut enim virtuti ita & Sapientiæ dura sunt sua incunabula: non facilè, nec benè eruditum fit, plumescens, & diu in lecto stertens caput; præcipua utiq; ejus, qui aspirat ad Sapientiam, commoditas, insomnium est; libris, non culcitris indormit Sapientia. Sit sanè mundiali sapientiæ hæc indoles: Æternæ tamen, & Cælestis Sapientiæ, aliàs ipsius DEI, alium inesse genium adverto: hæc etenim, dùm per gratiam in Creatura requiescere quærit; molli-

Sapientia, molliter non acquiritur.

molliter nimiùm cubare desiderat, ne suæ quietis vel semel tædeat. Porrò quieverat olim DEUS, ut ante dixi, per gratiam suam in natura Angelica, & humana, quibus illam concreaverat; sed non diu deliciosus ille lectus, ob lapsum utriusq;, abijt in cubile draconum; hinc brevi, dum quoq; postea multiplicarentur inter homines peccata, tæduit quasi hujus quietis DEUM; pænituit eum creasse hominem. Jam tandem hodie æternæ huic Sapientiæ, deliciosissimus & ad omnem quietem accommodatissimus præparatur lectus, dum SS. Virginis MARIÆ purissima creatur anima; quæ quia nullius peccati tumultui, imò neq; proximæ peccabilitati unquam subjecta fuit, commodissimè & sine ullo unquam tædio, per gratiam suam DEUS in ipsa quievit. De quo inquiramus Scripturam.

DEUS molliter cubare amat in anima.

MARIÆ anima, lectus DEI quietissimus.

Probatur

Scripturaliter.

Eccli: 24. 11. dicitur in Persona alterius: *In omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor.* Verba hæc sunt (juxta Expositores) Æternæ Sapientiæ s. Filij DEI, qui sollicitè quæsiturus requiescere in creaturis, per amorem, & gratiam; ibiq; veluti in delicioso oblectari strato, cùm in alijs rationalibus creaturis, nonnisi quasi pertranseundo hospitasset; in sola, & una, se permanenter & jucundè commoraturum promittit: in illa videlicet, quæ esset vera, stricta, non incorruptæ possessionis, (verbo dicam) ex asse, hæreditas Domini. *In hæreditate* (inquit) *Domini morabor.* Per hanc hæreditatem Domini, convenientissimè intelligi posse SS. MARIAM, quis dubitabit? id enim evincunt testimonia Patrum. Nam Greg: Nicom: vocat *MARIAM, hæreditatem universâ substantiâ majorem.* Alb: M. Bibliot: Marian: *hæreditatem Domini antonomasticè.* Philip: Abb: Tom: 2. in Cant: citatum locum S. Scripturæ pertractans, sic ait: *MARIA est hæreditas Domini, in qua moratus est Filius DEI.* Hæc autem sensa Patrum, currunt de MARIA, etiam in ea ratione, quatenùs per gratiam specialiùs, & magis inhærenter, habitavit, & requievit DEUS in illa, quàm alibi; id est, in aliqua alia Creatura.

17. Eccli.

MARIA, hæreditas Domini.

Greg. Greg. Philipp.

18. Porrò gratia, quam in creatione sui Angelus, æquè & homo acce-

acceperant, hæreditas fuit Domini; quia à DEO: & simul fuit hæreditas illorum, quibus fuit concreata: non fuit tamen hæreditas hæc, firmæ, stabilis, & imperturbabilis possessionis; facilè enim transire ab illis; aliàs, amitti poterat, & de facto amissa fuit ab homine, & ab aliquibus Angelorum; quod deplorari justè posset, illis Jeremiæ verbis: Thren: 5. *Hæreditas nostra, versa est ad alienos:* & propterea in illis primis Creaturis, requiem firmam non invenerat DEUS; atq; nõnisi breviter in ipsis, per gratiam suam, pro tunc hospitatus est; loquendo saltim respectivè ad homines, & Angelos illos, qui ceciderunt. Itaq; quoniam in MARIA se commoraturum tanquam in hæreditate Domini appromittit, eo ipso innuit gratiam, quam primò in creatione sui accepit MARIA, fuisse imperturbabilem, perfectæ, continuæ, non interruptæ, & nunquam ullo peccato antea violatæ possessionis.

Thren.

MARIA, hæreditas DEI firmior, quã Angeli &c.

19. Sed tam privilegiatæ hæreditatis suæ, s. originalis gratiæ in creatione sui acceptæ, vult MARIA ampliora producere jura, testes, & tabulas: ut sic meliùs comprobet, in se sola quietissimè requievisse DEUM. Hæc autem omnia diligenter connotata apud Syracidem adverto. Tria illum de hæreditate MARIÆ, symbolicè adnotasse invenio, tribus in textibus: *Primò dùm* (inquit alloquendo quasi MARIAM) *in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Eccl: 24. 13. Iste locus producit jus, seu titulum Mediatricis; quem sanó modo loquendo attribui MARIÆ à SS. Patribus, supra diximus & explicavimus: Tit: *Prima, sine secunda.* n. 31 32. Ex quo autem MARIA genuit CHRISTUM, genuit & Christianos (ut observat hic Corn: à lap:) ideo, quasi electis à DEO, dicitur misisse primas radices. *Et in electis meis* (inquit) *mitte radices.* Hinc prout argumentatur Salaz: c. 21. Sicut ex ea ratione, quia CHRISTUS fuit Mediator hominis contra peccatum, jus habuit liber fieri à peccato originali. juxta illud Pauli Hebr: 7 26. *Talis enim decebat, ut esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Sic quoq; Virgo MARIA, cùm eodem officio, ac munere Mediatricis post CHRISTUM gaudeat, ad omnium peccata delenda; decuit eam maximè, ut non solùm,

Eccl.

Marianæ firmæ hæreditatis in gratia, ratio; quia Mediatrix.

Hebr.

San-

Sancta, innocens & impolluta esset, per omnem actualis peccati munditiem; sed etiam à peccatoribus, eodem sensu, s. quoad originale peccatum, segregatam fore.

Iterum dicit Siracides. ℣. 16. *In parte DEI mei, hæreditas illius.* his in verbis producitur alter titulus s. successionis post CHRISTUM, quem habuit MARIA, ut esset hæres gratiæ originalis. Nec obstat, quòd in jure Civili, successio non ascendit, sed descendit: unde Parentes non succedunt in bona filiorum, sed potiùs filij in bona Parentum: Nam SS. MARIA, ita Mater CHRISTI fuit, quòd simul fuerit & Filia: Mater secundùm carnem; nam verè ipsum genuit: Filia verò secundùm Spiritum; nam omnem gratiam, ex prævisis meritis Filij habuit. Ipsius ergo, & solius MARIÆ hæreditas, in parte DEI esse dicitur; quia quæ partem de carne sua incarnando DEO dedit ut Mater; eadem jure successionis ut Filia, primam deberet habere partem in originali gratia. De quo jure successionis, eruditissimum Salazar audiamus cum alijs sic dogmatizantem. c. 10. *Gratiam originalem duplici titulo B. Virgini decretam, & definitam fuisse à DEO. Inprimis enim æquum fuit, ut filia à Parentibus suis hæreditariam gratiam haberet; ita, ut si Adam acceptam justitiam servaret, eam communi consortio, cum reliquis ejus posteris, Virgo à Parente suo ferret. Rursùs; quia similem ad modum immunitas, & splendor à filijs ad Parentes suos redit; ita prorsùs decuit, ut Mater DEI, à Filio suo, gratiam originalem, & immunitatem ab omni peccati labe, obtineret. Nam quis dicere ausit, Virginem DEIparam ex eo, quòd Adami filia esset, arctiori jure ad gratiam vocatam fuisse, si ipse in justitia perseverasset; quàm ex eo, quòd DEI Mater esset? Ita scilicet (paciscente DEO) factum; ut Virgo ab Adamo Parente suo gratiam acceptam servante, justitiam hæreditariam obtineret; ut hoc titulo deficiente, eandem potiori, & antiquiori jure, à Filio suo longè excellentiùs obtineret. Quapropter inde accidit, ut altero sublato, alter titulus non deesset.*

20. MARIA jure successionis, debebatur gratia originalis.

MARIA simul & Filia CHRISTI quomodo?

Salaz.

MARIÆ gratia, duplici titulo debebatur illi.

Tertius autem locus, ℣. 27. ubi dicitur: *Hæreditas mea, super mel, & favum.* utrumq; priorem locum luculentiùs declarat: nam hæreditatem, seu gratiam, quam accepit B. Virgo in sui Conceptione, favo & melli comparando, ostendit Con-

21. MARIÆ hæreditas, seu Conceptio, mel, favus.

ceptionem MARIÆ immunem fuisse ab omni amaritudine peccati, sed totam in plenitudine dulcedinis cælestis gratiæ extitisse: Cui favet illud S. Joan: Damasc: Orat: 1. de Nat: V. dum ait: *MARIA est dulcedo, quàm Joachim & Anna, tanquam spirituales montes stillarunt.* S. Laur: Justin: Serm: in Annunt: *Ab ipsa namq; sui Conceptione, in benedictionibus est præventa dulcedinis, atq; à damnationis aliena chirographo.* Si ergo ex allegatis rationibus Conceptio MARIÆ, in gratia originali, fuit perfecta hæreditas DEI; & simul immunitas ab omni peccato tot juribus debebatur MARIÆ; & præterea in sola hæreditate Domini commoraturum se promiserat Dominus, jam evidenter sequitur ex supra allegato Scripturæ loco, in Anima Neo Conceptæ MARIÆ, utpote immuni à tumultu peccati, requievisse DEUM placidè, & sine tædio, atq; ita, sicuti nullibi.

Damasc.

Laur.

Probatur Figuraliter.

22. Elegantissimum Typum tam Immacul: Conceptionis B. V. MARIÆ, quàm quòd in illa, eodem creationis instanti, jucundè, securè, & sine omni tædio, quieverit per gratiam DEUS, exhibet ille lectulus Sponsi & Sponsæ, seu Salomonis: in quo duo præcipua considero. *Vnum*, quòd fuerit miræ elegantiæ, quia floridus. *Lectulus noster* (inquit Sponsa ad Sponsum) *floridus.* Cant: 1. 16. *Alterum*, quòd fuerit lectulus, securæ requietionis: de ipso etenim scriptum lego Cant: 3. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Jam communissimum apud SS. Scriptores habetur, SS. MARIAM significari per Lectulum hunc Salomonis, qui idem fuit Sponsi & Sponsæ. Unde infra audiemus, quod frequenter à Patribus appelletur MARIA, Lectulus DEI, Lectulus Salomonis Æterni, i. CHRISTI. Hic ergo Lectulus, dum floridus dicitur, deliciosissimum eum, elegantissimumq; fuisse, facilè inde colligo; & præcipuè in Conceptione sua, ratione summæ innocentiæ. Nam Pet: Galatin: hujusmodi sensum ex Sponsæ verbis eruit: in Persona MARIÆ, CHRISTUM alloquens; in hæc verba: *Quemadmodum ego, absq; originali labe Concepta sum; ita tu quoq; amicus meus: & idcirco, pulcher es, & formo-*

Cant:

Cant:

Lectulus Salomonis, typus Cōcept: Immac.

Galat.

formosus: lectulus noster floridus: hoc est Conceptio nostra est florida, & odorifera, absq; peccati corruptione. Perpende illa verba: *Lectulus noster, hoc est Conceptio nostra florida.* Aliqui legunt. *Lectulus noster umbrosus.* Verè floridus; quia Umbrosus: ut conjiceremus à Spiritûs S. Umbra, Virginis Conceptionem, puritatis floribus non caruisse. Procul hinc inde incestuosum insolentis Cleopatræ cubile, rosarum folijs molliter instratum; nam ex eximiæ puritatis lilijs in Conceptione MARIÆ, paravit sibi DEUS Lectulum, in quo deliciosè requiesceret per gratiam. MARIAE Conceptio florida, sicut CHRISTI.

Sed quia voluit DEUS in MARIA, nedum molliter, sed securè quoque & extra omnem tumultum, ne QUIETIS tæduisset, requiescere: vexilla video, in Conceptione MARIÆ, erigit, instruit castra, & excubias fortium disponit; ut sic omnes insidiæ hostiles & peccati, a lectulo hoc, s. à Conceptione MARIÆ arceretur. *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt. &c.* Quæris fortè, quænam hic videam vexilla? audi MARIAM de seipsa testantem. Cant: 2. 4. *Ordinavit* (inquit) *in me charitatem.* Alia versio legit: *Vexillum ejus, super me charitas.* Vexillum ergo MARIÆ, charitas ardentissima fuit, quâ in primo creationis suæ puncto exarserat in Creatorem suum: de quo vide Tit: Columba n. 29. & hæc sola terruit hostem, abegitq; ab ea peccatum; quod omninò incompossibile est, cum actu charitatis DEI. Pulchrè, & ad rem nostram accommodè, interpretatur hunc textum Scripturæ Mich: Gislerus, in hæc verba scribens: *Quamvis aliquibus præstitum, sit tantâ sanctificatos esse gratiâ, ut ab omni actuali peccato immunes essent, mortali saltem; quod repugnans est gratiæ. MARIÆ tamen duntaxat exhibitum est, eo pacto vexillum charitatis, ut per eminentissimam gratiam, nec originale contraxerit, nec actuale.* 23. MARIA in Conceptione secura. Cant. MARIAE vexillū, charitas, quâ exarsit in Cōceptione. Gisler.

Vexilla hæc, jam sequuntur cohortes, & castra. *En lectulum Salomonis 60. ex fortissimis Israel ambiunt:* ut pro Lectulo s. pro immunitate Conceptionis MARIÆ, fortia agant. Per castra hæc intelligo Ecclesiam DEI, tam militantem, quàm triumphantem: de ipsa enim dicitur illud, Cant: 6. 3. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* In militante, tot cohortes pro tuendo hoc Lectulo recenseo, quot ordines Assertorum Imm: Concepti: 24. Cant.

MARIAE Cõcep. Imm. tuentur castra, quæ

Virginis MARIÆ numero. Stat itaq; primò veluti cataphractorum fortissima acies; Summ: nempe Pontificum sensa & decreta, huic mysterio favorabilia; præsertim Alexandri V. Julij II. Alexandri VI. Sixti IV. approbantium opinionem Minorum, & Festum Imm: Conceptionis cum speciali officio instituentium. Item authoritas Conciliorum; utpotè Constantinopolitani II. sub Agathone, & Basiliensis: sed præcipuè Tridentini; quod Seſſ: 5. expreſsè protestatur, non esse suæ intentionis, comprehendere Decreto, in quo de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam V. MARIAM. Levioris tandem armaturæ militum, ingens succedit multitudo; tot f: SS. Doctorum, qui statim à primordijs Ecclesiæ per omnes hucusq; ætates tutati sunt nostram opinionem: quorum elenchum facilè invenies apud nostrum Carthagenam, Escobar, Salazar, & apud alios Recentiores.

25. Castra DEI hæc sunt in terris; sed de Cælis quoq; novas descendere quasi acies video, pro tuendo Immaculato Ortu MARIÆ: dum tot lego cælitùs exhibita hujus veritatis testimonia, per miraculosas apparitiones, atq; revelationes; inter quas præcipuæ sunt illæ, quas habuit B. Maria de Agreda, B. Angela, filia Regis Bohemiæ nostri Ordinis: S. Theressia à JESU Carmel: S. Mechtildis, S. Birgitta l. 5. Revel: in fine, & l. 6. c. 9. quas revelationes per extensum invenies apud cit: AA. Si itaq; Cõceptio B. V. MARIÆ, ex jam deductis, tàm deliciosus, tam benè præcustoditus fuit Lectulus, & tam validis cinctus excubijs, contra peccatum; omninò asserendum venit, in anima Neo-Conceptæ Virginis, longè molliùs, quàm alibi, longèq; quietiùs, securiùs, adeoq; sine omni tædio, DEUM per gratiam suam, requievisse.

MARIAE Imm. Conceptio revelatur.

Probatur Doctoralitèr.

26. S. Pet: Damian: in Assump: *Cùm fecerit DEUS omnia opera sua valdè bona, hoc meliùs fecit, consecrans sibi in MARIA reclinatorium aureum. In qua sola, se post tumultus Angelorum & hominum reclinaret, & REQUIEM inveniret.* S. Bern: Ser: T. 3. S. de Assum: *MARIA REQUIES CHRISTI, non tantùm, quia in ea novem mensibus requievit; verumetiam, quia plùs, per quietum amorem requievit in*

vit in ea, quàm in tota rationali Creatura. Pet: Cell: tom: 12. Bibl: Patr: explicando illa verba vatis Psal: 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ:* sic ait: *VERBI incarnati REQUIES est, in carne nullam carnis contradictionem, nullam membrorum legem, legi mentis repugnantem sentire.* Quibus verbis (ait Escobar: l. 4. de Conc: Sec: 2. n. 119.) vult iste Doctor originalem justitiam CHRISTI exprimere. Et postea idem Cellen: adjicit. *In hanc igitur REQUIEM suam, surrexit Verbum Incarnatum; & non solùm Verbum, sed & Arca Sanctificationis suæ, videlicet Mater sua.*

Philip: Abb: l. 4. in Cant: c. 2. *MARIA Lectulus, amoris gratiâ, Salomonis obsequio sic addictus, ut in se quempiam alienum, QUIETEM capere non permittat, & intra mentis angustæ continentiam, hostem subdolum, vel ad modicum non admittat.* Dyon: Carth: in Cant: art: 12. *MARIA Lectulus Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: statim enim, ac Utero Matris suæ concepta est; DEUS Trinitas, illam Angelis Sanctis custodiendam commisit, eamq; frequenter vallavit & honoravit multitudo Cælestis militiæ; non tam ob indigentiam, quàm ob reverentiam ejus.* Aloys: Novatinus in Umbra Virg: n. 511. *Hæc Creatori suo, REQUIEM dedit, ut ad eam, post aliarum Creaturarum tumultus, REQUIEM capturus diverteret. Quid? ipsamet Angelorum QUIES & pax, Virginea QUIETI comparata, tumultus, strepitusq; DEO videbatur.* 27.

Probatur Miraculosè.

Ex authenticis instrumentis Archivij Burgensis, & ex processu originali, refert R. P. Basil: Rychlewicz, Ord: Min: Conv: Polonus, in Crisi Apologetica pro morte Scoti, c. 11. de Vnbili Matre Joanna Roderica Ord: Nostri, quæ floruit nuper elapsis annis: nam obijt A. D. 1650. in Conventu S. Claræ Civitatis de Burgos in Hispania, benè probatæ perfectionis, exemplum miraculosum. Hæc Venerabilis Sponsa CHRISTI, in revelationibus suæ vitæ, quas scripsit obedientiæ voto adstricta, refert inter alios favores ipsi oblatos à Domino, unum fuisse; scilicet, quòd descenderat cum S. P. N. Francisco in purgatorium, die festo Portiunculæ causâ educendi animas, quas illi DEUS 28.

S. P. Franciscus associatus Scoto cũ labare Imm: Concep. descendit ad Purgatoriũ, liberãdi gratia animas à pœnis.

DEUS concesserat liberandas: retulitq; illud, quod in visione illa videbat; dicens: descendisse Seraphicum Patrem cum quodam signo, aut vexillo, cujus insignia erant ex una parte Passionis CHRISTI, Redemptoris nostri; ex altera Imago Conceptionis Immac: B. V. MARIÆ; & venisse ad hanc functionem associatum Subtilissimo Scoto, defensori originalis innocentiæ Matris DEI. Subjungit cit: Author, quod per hoc declarabatur, quomodo omnes concessæ gratiæ, etiam ex speciali respectu defendendi in Ordine Nostro mysterium Conceptionis Immac:, emanant hâc die: s. in Festo Portiunculæ.

29. Sed tu ô bone Lector! præterea agnosce hinc indolem MARIÆ; quàm pia hæc Mater, imò Regina! quæ secundùm S. Bern: Sen: dominatum tenet in Regno purgatorij: Novit illa tædia inquietudines animarum illarum afflictarum, anhelantium ad REQVIEM cum DEO; novit & ipsius DEI, qui omnes vult salvos fieri, desideria, ut seipso quantociùs impleat eas, quas sibi elegit animas: ergò ad clariùs comprobanda Immacul: sui Ortûs testimonia, & privilegia, illas animas sub labaro Imm: Conceptionis suæ, ad REQVIEM sempiternam, deduci amat: ut sicut ipsa in puncto suæ Creationis perfectissimam in anima sua exhibuit DEO REQVIEM, pariter sub ejusdem Mysterij titulo, & patrocinio, tædia illa animarum solvantur: quatenus per unionem beatificam, & ipsæ in DEO, & DEUS in ipsis æternaliter requiescant.

MARIA, quám pia Mater animarum purgatorij.

Probatur **Scholasticè.**

30. *THEOL:* Agens intellectuale propter finem, non requiescit, nisi producto quàm simillimo sibi effectu: semper enim assimilationem sui intendit: quod patet etiam in DEO, in generatione Filij à Patre, ad intra; ad extra verò, in productione creaturarum. hinc S. Amb: l. 6. Hexam: c. ult: docet; ideò DEUM requievisse ab operibus die septimo, quia jam fecerat hominem ad imaginem & similitudinem suam. Sed Anima B. V. MARIÆ in primo instanti Creationis suæ, fuit perfectissima Creatoris sui similitudo; imò Imago: ut latè probatum habes suprà Tit: *Imago sine nævo.* Item *Facies sine ruga.* Ergo in Creatione

Agens intellectuale, intendit assimilationem.

MARIA DEO simillima, in Conceptione sua

tione B. V. MARIÆ, adeoq; in Conceptione ipsius, per gratiam summam illi infusam, perfectissimè quievit DEUS; qui est Agens primum intellectuale; agens dico, propter finem. Ergo B. V. MARIA, justè dicitur in Conceptione sua, fuisse QVIES DEI sine tædio. *Confirmatur* verbis Joan: de Agacijs pervetusti & docti Authoris, citatis ap: Umb: Novar: n. 209. *Sicut (inquit) Eva fuit similis Adæ ad corruptionem; ita B. V. MARIA, similis fuit CHRISTO, quoad reparationem: & sic necesse fuit, ut esset à peccato immunis, sicut & ipse CHRISTVS.*

ETHIC: Antiquioris nostrorum Polonorum Ethicæ, dogma seu proloquium memorandum, hucusq; in Regno nostro circumfertur tale: *Quemq; Polonorum Regum in sinu cujusq; Nobilis Poloni, securiùs posse quiescere, quàm mille circa se excubantibus cataphractis.* Id autem dictum est, ad exprimendam nunquam violatam fidelitatem, quam præstare solent Poloni suis Regibus, quos liberè eligunt; quamdiù electi piè & justè regnant. Porrò B. V. MARIAM, S. Ansel: & S. Bern: Sen: Tom: I. S. 61. appellat, *Nobilem, imò nobilitatem populi Christiani, & generis humani.* Deinde S. Method: hom: Festi Purif: vocat eandem. *Sinum exiguum, immensi illius sinûs, omnia in se cõcludentis.* S. Ernest: Prag: c. 22. *Sinum securitatis, & tranquillitatis.* Cùm ergo Nobilis hæc Virgo, sinu suo suscepisse DEUM dicitur, eo ipso evincitur, nullius usquam infidelitatis in DEUM, seu peccati fuisse ream; sed potiùs, quòd semper, & omni momento, secura & tranquilla QVIES DEO suo extiterit. 31.

Poloni nobilis sinus, quies Regum securissima.

Ansel. *Bernard.* *Meth.* *Ernest.*

MARIA Nobilis, Nobilitas, sinus securitatis, sinus DEI.

SYMB: Apud Pier: Hierogl: l. 52. c. 36. ex Macrobio lego, Ægyptijs morem fuisse, dum vellent quiescentem exprimere DEUM, pingebant quandam arborem, Lotos dictam; quæ, juxta Cnapium, coincidit cum Heliotropio: idq; ob quandam miram naturæ Symphatiam cum Sole: quia semper sequitur Solem; quem illi Deum esse fingebant. Arbor hæc adæquatissimum est Symbolum B. V. MARIÆ Immac: Conceptæ: unde depictæ in tabula serviret Lemma. *Semper Socia Solis:* Hoc enim titulo honorata est B. Virgo à Dyon: Carthus: l. I. de laud: V. art: 24. Nunquam enim vel pro minimo existentiæ suæ puncto, à Sole Justitiæ s. DEO vel in sua, vel in aliena s. 32.

MARIA Socia Solis.

Proto-

Protoparentum suorum voluntate, fuit aversa: rectè ergò non jam Symbolum QVIETIS DEI, quàm ipsa perfectissima QVIES DEI appellanda.

33. *POES:* Conditor expetij mihi mox ab origine mundi,
Ut REQVIES lasso posset inesse DEO:
Nam quodcunq; creavi, me turbaverat illud;
Quando rebellarunt Angeli, & (heu!) homines.
Unica pausa DEO, Mater mî lumine grata;
Tu nova sis REQVIES, Mater, Amica, Soror.
Nam nihil in Te triste fuit, nil turbine motum:
Virgo tua surgam de REQVIE in REQVIEM.

34. *PROG:* *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.*
ANAG: Tu Agni DEI, mera mansio, actu almè pura.
Mansio, de partu Agni, verè Immaculata.
Grata DEI pausa Mater, una lumine mico.
Heroicum. Unica pausa DEO Mater, mî lumine grata.

35. *Probatur* Historicè.

Chares Mitylenæus apud Athenæum memorat, Reges Persidis eo fuisse prolapsos deliciarum, ut ad caput cubilis sui Regij conclave haberent eâ capacitate, quòd quinq; millia talentorum auri in illo asservarentur: sunt nostro calculo (juxta computum Drexelij) bis millies milleni, septingenties quinquagesies mille coronati. Hoc autem conclave, *Cervical Regium* appellabatur. E regione verò hujus, aliud fuit conclave, in quo tria millia talentorum argenti, deposita habebantur: sunt nostræ monetæ coronatorum millies milleni & octingenties mille. Atq; hoc scabellum, Regis suppedaneum solebat vocari. Hoc tamen tam sumptuosum cubile, nec somnos dulces conciliabat, nec QVIETEM, nec gravibus curis, levabat Regem Persarum; quinimò ipsum, veluti tantarum opum mancipium, aureâ vinciebat compede, avidas rapinæ mentes, oculos & manus Macedonum ad prædam provocabat, armabatq; in Regis exitium: ut observavit Oliver: Bonart: in Eccli: 24.

Cubile Regum Persæ, quàm pretiosum.

36. O vanos, etsi immensè sumptuosos, mortalium conatus! nobiliùs longè & sine comparatione præstantiùs, Rex Cæli & terræ

terræ DEUS, QUIETI suæ adinvenit præparavitq; cubile, & sumptuosiora disposuit sibi (ut ita dicam) cervicalia, dum creavit B. V. MARIAM. quod ne de corde meo cuipiam videar excogitasse, adduco S. Albertum M. in Bibliot: MARIÆ. qui pertractans illud Marc: 4. Erat ipse in puppi super cervical dormiens: appellat MARIAM, *cervical omnium virtutum, in quo Filius DEI talem* REQUIEM *invenit, qualem nullibi.* Nec quidem mirum; nam ut tantò commodiùs cubasset in illa, primò per gratiam, deinde per Incarnationem; ad caput cubilis hujus, id est, in capite, seu in primo puncto Conceptionis ejus, plusquam de quinq; millionibus talentorum auri providit; dum ex prævisa abundantia meritorum Passionis suæ, & ex illis quinque vulneribus in Cruce; quæ Hartüg: Dom: in Alb: quinque talenta appellat, tanquam ex inexhausto gratiarum thesauro, primam originalem gratiam, præservantem eam à peccato, elargiendam ipsi conciliavit.

MARIA, cervical Christi.

Alb: M.

Marc.

Christi 5. vulnera, talenta 5.

EPILOGUS.

Ergò, ô immaculatissimè Concepta Virgo! ô jucundissima! ô securissima QUIES, DEI Nostri! in qua sola, extra omnem tumultum, & turbas peccati, Rex Magnus, Rex pacificus, omni momento per gratiam suam requievit; utinam corda, animæq; nostræ requiescant in Te: Nos miseri, quia semel tumultuavimus contra DEUM in Adam, nunquam in QUIETE sumus: ut dixit querulè Bernardus in Matt: 19. *Nihil* (inquit) *in me sedet, sed cuncta in motu sunt, omnia nutant, fluctuant universa; ubi concupiscit caro adversùs spiritum, spiritus adversùs carnem; quidnam hominis sedere videtur?* Tu verò, ô Immaculatè Concepta! quæ QUIES facta es DEI tui, homines quoq; ad REQUIEM tuam admittere non dedignâre. Te etenim Alb: M. sup: Missus c. 160. appellat QUIETEM *laborantium.* S. Germ: orat: 2. de dorm: *Respirationem narium nostrarum s. animarum,* Rich: Laur: de laud: V. l. 10. REQUIEM *opulentam, quæ promittitur populo fideli.* Isai: 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in* REQUIE *opulenta.*

37.

Votum Authoris.

Bernard.

Maria, Quies laborãtium, respiratio, requies opulenta.

Alb: M.

Germ.

Richard.

38. Ad Te itaq; & de Te liceat illa usurpare verba dilecti tui Bernardi; licetsi in alio sensu s. anagogico, de Cælesti Patria ab illo dicta. *O Sessio! quis mihi tribuat, ut dignis exprimam verbis, quod de sessione hac, cordis affectione concipio! Imò quis mihi tribuat, sessionis hujus imperturbatâ frui* REQUIE, *quam desidero, quam cupio, quam requiro.* Fave ergo ô Immaculatè Concepta! ô Alma QUIES DEI! ut cor, & caro nostra, contra omnes nequitiæ, sathanæq; tumultus, requiescat in Te, seu in spe latepatentis Potentiæ, & clementissimæ Providentiæ Tuæ: ut tandem devoti cultores immaculati Ortûs Tui, post luctus tumultusq; hujus sæculi, in pace æternare quietionis tuæ consortes facti, jubilantes respiremus; etiam inibi decantaturi dulce illud Epicinon.

Bernard.

Io! vivat Sanctissimæ DEIparæ Immaculata Conceptio.



ROSA



ROSA, sine Spina, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

Virum MARIÆ, de qua natus est JESUS. Matt: 1.
Ego, quasi plantatio Rosæ in Iericho. Eccl: 24.

ETiam (ut video) Genealogiæ CHRISTI, & MARIÆ, Sacer Chronologus, dum inenarrabile Secretum novæ Generationis eorundem, scilicet DEI in carne, Matrisq; ejus, Evangelico delineat calamo, morem quodammodo Antiquis usitatum sequitur; qui secretiora quæq; relinquebant sub ROSA: vulgariter usurpantes illud: *velim, sit hoc sub* ROSA. NN. Arcanum enim Arcanorum, & mysterium mysteriorum, dum per multas generationes Divus Evangelista pandidisset, totum tandem veluti sub ROSA posuit, dùm conclusit in MARIA, Matre JESU. *Virum* (inquit) *MARIÆ, de qua natus est JESUS.* Hæc etenim de se ipsa ait: Eccl: 24. 16 *Ego quasi plantatio* ROSÆ *in Jericho.* Et utiq; satis usitatum est apud Patres, B. V. MARIAM, ROSAM appellare. Si ergo ROSA, arcanorum sigillum, & taciturnitatis symbolum est; itaq; & MARIA: maximè, quia juxta Io: Trithem: l. 1. de Mir: B. V. *Ipsa quoq; dicitur Arcanum totius perfectionis.* Et juxta S. Damasc: in Canon: SS. DEIp. *Mysterium peregrinum, atq; horrore*

I. — Rosa, sigillum secreti. — MARIA Rosa, cur? — Trithem. — Damasc.

MARIA, Arcanum, secretum inenarrabile. *rore plenum*. Atq; inde forsitan factum est, quòd S. Matthæus, nominatâ Mariâ, illicò stylum præcidens, nil ampliùs deinceps, vel si aliquid, id valdè summatim, in ulteriori contextu Evangelij scripserit de MARIA. Ex quo ipso S. Th: Vill: Ser: 2. de Nativ: colligit MARIAM, esse quoddam Arcanum inenarrabile; dum ita ait: *Mihi hæsitanti, nihil occurrit; quàm ita placuisse Spiritui S. ejusq; providentiâ, Evangelistas siluisse, propterea; quia Virginis gloria, sicut in Psalmo legitur: Omnis gloria ejus ab intùs: & magis cogitari potuit, quàm describi.* Tantæ excellentiæ est laus MARIÆ, ut qui de ea loqui cogitat, necessum est, ut aut Rosas, liliaq; (ut ajunt) loquatur, aut balbutientem, Rosâ obsigillet linguam.

Thom: Vill.

2. Mariæ Conceptio, inter arcana illius, primum. Porrò magna licet omnia in MARIA, & inassequibilium mysteriorum plena sint; nihilominùs instans illud primum Creationis, seu Conceptionis ejus, omnium arcanorum, mysteriorumq; vitæ ipsius, atq; privilegiorum, non postremum dici meretur: quod quantò ex profundioribus abyssis Divinorum consiliorum prodijt; tantò magis ingenia mortalium acuit, affectus zelatorum pro Immaculato Ortu MARIÆ inflammat, linguas erudit, & calamos; novos, & novos suggerendo modos, investigandi, explicandi, tuendi, elogizandi, eximium hoc & arcanum Immac: Conceptionis ejus mysterium: ita ut nihil jam sit inter Orthodoxos, quod magis delectet pias animas, quàm cogitare, quàm loqui, quàm scribere de Immac: Conceptione MARIÆ.

De Cōceptione MARIæ agere, delectat.

3. Ergò ne hodie tam jucunda, tam magna mysteria, dùm penè violenter de cordibus, & linguis devotorum prorumpere volunt; manebunt sub silentij, taciturnitatisq; Rosa? Sit sanè, & maneant nunc quoq; sub Rosa; sed longè aliter. Quia ut cit: S. Thom: Vill: causam explicans breviloquij Evangelistarum de MARIA, ait: *Non eam tibi Spiritus S. descripsit; sed tibi eam animo depingendam reliquit.* Et S. Birgittæ sciscitanti, cur mysterium Imm: Conceptionis B. V. necdum sit clarè revelatum? responsum cælitùs fuit; ut interea piorum affectus & conatus, cujusq; devotionis in MARIAM exercerentur. Hinc audebo & ego quamvis (ut cum D. Hier:

Th: Vill.

De MARIA cur breviter in Evangelio?

Hier: de ass:) fatear, me indignum esse loqui de tali, tantaq; Virgine; nec lilia aut ROSAS ore pandere, saltim balbutienti linguâ sub ROSA, id est, sub symbolo ROSÆ, dicam de Arcano & abyssali Imm: Conceptionis ejus mysterio: id est, ROSAM sine spinis originalis pecati, prædicabo MARIAM: præmisso Morali discursu, de spinis, quibus incauta quorundam corda, à rosea venustate corporum, interdum lancinantur. Breviter nunc saluto Neo-Conceptam. Propositio

Ave Virgo speciosa, Vernans semper flore ROSA:
Ex spineta prodiisti; Spinâ tamen caruisti.

PARS I.

Venustas corporis, spina cordis.

MAgnus ille Basilius hom: de Parad: testatur de seipso, quòd nunquam potuerit conspicere florem ROSÆ, sine quadam interna dolentis animi commotione: ait enim: *Quoties hunc florem video, peccati mei admoneor, propter quod terra, ut spinas, & tribulos germinaret, condemnata est.* De causa hujus mæroris, aliquid explicatiùs invenio apud S. Ambr: l. 3. Hexamer: c. 11. *Surrexit* (inquit) *ante floribus immixta teneris sine spinis* ROSA, *& pulcherrimus flos sine fraude vernabat; postea spina sepsit gratiam floris, dum audivit.* Gen: 3. *Maledicta terra in opere tuo -- spinas, & tribulos germinabit tibi.* Ex his ergo sensis Patrum collige, spinam in ROSA, esse effectum peccati. ROSA juxta Pier: Hierog: l. 55, c. 8. pro venustatis Symbolo ab antiquo habetur: idq; puto, ne dum ratione pulchritudinis & coloris, quem veteres sanguinem esse Veneris ex icto pede distillatum imaginabantur; sed præcipuè ratione adnatarum flori spinarum, seu aculeorum; pulchritudo enim, præsertim mulierum etiam nolentium, spectatores suos concupiscentiæ ictibus pungit, licet blanda videatur; imò quò venustior est, eò fædiùs vulnerat inspectores sui. Hic autem aculeus, cordis alieni punctivus, non aliundè, nisi quoq; ex spina peccati

4\.
Basil.
Ambros.
Rosa ante lapsum Adæ, sine spinis fuit.
Pier.
Rosa symbolum venustatis, cur?

primi Parentis prodijt; estq; in nobis genuinus originalis culpæ effectus, perquàm molestus & perniciosus. quod

Probatur Scripturaliter.

5\. Sagacissimus ille morum Director Siracides, inter alia, quæ à Spiritu S. hauserat bene instituendæ vitæ dogmata, singulare quid de custodia oculorum, cuiq; adolescentûm tradidit, in hæc verba: *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris* (id est juxta Cornel: in ruinam luxuriæ traharis) *in decore illius.* Eccli: 9. 5. Romani ex Græco legunt. *In decoribus ipsius.* Virgini enim (ut observat cit: Cornel:) suus decor, multiplex est. *Primus*, ætatis florentis; *Secundus*, sexûs fæminei; *Tertius*, Virginitatis; *Quartus*, elegantiæ vestium & cultûs. Postea idem Siracides, ad clariùs demonstrandum, quàm perniciosè, quàm acutè pungant animas visæ pulchritudines; subdit. ℣. 8. *Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit.* Ex hoc loco, SS. Scriptores contra incautos oculos, plurima & pulchra eruunt argumenta, & congerunt pernecessarias doctrinas; idq; tam ex veteribus Ethnicis, quàm ex SS. Patribus.

Eccli. — Virginis decor quadruplex. — Oculorum custodia commendatur.

6\. Ex Ethnicis, adducitur Leucippus ap: Anton: de Melissa inquiens: *Pulchritudo, acutiùs, aut si malis, velociùs vulnerat, quàm sagitta, & per oculos in animam influit.* Teocritus apud Laërt: in vita Aristotelis, formam, vocat *Eburneum detrimentum.* Servius in lib: 8. Æneid: Formam, deducit à Forvo; quod calidum significat: quod ipsum & Nonius Marcellus ex ethymo autumant. Imò Donatus, S. Hieronymi olim præceptor, inquit: *Veteres ignem, & calorem, quendam quasi fervorem dixerunt formam: & hinc, fornaces, forcipes, formam & formosos, ex quibus amor efficitur, appellavêre.* Quocirca apposité ad culpam, Zeleucus, Locrensium Legislator, adulteris oculos eruendos sanxerat, ait Plut: 5. Symphos: cumq; ejus filius in adulterium incidisset, ut pœnam non mitigaret, sed divideret, unum oculum sibi, alterum filio erui jussit. Et rectè:

Oculi, velociùs vulnerant, quàm sagittæ. — *Donat.* — Oculi adulteris eruebantur. cur?

Oculi

Oculi enim sunt in amore duces; & ut ait S. Petrus ep: 2. c. 2. *pleni adulterij & ineffabilis delicti.* Oculos autem sequitur imaginatio, imaginationem cor, & amor. *Tim.*

7. Si tam benè alienam formam, intuitumq; ejus oderāt & damnarant Ethnici, quantò magis Orthodoxi Sanctiq; Patres. Placeat aliquorum super hoc audire salutis monita. S. August: in Reg: 1. c. 21. ad finem primi Tomi, inquit: *Oculi etsi jaciuntur in aliquam fœminarum, non defigantur in illa; quia sicut scriptum est. Abominatio est Domino, defigens oculum.* S. Hieron: illa verba Job: 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* profundè pertractans, rationem eorum reddit, dicens: *Ne priùs incautè aspiceret, quod postmodum intùs amaret. Nam semel species formæ, cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Intueri non debet, quod non debet concupiscere: ut munda mens in cogitatione servetur, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam.* *August.* *Hieron.* Videre non licet, quod desiderare est vetitum.

8. Eandem Jobi cautellam miratus, quoq; S. Chrysost: Serm: de Joseph Patr: in 1. Tom: ait: *Job, diabolum videns accedentem non fugit, sed mansit sicut leo, viribus fidens: virgine autem visâ, non stetit; neq; moratus in intuenda pulchritudine, sed statim secessit.* Congruit & illud Nazianz: in Distich: ubi quandam petulantem, etiam in seipso adducens exemplum, taliter alloquitur: *Virgo & oculis, & abditis corporis Virgo esto; nec marem ullum, curatorem tibi adsciscas. Christum amicum habes. Viros omnes aspernare. Quid tibi mortiferum toxicum intùs habere opus est? Et quidem in hac canitie, corpus lanio, oculos premo, diurnis nocturnisq; curis, ter miseram animam conficio, ut eam è flamma extraham: ne sic quidem tamen, nisi ad modum ægrè, corpus in potestate teneo. Quânam ergo fronte tu. &c.* reliqua verba ap: Cornel: hic, invenies; ego jam non moror in Scriptura, cùm satis clarè ex hoc textu per SS. Patres declarato pateat, quàm perniciosa senticeta, quàm acutos & altùm penetrantes aculeos cordium habeat, conspecta alienæ venustatis Rosa. Damna hæc animarum cerne adhuc in Figura. *Chrysost.* Virgo conspecta, terribilior diabolo. *Nazianz.* Oculi etiam perfectissimis custodiendi.

Proba-

Probatur Figuraliter.

9. Plenus olim Cælesti Entheo Salomon, cùm jam bene investigasset, deprehendissetq; quorundam impiorum secreta conventicula, seu conciliabula, qui sapientiæ virtutisq; expertes, cum insipientia, vitijs, imò cum ipsa morte inierant fædus; pergit sensa, moresq; eorum describere talibus verbis: Sap: 2. 1. *Dixerunt, cogitantes apud se non rectè: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis. &c.* Tandem, quasi volens explicare, quibus gradibus illi conjurati proruêre, in barathrum flagitiorum, & præsertim luxuriæ; unius illorum, præ cæteris sceleratioris, invitantis socios ad nefanda, hujuscemodi refert verba: *Venite coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* ℣. 8. His ultimis verbis, sat luculenter fassi sunt isti desperati homines, adeò seipsos acribus Cupidinis stimulis fuisse punctos, ut impotentes Veneris coërcendæ effecti, in omne libidinis genus ipsi laxaverint fræna. Scirene cupimus, quibus gradibus itum fuerit in tam magnum profundum malorum? & unde tam noxia, usq; ad medullas animæ penetrantia, in ipsos proruperint Cupidinis tela? Rosas quærite, facile has spinas, aculeos, & tela invenietis.

Sap.

Ab aspectu lascivo, itur in profundũ peccatorum.

10. Observate quæso, quòd antequam illa Veneris mancipia, se sauciatos illicitis amoribus faterentur; Rosis se primò coronârint. *Venite* (inquit) *coronemus nos* Rosis. Et quid proderat coronari Rosis? Si voluptati vacare lubebat, & exquisitiora Veneris incentiva adhibere mens ipsis fuerat, rosei floris, seu odor, seu pulchritudo, minùs congruum medium videbatur. Arist: enim 3. Ethic: c. 10. quandam vim contra libidinem, Rosis attribuit; dum negat esse intemperantes, qui odoribus rosarum gaudent: cui favere potest & ratio physica, ex ipsa natura Rosæ; quæ à Bethonicis asseritur esse frigidi temperamenti. Pulchritudo etiam floris istius, qui citò flaccescit & marcet, secretè quasi, admonere ipsos poterat, transitoriæ, & momentaneæ voluptatis, hoc enim S. Fulgent: l. 2. Mytholog:

Arist.

Rosa, cõtragia libidini.

Fulgent.

Mytholog: observavit in Rosa; dum ait: *Sicut* Rosa *delectat quidem, sed celeri motu temporis tollitur: ita & libido, libet momentaliter, & fugit perenniter.*

Sed mysteriosè (ut video) & sub pseudopoliticorum dicteriorum involucris, seu Venereis Symbolis (quod usitatum est lascivis) perniciosa cordium suorum inventa, hi scelerati homines, sibi adinvicem pandunt, & communicant; dum inquiunt: *Coronemus nos* Rosis. Subtiliter enim satis advertit latens sub cortice, vel aptiùs dicam, sub folijs harum Rosarum, secretum, Joseph: Steph: de Rosar: B. V. c. 3. citat: ap: de Aponte hic: videlicet voluisse hos nefarios, per Rosas significare venustas Virgines, formosasq; puellas: quod etiam sensisse S. Hieronymum, dum scriberet in Joel: c. 3. idem Author testatur. Unde quando dicunt. *Coronemus nos* Rosis, *antequam marcescant:* ad aspectum, ad amplexus Virginum, antequam decorem ætatis, floremq; deponerent, se mutuò invitabant. Jam ergo, dum audis miseros illos homines impudenti ore & inverecundâ fronte, gloriabundè protestari, seipsos ad omne libidinis nefas esse paratos. *Nullum pratum sit* (inquiunt) *quod non pertranseat luxuria nostra*; tantam illorum insaniam mirari desine. Rosas amabant, Rosis se coronabant, & implectebantur; hoc est, lascivis formæ alienæ vacabant primùm aspectibus, deinde alijs cum ipsis indulgebant irritamentis; Rosæ verò istæ spinas habebant, acriter spectatorum corda pungentes; hinc non mirum, quòd Rosarum harum aculeis icti mortalitèr in anima, tam insanè in omne carnis scelus se prostituerint. Habet enim aculeus iste, quòd semel cordi ex visu alienæ formæ infixus, diu hæreat, renovatisq; in imaginatione objecti visi ictibus, vulnus cordis dilatet, purulentiam concupiscentiarum augeat; & tandem animam igne illicitarum voluptatum consumptam, perire faciat.

II. Lascivi, mysteriosis inter se coutuntur verbis.

12. Chrysost.

Benè rem nostram prosequitur, & quasi concludit S. Chrysost: in hac materia differens: hom: 3. de verb: Isa: dum ita ait: *Proinde ne spectes temporaneam illam, quæ ex aspectu oritur, voluptatem: nam illa inflicto vulnere plerumq; celeriter avolat, at vulnus non*

Vulnus ab oculo, quàm periculosū. *avolat, sed plerumq; manet, & interficit: Et quemadmodum cerva confixa jaculo in vitali corporis parte, etiamsi venatorum effugerit manus, nihil inde fert lucri: sic & anima accepto concupiscentiæ jaculo è lascivo, curiosoq; aspectu, etiamsi cum jaculo permittatur abire sine opere, tamen ipsa per se corrumpitur ac perit.*

13. Hinc ortum habet, quòd nonnullæ puriores animæ, non propriæ duntaxat, sed alienæ quoq; pudicitiæ consulentes, ne venustate corporis sui pungerent aliena corda, animasq; intuentium formâ sua fædarent, majori odio formam sui corporis aversatæ sunt, quàm moderni sæculi filiæ, eam amore, & studio unquam prosecutæ sunt: Breviter memoro heroica quarundam hoc in passu exempla: quale est illud ap: Fulgos: l. 4. c 5. de Sacris Virginibus; quæ captâ Ptolomaide, ne libidine Saracenorum fædarentur, nares sibi truncarunt. Item de S. Liberata seu Wilgefortis dicta, Regis Lusitaniæ filia, quæ advertens Patrem in suam formam ardere, precata DEUM, ut devenustaretur, illicò excrescentem, & prolixam acepit barbam. Illud autem magis ad propositi nostri allegoriam accedit, quod legimus in Brev: Francisc: de B. Coleta Ord: Nostri: hæc, quia vultum in modum rosæ venustissimum habebat, ne occasione illius, quis intuentium spinâ illicitæ concupiscentiæ sauciaretur, orationibus impetravit à Domino, ut vultus suus in terreum mutaretur colorem. Sed ut comprobemus rem nostram; nempè quàm penetrans sit spiculum cordium, & forte libidinis illicium, visa alienæ formæ pulchritudo: narratione quadam hoc idem illustro.

Venustatis suæ deformationem curarūt aliquæ, varijs modis.

Barba Virgini excrevit.

S. Coletæ roseus vultus, in terreum mutatus.

Probatur **Historicè.**

14. Cornel: à lap: in Prov: c. 6. ℣. 25. fol: 139. col. 1. D. refert se audivisse in Belgio, Matronam quandam sapientem & sanctam, monentem Confessarios, etiam religiosos, & probiores, ut caverent sibi ab aspectu & colloquijs fæminarum pænitentium. Quia (inquiebat illa) adeò sunt illices oculi earum, ut si in Virum quendam illos defigant, eundem sibi amore planè illaqueent, & irreti-

Monitum mulieris memorandum datum Confessarijs.

ant. Addebat: Certa sum, non esse Virum adeo gravem, & constantem, qui, si fixè eum reciprocè per quadrantem intuita fuero, non persuaserim ei, quidquid voluero. Nota hoc, & reflectere te velis bone Lector, super illud, quòd traditur de pluribus Sanctis excellentioris virtutis & meriti, nempe infuisse ipsis quandam vim supernaturalem, quasi magneticam, spectatores sui pertrahendi, alliciendiq; ad pietatem, similiaq; virtutum specimina: quod ipsum de ipso Salvatore nostro apud SS. Patres certissimum est. De illo etenim ait S. Hieron: l. 1. in Matt: c. 9. *Certè fulgor ipse, & Majestas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Ad hoc fortè collimat illud Sponsæ ad Sponsum. Cant: 1. 3. *Trahe me, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Hoc ergo supposito, & suppositâ simul indemnitate libertatis creatæ; putasne sponsurum aliquando quemq; illorum Sanctorum, imò ipsum Salvatorem CHRISTUM, quosq; Spectatores sui, ad pietatem similiaq; virtutis exempla infallibiliter alliciendos, & efficaciter pertrahendos? minimè: compertum enim est; Salvatorem Christum, pluribus annis tot millium hominum in oculis palam fuisse; tot virtutum heroicarum specimina, etiam miraculis suffulta, edidisse; non omnes tamen, qui hæc spectaverãt, convertebãtur, non omnes sequebãtur trahentem: imò ut scripsit Joannes c. 1. *Et sui eum non receperunt.* Hæc autem Mulier, non planè imprudenter, (nam facilis descensus averni: virtus verò in arduo posita) promisit & spopondit, unius quadrantis intervallo, quolibet Viro, etiam non vulgaris virtutis, modò sibi ab oculis, formaq; sua non caveret, ad illicita potituram. O miram, sed ah quàm perniciosam magneticam oculorum vim, & efficacem fascinum alienæ venustatis! ô animarum exitiosas Rosas, mulierum formas! Tu ergo, qui cordis innocentiam appetis, solicitè cave, à carpendis vel oculo ipso hisce fatalibus Rosis; ne earum spinis punctus, & crebris ictibus confossus, miserè succumbas.

Aspectus mulieris efficacior ad malum, quam Christi, ad bonum.

Hieron.

Cant.

Christi opera videntes, non omnes convertebãtur.

Ioan.

PARS. II.

SS. MARIA, sine Spina originali.

15. ACtor: 12. legimus; quomodo dum Supremus Ecclesiæ Christi Pastor, & Pontifex Petrus, ope Angeli è carcere Herodis liberatus, ostium domûs cujusdam Mariæ, in qua erant congregati fideles, pulsasset, puella quædam Rhode ex Hebraico, ex Græco verò Rosa dicta, prima omnium processerit ad audiendum. Nil impedit, quominùs ille locus Scripturæ accommodari possit, inscrutabili Incarnationis Filij DEI mysterio; per Rhoden seu Rosam signando SS. Virginem MARIAM: quæ in Litanijs Laur: Rosa *mystica* appellatur. Profectò dum ille Summus Pastor, Sacerdosq; secundùm Ordinem Melchisedech ac Pontifex Magnus, caput nostrum, Filius DEI, ruptis nimiæ charitatis, & desideriorum sacris vinculis, quibus tenebatur, ad redimendum genus humanum, cunctarum filiarum Adæ, quasi pulsasset ostia, dignam tanto Filio quærendo, & expostulando Matrem, & non erat qui pulsanti aperiret: omnium enim aures, utpotè spinis originalis culpæ circumseptæ, obsurduerant. Sola tantummodo Rhode, seu Rosa MARIA, audire pulsantis vocem, id est, in Matrem Filij DEI eligi, digna reperta est: primaq; processit & sola, obviam pulsanti, valuas Incarnationis Filij DEI, & mysteria Redemptionis aperiens. Nec mirùm: ostium enim vitæ, seu initium, aliàs Conceptio ejus non fuit septum senticetis peccati, sed potiùs veluti gratiosissima, mundissima, & à plenitudine omnium gratiarum fragrantissima apparuit Rosa.

Rosa aperit Petro pulsanti fores.

Rhode, typus MARIæ.

Probatur Scripturaliter.

16. Cant: 2. 2. Audio Cælestem Sponsum, dilectissimæ Sponsæ suæ SSmæ MARIÆ, novum, & non vulgare adstruentem elogium, dum in hæc verba fatur: *Sicut Lilium* (alij apud Cornel: legunt) *Sicut* Rosa *inter Spinas; sic Amica mea, inter filias Adæ.* Teneamus pro tunc alteram illam versionem Sacri textûs, f. *Sicut* Rosa *inter*

Cant:

Spinas

spinas. Extra omne dubium apud Commentatores habetur, totum hoc Symbolicè dictum esse de B. V. MARIA: Ipsa etenim proprijssimè etiam, nomine Amicæ appellatur. Audi Dyon: Carth: l. 2. de laud: V. *MARIA est Amica totius Beatissimæ TRINITATIS: Amica DEI Incarnati: Amica Specialissima Spiritûs S.* Et verò, ipsum hoc Amicæ nomen, jam satis probaret rem propositi nostri; spinas enim originalis culpæ à MARIA ablegat. Sic etenim de illa perorantem S. Thomam Apostolum audivit B. Amadæus Lusitanus in suis Revelationibus: *Hæc est Amica DEI charissima & nunquam inimica.* Similiter ait de illa S. Joan: Damas: Orat: 2. de Assumpt: *Amica DEI, tota pulchra & sine macula.* Revelationes autem illæ B. Amadæi, in quibus nonnullorum Apostolorum satis clara inveniuntur pro immac: Conceptione testimonia, non contemnendæ sunt authoritatis: nam (ut notavit Basil: Rychlewicz Polonus in sua pro Scoto Apologia) habent suas authenticas approbationes ab Episcopis, Cardinalibus, & à Generali Inquisitore Hispaniarum; examinatæq; fuerunt à Theologis, maximæ virtutis & notæ; inter quos fuit prodigium illud pænitentiæ, altissimæq; contemplationis Aquila, Noster S. Petrus de Alcantara; quas etiam propriâ subscripsit manu.

Dion: MARIA Amica DEI, CHRISTI, Spiritûs S. & ideò imma concepta.

Amad.

Damasc.

Revelationes B. Amadæi, cujus authoritatis.

Sed altiori indagine prosequamur ulteriorem textum: *Sicut* ROSA (inquit) *inter spinas:* valdè profectò convenienter per ROSAM B. V. MARIAM designavit hîc Sponsus. Dicit enim Joannes Damasc: *Hæc est* ROSA *Virginitate clarissima, odoremq; gratiæ spirans, summopere fragrans, ac ultraquàm dici potest; cujus Dominus odore delectatus, in ea requievit, & ex ea florens mundi odorem depressit.* Dum ergo hîc Sponsus, sub similitudine ROSÆ inter spinas, de MARIA innuit, ROSAS planè & lilia loquitur pro immunitate Ortûs MARIÆ, nova, & nova, quæ latent sub Symbolo, probandi Imm: Conceptionem, insinuando argumenta. Cùm itaq; ait: *Sicut lilium, sicut* ROSA *inter spinas, sic Amica mea, inter filias Adæ:* omnes alias fæminas comparat spinis: sed cur quæso? siquidem ex ipsis plures, nedum corpore, sed mente quoq; pulcherrimæ, pacatæ, tran- 17.

Damasc.

MARIA nõ Rosæ odores

quillæ habentur: cur ergo conferuntur cum spinis inamœnis, & cruentantibus? Dilucidè Dion: Richel: præfata Canticorum verba illustrando; nodum difficultatis resolvit: dum ita scribit. *Quamvis fuerint multæ Virgines Sanctæ, tamen respectu Virginis MARIÆ, quasi spinæ fuisse videntur, inquantùm aliquid culpæ habent. Et quamvis in se fuerint mundæ, non tamen in eis fuit prorsùs extinctus fomes: fuerunt & alijs spinæ, qui ex earum intuitu concupiscentiâ pungebantur. Porrò DEipara Virgo, ab omni culpâ prorsùs fuit immunis, fuit fomes in illa extinctus, & tam intensâ castitate Virgineâ, ut à nullo potuerit concupisci; imò potiùs extinxit ad horam illorum libidinem.* Hactenus ille Doctor.

Dion.

Virgines, Rosæ cũ spinis: MARIA ROSA sine spina.

18. Observare te velim (bone Lector) triplicem hîc reddi à præfato Doctore rationem, hujus, quòd MARIA dicatur à Sponso veluti ROSA inter spinas, s. inter filias Adæ: & simul cur, etiam Sanctissimæ fœminæ, spinæ censendæ sint. *Primariam* quidem; quia B. V. MARIA omni prorsùs culpâ caruit, cùm cæteræ etiam excellentioris virtutis, aliquid habuerint culpæ, ad summum originalis: Et hoc ipsum directè illustrat rem nostram, & probat assertum: videlicet, B. V. MARIAM sine spina culpæ etiam originalis fuisse. *Alteram* deinde causam comparationis illius assignat præcitatus Doctor, carentiam stimuli, seu fomitis peccati in MARIA; qui veluti spina pungens, molestat, molestavitq; etiam Sanctos Sanctasq;. Et hoc quoq; puto non postremum, licetsi indirectum esse argumentum, tuendi ROSAM nostram à spina originalis nævi: aculeus enim iste, seu fomes, non aliunde pullulavit, nisi ex spina, seu spineto originalis peccati, quasi effectus à sua causa: quod latiùs vide Tit: *Hortus sine urtica.* Num. 32.

MARIA ROSA sine spina peccati & aculeo fomitis.

19. *Tertia* tandem ejusdem rei producitur ab eodem Doctore ratio; illud videlicet singulare privilegium MARIÆ; quòd cùm fœminæ pulchræ, quantumvis castitate præstantes, spectatores tamen suos incautos, illicio pulchritudinis suæ inescant: nam pulchritudo spirat libidinem, intoxicat (ut ait quidam) aëra, & spinis concupiscentiæ cruentat intuentes: cæterùm MARIÆ aspectus, etsi illa fuerit eximiæ, & super omnes fœminas, pulchritudinis. imò ut di-

cit Greg: Nicom: *Pulchritudo pulchritudinum*; tamen non modo non flabellabat libidinis flammas, sed planè illas restinguebat, inspirans arcanâ vi, castitatis propositum, & continentiæ vigorem; quo non tantùm esset purissima, sed etiam in alijs castissima, arcano pudoris incremento. De quo privilegio B. V. MARIÆ multi Doctores disputant, & omninò asserunt illud S. Bonav: 3. d. 3. p. 1. a. 2. q. 3. S. Thom: 3. d. 3. q. 1. a. 2. Alex: Alensis, Suares, Salmeron. Ex hac quoq; tertia ratione, quomodo B. V. MARIA sit dicenda, fuisse in Conceptione sua, veluti ROSA sine spinis, s. sine originali peccato: paulò inferiùs, Theologus suo concludet argumento. Nunc à litera, procedamus ad Figuram.

Greg. MARIA intuentes se ad castitatem alliciebat.

Probatur

Figuraliter.

Ipsamet nobis SS. V. MARIA aptissimam proposito illustrando subministravit Figuram, sub similitudine commendatissimæ ROSÆ Jerichontinæ, de seipsa innuens. Eccli: 24. 18. *Ego quasi plantatio* ROSÆ *in Jericho.* Cùm variæ habeantur species ROSARUM; aliæ enim ordinariæ, aliæ Chinenses, aliæ Jerichontinæ: cur quæso non cuipiam alteri, sed nonnisi ROSÆ Jerichontinæ, se comparandam delegit MARIA? idq; non simpliciter, non præcisè ipsimet ROSÆ, sed restrictè s. soli plantationi talis ROSÆ. *Quasi plantatio* ROSÆ *in Jericho.* Apprimè plantatio hæc exprimit SS. DEIparæ Conceptionem: quod enim plantatio est arbori, hoc conceptio sua cuilibet homini. Quando ergo dicitur plantatio seu Conceptio MARIÆ fuisse veluti plantatio ROSÆ in Jericho; hoc dicitur, vel ideò, ut notat Richard: Laur: l. 12. de laud: V. *quia nisi illa confortaret peccatores, (qui ob mutabilitatem sui, Jericho, quod idem est, ac Luna comparantur) citò deficerent.* vel ideò (quod ad rem nostram principale sit) dicitur plantatio ejus, id est Conceptio esse in Jericho; ut per hoc immunitas ipsius ab originalis peccati spina, tantò luculentiùs declaretur. At quæres fortè, quonam id pacto? Audi itaq;. 20.

Conceptio MARIAE, plantationi Rosæ in Iericho cõparatur. cur?

Richard.

Jericho, ut immediatè dictum *Luna* interpretatur; Norunt au-

tem

tem illi, qui hortenses plantationes amant, & excolunt; eas præcipuas esse, quæ sub optima Lunatione, id est, sub plena Luna, vel ipsi proximè, inseruntur: hoc autem singulare MARIÆ privilegium est; quòd sub plenissima Luna plantatio, seu Conceptio ipsius celebrata fuerit: hoc est, in plenitudine gratiarum: ex qua ratione S. Alb: M. MARIAM in Conceptione appellavit Lunam plenam: dum Ser: de B. V. 56. ita ait. *MARIA dicitur Luna plena; quia ex omni parte perfecta, quia in Utero Matris fuit sanctificata.* Ultimum terminum explico de Sanctificatione præservativa, ad mentem ejusdem Doctoris; quam in alio loco clariùs expressit l. de laud: MARIÆ; cujus apud Canisium l. de DEIp: c. 27. citantur talia verba. *Hæc Virgo sola à communi illa Regula excipitur: omnes peccaverunt in Adam.*

Plantationes florum optimæ in plenilunio.

Alb. M.

MARIA Luna plena, ob gratiam originalem.

22. Rursus; de Jericho legimus in Scriptura 4. Reg: 2. 19. quòd *Habitatio illius Civitatis optima fuerit, sed aqua pessima, & terra sterilis.* Imò ibidem ℣. 27. dicitur aqua ejus mortifera: Elisei tamen operâ, misso in fontem Sale, miraculosè fuit sanata, & terræ illi restituta fertilitas. *Sanavi* (inquit Eliseus) *aquas has, & non erit ultra in eis mors neq; sterilitas:* Benedictio ergo illa Prophetæ, ad procreandam ex sterili terra ROSAM, attulit fæcunditatem; & quamvis fæcundata jam tellus illâ benedictione Prophetæ, plurima dederit germina, in Regione Jericho; maximum tamen Elisei enituit miraculum in ROSA; quæ universæ illi terræ, antehac in sterilitatis opprobrio jacenti, singularem gloriam, & æstimationem comparavit.

Reg.

Jericho terra benedictione Prophetæ sanata à sterilitate.

23. Porrò Eliseus ex alia lingua legitur, *DEI Salus*, vel *DEUS Salvans*: proinde benè designat Salvatorem nostrum, qui sterilitatem mundi, & mortiferos peccatorum fontes, non tantùm pugillo salis, per quem sapientia significatur, hoc est, æternæ Sapientiæ suæ admirandis misericordiarum in redimendo adinventionibus; sed pretiosissimo quoq; suo Sanguine persanavit; ut sic gratior, & gloriosior in Ecclesia, florum, plantarumq; populus germinaret. In hac itaq; mundi Jericho, præcellit universis ROSA MARIA; quæ in

plantatione seu Conceptione sui, primum prodit sub benedictione Summi Prophetæ Prophetarum, veluti Rosa, senticeti originalis, & maledictionis nescia: simulq; liquidò ostendit, per hoc, quòd in ea sola, & Sapientiæ æternæ vis ac vigor, insueta media conservandi illam immunem à peccato adinvenientis, & virtus Sanguinis Christi, ob Redemptionis novum (quia præservativum) modum, incomparabiliter magis in illa præ reliquis Sanctis, & electis eluceat.

MARIA concipitur sub benedictione Prophetæ.

24.

Huic plantationi, seu Conceptioni Rosæ nostræ MARIÆ, valdè congruit ingeniosa cujusdam Recentioris observatio, in quædã Davidica verba. Psal: 91. 14. ubi de plantatione justorum in gratia DEI agit, & inquit Propheta. *Plantati in domo Domini, in atrijs Domus Domini DEI nostri, florebunt.* Quinam porrò sunt hi plantati, qui in atrijs Domini florent? Atrium, vel aliàs janua Sacramentorum dicitur communiter Baptismus: Omnes ergò electi defacto, modoprimùm in atrijs florent, dum per Baptismum recipiunt gratiam: DEIpara longè aliter: non hæc primùm floret in atrio, sed in Domo Domini, seu in gratia statim plantata, ab ipso etiam principio plantationis suæ, pulchrè semper floruit; & ut fatetur Sponsus ejus: *Emissiones ejus,* vel ut legit Hebræa: *Plantationes ejus,* fuerunt *paradisus.* Cui interpretationi plurimùm favet Velasques; sic alloquendo DEIparam. *Aliorum plantatio, germinatio, seu Conceptio spina fuit, & pungens. Tua verò ò DEIpara florida, & candida: illi vt terra maledictioni obnoxia, spinas, & tribulos germinant: Tu verò ò Sponsa charissima, instar paradisi à DEO manu consiti, in prima statim germinatione effloruisti, fructumq; honoris, & gratiæ emisisti.* Horum Neotericorum subtilibus indagationibus, an in re ipsa consentiant antiquiores Patres, videamus.

Psal.

MARIA floret gratiâ ante atrium, cæteri in atrio: quomodo?

Cant.

Velasq.

Probatur

Doctoraliter.

S. Petr: Damiani Ser: 3. de Nat: B V. ita ait: *B. Virgo MARIA de spinosa Judæorum progenie nata candescebat, munditiâ Virgineæ castitatis in corpore; flammescebat ardore geminæ charitatis in mente, fragrabat odore boni operis in corde.* Dion: Carthus: in c. 24. Eccl: *MARIA Rosa; quia sicut Rosa est pulcherrima florum,* 25.

ita B. Virgo est venustissima fœminarum, imò Sanctissima purarum creaturarum.

Petrus Galat: l. 7. de Arc: c. 5. *Quemadmodùm Rosa speciosa, & odorifera, ex qua multa conficiuntur aromata, nascitur inter spinas, ipsa tamen spinis carens: ita B. Virgo, nata est inter fœminas in originali peccato conceptas, tanquam Rosa inter spinas; ipsa tamen ejusdem peccati expers omninò fuit.* Alanus de Insul: Ser: de B V. *Hæc est Rosa florens, nescia spineti, nescia culpæ.* Joan: de Meppis Tract: de Concep: *Virgo benedicta, licet fuerit producta de arbore spinosa peccati originalis, tamen in ejus anima non fuit aliqua macula peccati originalis: & ita erat delectabilis oculis aspicientium, quòd non solùm boni proficiebant in ejus visu, sed luxuriosi eam aspiciendo, fiebant casti.* Adamus Victorinus sæculi undecimi Sacer Poeta in Prosa de Assumpt: sic cecinit:

Salve VERBI Sacra Parens: Flos de spinis, spinâ carens,
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati, Spinâ sumus cruentati:
Sed tu spinæ nescia.

Hùc spectare videntur encomia illa, quæ in suis extasibus nonnullæ elevatissimæ sanctæq; animæ audivêre attribui à SS. Angelis, B. V. MARIÆ. S. Birgitta in Sermone Angelico audivit ipsam appellari *Rosam benedictam.* Mechtildis l. 1. grat: c. 45. *Rosam sine spinis.* Gertrud: insin: l. 2. c. 17. *Rosam florentem sine spinis.*

Probatur **Miraculosè.**

26. Spinellus, & plures alij referunt miraculum, quod contigit Nicolao Pratensi, Fundatori Cælestinorum, in testimonium, & recommendationem Festi Imm: Conceptionis celebrandi cum Octava: Cùm enim huic devotioni fortè quidam contrariarentur, prædictus magnæ perfectionis Vir, deambulans per hortum, sub tempus rigidæ hyemis in Decembri, invenit inopinatè recentissimam, & fragrantissimam Rosam, eamq; tollens, obtulit in Ecclesia ad Imaginem B. V. MARIÆ: humilitèr precatus DEUM, ut per intercessionem B. V. MARIÆ, recurrente deinde anno, & solemni Octavâ Immac: Conceptionis, eadem

Tract: de Festo DEip.

Rosa miraculosè reflorET, in gratiam Immac: Concept.

dem Rosa, quæ diligenter conservanda erat, reflorescere: paruit DEUS voci servi sui, nam labente anno, eadem ipsâ die, cuncto spectante populo, de novo explicatis folijs, Rosa illa pulcherrimè refloruit.

Reperitur & aliud exemplum, aut aliàs miraculosa visio huic opportuna loco: quam habuit Mediolani quidam Jurisperitus; quam ipse cum jurejurando retulit coram nostro Bernardino de Bustis, (ut scribit S. 9. de Concept: p. 1.) hic enim cùm contrariæ esset opinionis circa hoc Mysterium, de cætero valdè ab ipsa juventute devotus erga B. V. MARIAM, post habitam terrificam visionẽ, (de qua videTit: Imago n. 29. cùm deinde post auditas Conciones B. Bernardini Feltrensis in laudem Immacul: Conceptionis, sententiam suam mutasset; apparuit ipsi in aëre dulcis JESUS, Filius benedictus MARIÆ, relucentior Sole, magnâ sociatus comitivâ, habens in manibus magnam copiam pulcherrimorum & miræ fragrantiæ florum: multæq; gentes adesse videbantur ab eo petentes, ut de prædictis floribus eis porrigeret. Unde & ille Jurisperitus dixit ei: ô dulcissime JESU, placeat vobis, & mihi porrigere de his floribus: & ipse benignissimus JESUS appropinquans ei, & extendens brachium suum, porrexit illi de dictis floribus, manum suam, quasi propè faciem ejus extendens. Quid quæso aliud miraculosi isti flores nobis innuunt? nisi evidentissimum perhibent testimonium SS. V. MARIAM fuisse in Conceptione sua veluti Rosam, veluti florem fragrantissimum, ratione originalis justitiæ; & omninò immarcescibilem, ratione immunitatis ab omni peccato. 27.

CHRISTUS distribuit flores, cultoribus Immac: Concept.

Probatur Scholasticè.

THEOL: Ab effectu ad causam sic argumentatur Theologus. Ex carentia effectûs, benè plerumq; concluditur carentia causæ; præsertim in actu secundo: v.g. ex carentia aculei pungentis, seu puncturæ, carentia spinæ; ex qua prodit pungens aculeus. Sed pulchritudo MARIÆ secundùm corpus, caruit aculeo; seu non fuit punctiva, id est incentiva spectatorum ad libidinem; ut supra dixi ex sensu Patrum: Ergò quoq; caruit & ipsâ spinâ, scilicet, originali peccato: ut enim jam dixi: iste 28.

aculeus, est genuinus effectus peccati originalis? Neq; dicas simile privilegium habuisse plures Sanctas fœminas, s. quòd venustate suâ intuentes non pungerent, nec tamen sequitur, eas absolutè caruisse originali spinâ peccati: adeoq; nec pro B.V. MARIA inde quidquam concludi poterit: nam respondeo, quoadhoc etiam privilegium, magnam disparitatem fuisse inter MARIAM, & illas. Illis enim hoc concessum fuit per extrinsecam quandam gratiam; & quæ potiùs ex merito illarum, dabatur intuentibus illas, ut præservarentur à stimulis libidinis: prœterea illæ non statim, sed tandem post multa merita, virtutúq; exercitia, tali gaudebant privilegio: Cæterùm SS. V. MARIA (ut ex multis colligit Celada de Judith fig: §. 1. n. 12) hoc, quòd, non tantùm intuentes se non pungeret, sed prætereà spiraret quoddam illicium & concupiscentiam virtutis, id habuit quasi à natura: Quod tamen sanè intellige; sumendo videlicet *ly* à natura; pro congenita, seu concreata gratia. Unde illa consequentia bene tenet pro SS. MARIA; quamvis vacillet respectu aliarum fœminarum Sanctarum.

MARIAE Conceptiono infertur ex alio privilegio ejus.

MARIAE privilegium, quod intuentes se non pungeret, fuit quasi à natura.

29. *PHIL.* Summus Philosophorum Aristoteles, præclaras dotes, & virtutes attribuit Rosæ, ex eo quia non expectando ortum, ut contingit in alijs floribus, in ipsa aurora expandit se, antelucani roris hauriendi gratiâ. Porro Jacob: de Vorag: in Marial: S. 4. MARIAM vocat, *Rosam totam roridam, id est, rore Spiritûs S. plenam.* Cælestem hunc Spiritûs S. rorem hauriunt multi, sed tum modò in Ortu; ubi primùm nati & per remedia contra originale justificati sunt: vel jam jam proximè ante Ortum, ut nonnullis in Utero Matrum sanctificari contigit: ROSA nihilominus nostra MARIA, magis tempestavè quàm alij, hunc cælestem rorem haurire debuit; nam ipso diluculo: de ipsa enim illud dictum putant plurimi. Ps: 45. 6. *Adjuvabit eam manè diluculo:* & prætereà in aurora; quia prædestinata ad gratiam, antequam Sol justitiæ punientis, radijs seu pænâ pro reatu, videlicet originali culpâ, genus humanum adussisset. Unde meritò Cælestes Spiritus, MARIAM primò ingredientem in mundum per sui Conceptionem, salutando ajunt: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora.* Cant: 6. 9.

Rosa ante auroram se expandit.

MARIA diluculò hausit rorem gratiæ.

Psal.

Cant.

STMB:

SYMB: Hoc idem si in Symbolo exprimere cupis? pinge in tabula duas illas Rosas, quas, ut nonnulli scribunt (de quo Aresius in Epiphan:) Regina Saba obtulerat Salomoni, unam naturalem, alteram miro artificio elaboratam tam exquisitè, ut quasi naturalis videretur; & nullum discrimen appareret inter verum, & fictitium florem: hoc autem astu usa dicitur explorandæ prudentiæ Regis gratiâ: sed astu contra astum mulieris, Vir ille Sapientissimus usus est; apem enim circumvolitantem dum conspexisset, utrumq; exposuit florem: & dum naturali Rosæ apis adhæsit, ex ipsa mellificatura, eo ipso alteram fictitiam, dum sprevit, prodidit. His ergo depictis Rosis, & volitante desuper ape, versùs unam ex illis, eamq; naturalem, subjice Lemma. *Quid mihi cum spuria.* Sensus Emblematis sit iste: Apis juxta S. Ambr: ap: Syl: Alleg: significat CHRISTUM, qui habet mel misericordiæ, & aculeum justitiæ. Rosa fictitia, seu factitia, seu spuria, commodè nobis designabit Evam; vel quod aptiùs, totum genus humanum; quia licetsi nunc pretioso Sanguinis CHRISTI succo intincti & reparati, iterum reflorescimus per gratiam Sacramentorum; tamen ex quo priùs ex patre diabolo, ratione peccati originalis nascimur, quasi spurij fuimus; quamvis per gratiam novam postea adoptati DEI filij facti: quæ tamen eo ipso violatæ in nobis originalis justitiæ testimonium perhibet, maliq; præteriti in quolibet nostrûm notam præsefert. Rosa autem vera, & purus partus naturæ, denotat SS. DEIparam Immac: Conceptam; in cujus creatione, seu Conceptione, Stygij Impostoris pessimum artificium, quod ipsi succedit in cæteris, non se immiscuit. Huic ergo elegantissimæ Rosæ, cùm Cælestis Apis s. Filius DEI adhæsit, id est, in Matrem suam præ omnibus illam sibi elegit, ut ita ex ipsa mel carnis & sanguinis, cui incarnaretur, hauriret; eo ipso eandem, non jam puræ naturæ, quàm puræ gratiæ, purissimum partum, & omnis figmenti, s. peccati expertem, fuisse demonstravit. 30.

Rosam veram, & falsam, Salomon quomodo dignovit per apem.

CHRISTVS, Apis.

Rosa fictitia, Eva, vel genus humanum.

Rosa vera, MARIA.

POES: Et veluti spinis mollis Rosa surgit acutis, 31.
Nil quod lædat habens, Matremq; obscurat honore.
Sic Evæ de stirpe, sacrâ veniente MARIA,

Sedul. l. 2. oper: Paschal.

Virginis antiquæ facinus, nova Virgo piaret.

Item.

Nascitur è spinis verni flos regius horti:
Sed procul à spinis purpura mollis abest.
Adamidûm in spinis, flos est Nazarethicus ortus; *Messen. l. 5. c. 8. Hierog.*
Spina fuit crimen, sed Rosa Virgo fuit.

32. *PROG:* *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.*
ANAG: Agite? en Rosa pura dumi? en Immaculata?
Rosa nivea, immaculata, anguem perdit.
Unica Rosa, & palma, mirè munda vigeat.
Pura ignoravit sentem, maculae Adami.

Probatur Historicè.

33. Thom: Cantip: de Apib: refert circa annum 1186. in quodam Monasterio rem admirandam contigisse. Monachus Josbertus (aliis Joscio) dictus, in singulos dies recitabat in honorem B. V. MARIÆ, quinq; Psalmos, qui à quinq; literis nominis ejus initiantur: dum ultimum clausit diem, & ecce ex ore ipsius demortui, oculis atq; auribus, quinq; eruperunt elegantissimæ Rosæ. Ad cujus rei novitatem accersitur Archiepiscopus Bituricensis; qui cum præsente clero tantæ jucunditatis miraculo exhilaratus, gratias & laudes reddens DEO, reverenter ad corpus accedens, Rosam quæ de ore mortui erumpebat, manu suâ tulit, quâ facillimè manum Episcopi subsequente, cæteræ quæ in oculis, & auribus remanserant, protinùs emarcuerunt: illa autem ex ore desumpta, in sua elegantia, & pulchritudine remansit: quam in quodam idem lapide de crystallo diligentissimè reclusam, super altare jusserat Archiepiscopus collocari.

Rosæ erumpentes ex membris demortui Religiosi.

34. Simile quid huic Rosæ de ore erumpenti, quæ cæteris marcescentibus, ipsa illæsa remansit, cernere quoq; est in Rosa nostra MARIA: nos cæteri omnes floruimus olim in Protoparentibus nostris, in quibus statim & emarcuimus, talesq; nascimur & prodimus ex oculis veluti Evæ, qui viderant lignum pulchrum, & aspectu delectabile, & ex auribus ejus, quas libentèr stygij serpentis præbuerat sibilis, peccato infecti: sola nostra

MARIA Rosa ex ore Altissimi erumpens.

stra Rosa Imm: Concepta Virgo MARIA, ex ore Altissimi (ut ipsa de se testatur) prodijt primogenita; justè ergo nunquam per peccatum marcida, sed semper florens in gratia permansisse dicenda; nec mirum: quoniam pretiosissimâ interclusa crystallo; præservata videlicet meritis prævisis Passionis innocentissimi Agni, Filij sui CHRISTI.

EPILOGUS.

Moris est Summis Pontificibus quolibet anno in Quadragesimæ Dominica, quæ dicitur *Lætare*, Rosam auream solemniter in Sacro benedicere; quæ deinde dono mittitur Regibus, vel insignioribus Principibus in Christianitate. Dies hodiernus Imm: Conceptionis B. V. est dies benedictionis Rosæ aureæ; quia in instanti etiam Conceptionis, actibus charitatis in DEUM (ut Tit. dictum Columba n. 29.) coruscantis MARIÆ: hæc etenim, ut ab omni maledictione præservaretur, ipsius Omnipotentis DEI manu, per infusionem originalis gratiæ benedicitur, Regi Regum Filio DEI in dignum pignus, hoc in dignam Matrem DEI consecranda. Ergo dies Conceptionis ejus, dies Domini, dies *Lætare*, meritò dicendus. Lætare itaq; Cælum, lætare terra, lætare universa creatura: juxta illud quod hodie legit Missale Franciscanum: *Hodie melliflui facti sunt Cæli, dum manu Domini fabricata est Mater tanti* DEI. Sed tu vel maximè lætare ô homo! Si enim S. Hier: ep: 15. agens in laudem cujusdam probatæ vitæ puellæ, propinquos ejus exinde lætari voluit, inquiens: *Universa propinquitas*, Rosam *ex se natam gaudeat*. quantò magis congratulari sibi debet totum humanum genus, quòd de medio ejus, Rosa MARIA sine spina originalis peccati prodierit. Ergo alloquar hodie quemq; verbis S. Ernesti Prag: in Marial: c. 49. *Ad istud* Rosæ *virgultum descendere frequenter tibi consulo, ô homo! In quocunq; statu es, & quicunq; es, ut flores colligas, qui erunt fructus honoris & honestatis, & utilitatis.* Et quia difficulter parturientibus, præsentaneum antidotum dicitur esse Rosa Jerichontina: nos qui spinis concupiscentiarum puncti frequentissimè abortimur in gratia, Tu aurea, Tu salutis Rosa, cujus plantatio in Jericho, Imm: Concepta MARIA, medere malis nostris: ut sic vegetatis vivifico odore tuo, animis nostris, resonet gratiùs in corde & ore nostro, perennis laus Imm: Ortûs tui: & illud gratiosissimum.

35. Rosæ benedictio, Dom: Lætare.

Votum Authoris.

Miss.

Hieron.

Ernest.

Rosa, antidotum parturientium.

Io! vivat Immaculata SS. DEIparæ Conceptio.

SPE-



SPECULUM,
sine Macula,
SS. Virgo MARIA,
sine labe Concepta.

Virum MARIÆ, de qua natus est JESUS. Matt: 1.
Speculum sine macula, DEI Majestatis. Sap: 7.

I. NObile illud, licetsi vile cineris per ignem coagulum, tamen inter omnes alios Artis partus, facilè princeps inventum, quod dicitur SPECULUM, quantùm commodi in speculandis etiam Cælestibus corporibus, curiosis præstet, nemo vestrum est (puto) qui ignoret. NN. Novimus utiq;, quod studiosiores Orbium Cælestium Astrorumq; indagatores, ut eò perfectiùs orientis novi syderis, aut alicujus Phænomeni, naturam, qualitates, magnitudinem, figuras, situs, motus, conjunctiones assequantur, vitra perlucidissima poliunt, specula conquirunt, & quæ sunt tersissima, è regione syderis accuratè disponunt: atq; sic sydus, quod ob fulgorem radiorum aciem pupillæ retundentium, irretorto oculo intueri non poterant, jam illud in genuina imagine ipsius, impressa SPECULO, liberè, & exquisitè contemplentur. Quâ Mathematicorum satis ingeniosâ praxi, S. Evangelistam, in descriptione Genethliaca CHRISTI & MARIÆ, quodammodo usum fuisse observo; dum immediatè & ex proximo CHRISTI, MA-

Astrologi, speculo utuntur, in observatione syderum.

RIAM

RIAM collocari, seu nominari ab illo audio. *Virum MARIÆ, de qua natus est JESUS.*

Et quidem non abs re: novi etenim syderis, imò ipsius æterni Solis, Filij DEI, in carne humana, jam jam de proximo imminebat exortus; exortus inquam desideratissimus, omnibus in tenebris, & in umbra mortis sedentibus; quorum anhelas voces, & æstuantia ad adventum CHRISTI suspiria exprimens Ecclesia, in Antiphona Breviar: Rom: sic ait: *O Oriens, splendor lucis æternæ, & Sol justitiæ! veni, & illumina sedentes in tenebris, & in umbra mortis.* Hic equidem, cùm esset splendor, & figura substantiæ Patris, præ immensa Divinitatis suæ radiorum activitate, cerni nunquam aliter poterat nisi in SPECULO: quod primùm in creatione primi hominis, quâm affabrè sibi construxerat, & comparaverat: ut advertit Magnus Augustinus inquiens: *Ita namq; conditum est cor hominis, ut in eo quasi in Templo habitet DEUS, & tanquam in quodam SPECULO suo reluceat: ut qui in se videri non poterat, in sua Imagine visibilis appareret.* Sed hoc elegantissimum Omnipotentiæ DEI artificium, avernalis serpentis halitu afflatum, citò & fædè, impressam sibi à DEO Imaginem, consentiens sathanæ, immutavit: imò ex fragili compactum gleba, facilè confractum est per peccatum, læsâ originali justitiâ in anima, & sublatis dotibus corporis, quæ homo habuisset in statu innocentiæ. 2.

Brev.

Homo primus Speculum fuit, DEUM repræsentans.

August.

Novum ergo, longeq; perfectiùs, orituro Soli Æterno, DEI Filio, in Utero S. Annæ fabricatur SPECULUM, recipiendis ejus radijs & imagini, per quam idoneum, dum hodie concipitur SS. Virgo MARIA, Mater JESU: Ipsa etenim plerumq; à SS. Patribus appellatur perfectissimum DEItatis SPECULUM: pro quo usurpantur ab ipsis illa verba: Sap: 7. 26. *Splendor substantiæ, & speculum sine macula, DEI Majestatis, & imago bonitatis ejus.* Cujus allegoriæ, dat aliquas rationes Bern: de Bust: scilicet: Quia sicut SPECULUM componitur ex vitro & plumbo; ita SS. MARIA effulget nitidissimâ Virginitate, cum profunda humilitate conjuncta. Item, quia sicut radius Solis vitrum penetrat, & exit sine læsione vitri; ita CHRISTUS intravit, & exivit de Utero MARIÆ, illæso Virginitatis sigillo. Deinde, quia 3.

MARIA Speculum DEI: cur?

Sap.

in MARIA, sicut in SPECULO omnium virtutum imagines perfectissimè relucent. His rationibus addere liceat ad propositum nostrum quartam, idq; ex origine SPECULI: quia nimirum, sicut SPECULUM, originaliter quamvis ex vili compactum sit cinere, activitate ignis digesto, nihilominùs pulchrum nitens, & maculæ seu caliginis expers, prodire solet: similiter SS. MA-

Propositio. RIA, quamvis ex infecta originali culpâ, & maculosa gleba s. ex Parentibus suis vitiatis primo peccato, orta sit; tamen sub igne charitatis ab illis concepta est; qui (ut verbis S. Epiphanij utar) castè, & sanctè munere suo functi, SPECULUM hoc omnis maculæ & caliginis peccati expers, produxerunt. Quod ego solitâ praxi comprobaturus, præmittam morale, contra consortia prava, quibus obfuscantur specula, seu nitor innocentiæ. Nunc breviter saluto Neo-Conceptam.

Salve candor puritatis; O SPECULUM DEitatis!
Nos tenebræ, nos scelesti; Tu splendens luce Cælesti.

PARS I.

Consortia prava, inficiunt nitorem innocentiæ.

4. PRidem usitatum Symbolum innocentis conscientiæ, habetur in tersissimo SPECULO: unde discipulis Socraticæ Scholæ, ex mandato sui Præceptoris, nil familiarius fuisse legitur, quam SPECULUM; quod quilibet illorum ubiq; secum circumferebat: ut fortè intuitu ipsius frequentiori, honestatis morum, & modestiæ efficaciùs commoneretur. Porrò SPECULORUM etiam limatissimorum nitorem hebetari varijs de causis experientia cõpertum est: præcipuæ sunt & frequentiores istæ: fumus videlicet, & halitus hiantis oris: ex fumo etenim fuligine atrâ, ex halitu verò oris, roridâ quadam nubeculâ obducitur vitrum. Similibus de causis animæ mortalium, quæ olim erant vel fuissent SPECULA innocentiæ, contraxerunt vel ab initio, vel nunc contrahunt, fædas peccati maculas: & quidem primùm, ex virulento illo halitu seu affatu, simulq; afflatu serpentis in paradiso: *Eri-*

Socrates discipuli, Speculum portare debebant.

Speculo nocent, fumus, & halitus oris.

tis sicut Dij. Speculo primævæ innocentiæ unicuiq; nostrum, quædam originalis culpæ adhæsit macula: quam etiamsi Baptismalis postea abstersérit gratia ad originalem quasi restituendo nos innocentiam; nihilominùs cōtingit in plerisq; quod partim fumo pravæ conversationis, partìm pestifero malorum sociorum halitu, iterum novis peccatorum maculis heberetur, & inficiatur.

Probatur **Scripturaliter.**

Si quando opportuniùs, ad propositum nostrum locutus est eximius Prædicator Gentium Paulus, quàm dum Corinthijs scriberet illud 1. Cor: 15. 33. *Fratres nolite seduci; corrumpunt mores bonos, colloquia mala.* In Græco autem, idem est *colloquium*, quod & *commercium*: per quam proinde dictionem, Apostolus, omnem conversationem malam significare, & prohibere voluit: ut colligit *Corn: à lap:* S. verò Anselmus, prædicta verba Apostoli trutinando, talem ex ipsis elicuit, nobisq; reliquit paraphrasim, & eruditionem, inquiens: *Nolite seduci, id est, stultorum verbis, & blandiloquentiâ, à recto tramite abduci. Assiduitas pravi colloquij vitiat mentem; & idcirco vitanda est, maximè ab infirmis. Sic enim verba proximorum audienda quotidie sumimus in mente, sicut respirando, aërem trahimus corpore; & sicut malus aër assiduo flatu tractus, inficit corpus; sic perversa locutio assiduè audita, infirmantium inficit animum; ut tabescat delectatione pravi operis.* Placeat & Senecæ, quamvis Ethnici, coætanei tamen, & (ut quidam opinantur) familiaris D. Pauli, audire Sententiam; qui quasi vellet prosequi explicationem citatorum verborum Apostoli, eodem planè sensu cum S Anselmo, & sub eadem similitudine pestis scribit, & monet de cavendis pravis consortijs, atq; colloquijs l. de tranq: c. 7. *Ut in pestilentia cavendum est, ne corruptis jam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuq; ipso laborabimus; ita in amicorum legendis ingenijs dabimus operam, ut quàm minimè inquinatos assumamus: initium morbi est, ægris, sana miscere.* 5. *Corin.* Cōsortia prava, noxia, *Ansel.* *Senec.*

Huic doctrinæ D. Pauli longè ante præivit Regij Psaltis ad unumquemq; non multùm dissimili à priori Stylo, de malæ 6.

Pſal. converſationis periculis, zeloſa commonitio. Pſal: 17. 26. *Cum Sancto, Sanctus eris, & cum perverſo, perverteris.* Quæ Davidica verba trutinando Joſ: Manſi de Conſort: d. 8. ea declarat ſub ſimilitudine Speculi, ſuperiùs à nobis primariò aſſumpta; ſic inquiens: *Speculum quantumvis clarum, & mundum, vel unico obducitur flatu; ita & anima quantumcumq; pura, & immaculata, per blanda amicorum colloquia & converſationes conſpurcatur.* *Cum Viro innocente, innocens eris:* ecce vobis *Speculum limpidum: Cum perverſo, perverteris:* ecce vobis *idem, vel unius perverſi communicatione, & conſortio obtectum.* Quæ adeò pro veris & certis habenda ſunt, ut nitidiſſimis etiam innocentiæ Speculis, ſcilicet perfectiſſimis quantumvis Viris, periculum non inane ſubſit corruptelæ, à pravorum colloquijs & ſocietate.

Manſi. Speculum innocentiæ obfuſcatur malorum colloquijs.

7\. *Ezech.* Apud Ezechielem Prophetam c. 22. 26. ipſum Dominum DEUM ſic loquentem audio. *Coinquinabar* (inquit) *in medio eorum.* Lamentabatur autem ibi DEUS, de Sacerdotum, aliorumq; divino cultui deſtinatorum Miniſtrorum, transgreſſionibus; qui etiam indifferenter improborum conſortijs fruebantur, atq; ſic illis contaminabantur. *Polluerunt* (inquit) *ſanctuaria mea, inter pollutum, & mundum non intellexerunt, inter Sanctum, & profanum non habuerunt diſtantiam; & coinquinabar in medio eorum.* Hæc audiens verba, & conſiderans S. Bern: Sen: Dom: 3. Pent: ubi tractat de periculis malæ ſocietatis, in ſtuporem mentis actus, exclamat, dicens: *O admirabile verbum, & omni ſtupore dignum! Coinquinabar in medio eorum.* Et rectè: Quis coinquinabatur in medio malorum? ille ne, qui omnis labis incapaciſſimus eſt, & fons ſanctitatis? ille ne, qui puriſſimus eſt, & immutabilis? ille ne? cujus naturam explicans Sapiens, ait. *Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula:* ille ne inquam coinquinari poterat? Pulchrè hanc difficultatem reſolvit idem S. Bern: Sen: dum ita reſpondet: *Coinquinabar inquit, non quòd ulla inquinationis via ſit inquinamentis ad ipſum DEUM; ſed quoniam ſe abſtulit ab eis, & ſeparavit, & longè fecit, quemadmodum facere conſueverunt, coinquinari timentes.*

A conſortijs malis etiam viris probatis cavendum.

Bern: Sent.

8\. Ex quo Prophetico oraculo cit: Joſ: Manſi d. 3. hanc practicam deduci aſſerit veritatem: videlicet ſanctiores etiam, & virtu-

virtuosiores, multoties per conversationem malam corrumpi & pessundari. quasi innuere vellet conformiter ad mentem S. Bernar: Sen: jam cit: quòd DEUS, qui est Sanctissimus, & immutabilis, voluit à malorum societate separari; non quòd contaminari timeret; sed ne contaminari saltim per extrinsecam denominationem, alicui videretur; simulq; ostenderet, tantò magis etiam perfectissimis Viris, quantâ sollicitudine cavenda sint pericula, perversæ conversationis. quod idem Author declarat exemplo ab Astrologis assumpto; qui docent quòd Planeta benignus, & beneficus maligno associatus, pessimam & ipse operatur influentiam: sic pariter, probatissimorum etiam morum homo, si alteri corruptæ vitæ, strictiori jungatur amicitiâ; malos ejus imbibit mores. Rectè dixit Seneca l. 3. de ira. *Sumuntur à conversationibus mores; impudicorum cœtus fortem, & siliceum Virum emollit.*

Planeta benignus maligno sociat⁹, pessimam operatur influentiam.

Senec.

Probatur **Figuraliter.** 9.

Non est arbitror ille, qui non miretur, imò qui non pallidus expavescat, ad terribilem illam cujusdam Monstri, Leviathan dicti, figuram, quam trementi calamo, licetsi scatente præ tabe manu, patientissimus Vir ille Job depinxit, aut etiam ulcerosis labijs prodidit, quæ sola circa ejus dentes intacta remanserāt, fortè ideò, ut nobis secretiora quæq; sibi revelata à DEO, enarrassent. De hoc itaq; Monstro egit c. 41. ubi, postquam magnitudinis ejus vastitatem, corpusq; ejus quasi scuta fusile, squammis se prementibus compactum, simul & formidandum gyrum dentium ejus descripsisset; de sternutatione ipsius, oculis, ore, naribus, & halitu talia subnexuit. *Sternutatio ejus, splendor ignis, & oculi ejus ut palpebræ diluculi: de ore ejus lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ. De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ accensæ aquæ ferventis. Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma ejus de ore egreditur.* Hoc terribile monstrum, juxta Expositores, principalitèr designat dæmonem; secundariò verò, ut colligo ex Thom: Blanc: in Psal: 1. n. 40. applicari potest nefarijs socijs: cui explicationi congruit non parum, & ipsum Monstri nomen: *Leviathan* enim juxta Lyran: s. Gen: 39. inter-

Job.

Draco est, homo pervertès alios.

terpretatione habet *Copulatio*, seu *Societas*. Leviathā, Draco quidā esse à quibusdam dicitur. S. autem Isid: scribens in illa verba, Job: 30. *Frater fui draconum, & socius struthionum*, observat nomine draconum, notari homines perversos & perversores; qui dracones sunt ignivomi, seu flammivomi.

10. Monstri itaq; hujus s. perversi socij, quæ, & qualis sit sternutatio, & alia? videamus. *Sternutatio* (inquit) *ejus*, *splendor ignis*. Juxta nostrum Lyranum, sternutatio est quædam exhalatio ex pectore consurgens, totum concutiens caput: propterea aptè designat spiritum, seu vitium inflatæ superbiæ. *Oculi ejus*, *ut palpebræ diluculi* juxta S. Greg: 13. moral: 6. significant perversa in malum consilia, & falsas promissiones. *De ore ejus lampades procedunt*, his lampadibus, juxta mentem ejusdem Doctoris in Cant: 8. benè comparatur invidia, & perversa æmulatio; *De naribus ejus procedit fumus*: fumus iste coincidit in sensu morali, cum vitio avaritiæ & inordinari ad res terrenas affectûs: qui dum mentem occupat, lippientem, imò cæcam ad ea, quæ spiritûs, & virtutis sunt, reddit animam. Ex qua ratione S. Hieron: s. Isa: 51. humana negotia, comparavit fumo. Ex hac itaq; prædictarum circumstantiarum, & qualitatum Leviathan explicatione, ad rem nostram id colligitur, quòd sive sternutet pestifer ille Leviathan, hoc est nefarius socius, sive oculos, sivè nares aperiat, illicò, suo malo exemplo aut blandiloquis suasibus, partim superbiæ, partim pravæ doctrinæ, partim invidiæ, iræ, vel odij, partim amoris terrenorum, aliorumq; similium vitiorum venena diffundit; quibus sociorum suorum, quandoq; tersissima specula, s. delicatas conscientias inficit, hebetat, imò corrumpit.

Isid.

Sternutatio, oculi, nares &c. hujus draconis explicantur.

Greg:

Hieron:

11. Sed præcipuum virus Draconis hujus latet in halitu ejus. *Halitus* (inquit) *ejus prunas ardere facit*. Quamvis noverim ex S. Greg: 33. Mor: per halitum Leviathan, significari suggestiones dæmonis; puto tamen, non incongruum fore, si halitum hunc dæmonis appellavero illos, qui spiritu dæmonis acti, verba inhonesta, lasciva, scandaloza de ore suo exhalant, vel potiùs inverecundè effutiunt: meritò tales Capellani Diaboli, à quodam Neoterico appellati. Halitus ergo iste (obscæna illorum

Greg.

Halitus s. verba lascivā socij, quā nocia.

verba) prunas ardere facit; quia in cordibus auditorum, ſe di-ctis illorum oblectantibus, ignem concupiſcentiæ carnalis ſuc-cendit: hinc fit, quòd adoleſcentum, ac virginum SPECULA, id eſt primæva animæ innocentia, nedum, fumo impurarum co-gitationum aſcendente in mentem, obfuſcentur & hebetentur, ſed etiam igne concupiſcentiæ & delectationis carnalis, con-ſenſûsq; in peccatum adufta, totaliter diſrumpantur, confrin-ganturve.

Turpiloqui, Sathanæ Capellani.

12. Plurimùm illuminare poſſunt hunc effectum ſeu explicatio-nem halitûs Leviathan, quam dedimus immediatè, nonnulla verba S. Bern: Sen: qui contra ſcandaliloquos agens, ſub ea-dem allegoria Draconis, ſic fatur, Tom: 3. Dom: 3. Pent: *Dra-cones ignivomi, ſunt perverſi & perverſores: ideò ex eis concitatur aër; quia perverſi, verbis peſtiferâ malitiâ plenis, corrumpunt illos, qui converſantur cum eis: nam draco occultè inſidiatur. Caudæ in quibus habet virus; ſunt infernales, & circumventiciæ malitiæ, qui-bus homines circumveniendo perimunt, trahentes ad malam vitam: inter quos elephantes exoculati, id eſt hi, qui quandoq; videntur gra-tiis, & virtutibus magnis illuminati.* Nec illud omittendum pu-to, quod Jeſ: Manſi de verborum obſcænorum damnis ſcripſit: *Verba* (inquit) *inhoneſta, verecundiam, & pudorem inſenſibiliter ex-tinguunt, bona deſtruunt propoſita: adeò, ut quæ anima, paulò ante ſe puram, & immaculatam cuſtodire conſtituerat, poſtea omnem ſper-nat cuſtodiam, atq; cautelam; impudensq; & effrons evadat.*

Turpiloqu9, Draco ignivomus.

Bern. Sen.

Manſi.

Probatur

Hiſtoricè.

13. Arcanum quoddam naturæ ſecretum circa SPECULA proditum reperio apud Plin: l. 11. c. 37. Natur: hiſt: videlicet, quod den-tibus humanis inſit quoddam virus: ita, ut ſi ex adverſo ſpe-culi nudentur dentes, SPECULI nitor hebetetur. Addit Scho-liaſtes Plinij; quòd hujus veneni vim maximè tunc produnt dentes, cùm poſt riſum exacuti, & calefacti ſunt; adeò, ut ne-dum SPECULIS noceant; ſed etiam columbarum fœtum implu-mem enecent. Moralitèr ſi loqui velimus; dentibus quoq; il-lorum, quorum guttur & fauces, à Regio Pſalte ſepulchrum patens appellantur, perniciosius longè virus ineſſe compertum eſt;

Speculo, dentes ex adverſo nudati nocent.

est: per dentes intelligo verba obscœna & scandalosa; cùm S. Ildephonsus in illum textum Psal: *Dentes eorum arma, & sagittæ, dicat: hos dentes turpiloqui maximè acutos, & pungentes habent, cùm turpibus facecijs seipsos, & alios oblectando rident.* De quo possunt intelligi & illa Sapientis verba, Prov: 10 23. *Quasi per risum, stultus operatur scelus.* Denudant verò dentes, dum clarè, & inverecundè de venereis loquuntur, atq; tum aures honestas feriunt, SPECULAq; innocentis adolescentum conscientiæ, teterrimo tentationum inficiunt fumo.

Ildephs. Prov.

14. Novit quidem, cui jam & assuevit, Aulica Pseudopolities, dentes hosce noxios, scilicet obscænas narrationes, seu significationes, honestis ad speciem, sed ex mutuo pacto, mysteriosis dicteriorum nonnullorum contegere involucris; sed non ideò, ut non noceat, verùm ut latentèr tantò perniciosiùs verecundiæ innocentûm, virus suum instillet. quod ipsum amarè deplorat Drexel: de lingua turpil: *Ponuntur* (inquit) *subinde quæstiunculæ, quæ verbis non impuris constant, sed sensu. Et eò jam nequitiæ subtilitate profecisse diabolus videtur, ut fœdissima quæq; honestissimis subinde verbis efferantur. In aulis non ignotum hoc diaboli artificium, quòd etiam verecundiam quandoq; ac innocentiam facit erubescere; dum homines oris pudici, verba proferunt minimè sordida, aliorum tamen interpretatione ad turpitudinem trahuntur.* Hæc ergo præcipua est causa, ob quam disciplinatissimorum etiam adolescentum, pudicissimarumq; Virginum, innocentiæ SPECULA, fuligine flagitiosæ, & impudicæ vitæ, plerumq; obducantur: pestifer s. halitus pravæ societatis. Quod si ita est; oculos ô Parentes aperite! ad personas, quibus cum filij, & filiæ vestræ conversantur; attendite ut hominum dissolutioris vitæ, & linguæ petulantioris blateronum, halitum atq; umbram caveant. Secus si fiat; SPECULA vestra, filij vestri, & filiæ, quos tantis studijs, ærumnis, impensisq; expolitis, educatis, paucos intra dies, turpiter in moribus defædati, & depravati apparebunt.

Drexel. Phrases turpes redarguuntur.

PARS

PARS. II.

SS. MARIA, sine macula originali. 15.

INter præclara celeberrimi successibus fortunæ, victoriarum triumphis, arteq; dominandi, Imperatoris Octaviani Augusti gesta, hoc singulare legitur, quòd ad ultimam, s. cum morte luctam, seipsum quasi præparaturus, SPECULUM sibi porrigi mandârit: quod manibus prehendens, & tantisper intuitus illud, hilari quodammodo vultu & animo, subijt mortem, & exspiravit. Quid simile nobis hodie cogitare liceat: cùm in illis (ut more humano loquar) æternitatis instantibus, reparandæ salutis nostræ in perangusto SS. TRINITATIS Senatu, agitaretur Consilium; ubiprimùm æterni Regis, & Omnipotentis Patris Filius, salvificæ illi Missioni, in carne à se assumenda, liberè consensisset, illicò mors amara, cruxq; ignominiosa, quæ sibi subeunda omninò erant, hælêre in oculis; & quasi (nostro modo loquendi) infinitæ gloriæ, & Majestatis Dominum, à tanta dignatione retrahere videbantur. Cæterùm, vix ille primò, in tota massa deperditi generis humani, reservatam sibi mundissimam Matrem, veluti tersissimum, sine omni macula peccati SPECULUM advertisset, ejusq; pulchritudinem contemplatus fuisset, SS. videlicet MARIAM, exultavit ut gygas, ad currendam destinato tempore viam è Cælo in terram, & ad ignominiosissimam illam (ut ait Apostolus) cum gaudio subeundam mortem; quasi magnum gloriæ suæ pondus reputans, tantam sortiri Matrem secundùm carnem; quæ mundissima inter puras Creaturas, esset sibi SPECULUM sine macula, & genuina expressio infinitæ puritatis suæ Divinæ. Et hoc ipsum de MARIA liquidò testatum reperio in Scriptura.

Octavianus Imp: ante agonem, SPECULUM intueri voluit.

MARIAE pulchritudo, illicium Filij DEI.

Probatur **Scripturalitèr.**

16. Diligentèr notare velimus illa verba Spiritûs S. per os Salomonis tradita, & ad initium discursûs pro themate assumpta: *Candor est enim lucis æternæ, & SPECULUM sine macula DEI Majestatis, & Imago bonitatis ejus.* Sap: 7, 26. Genuinê quidem,

Sap.

Xx & pro-

& propriè, atq; secundùm literam, assertum hoc currit de Sapientia æterna; id est, de Filio DEI; ipse namq; est essentialiter Figura, & Imago substantiæ Patris; utpotè ei consubstan-
Cornel. tialis: tamen (ut bene observat Corn: à lap: hîc) per quandam appropriationem, iste textus potest intelligi de Matre Increatæ hujus Sapientiæ; s. de B. V. MARIA: *quia* (inquit) *illa est post CHRISTVM, & per CHRISTVM, vapor virtutis DEI, & emanatio quædam claritatis Omnipotentis DEI sincera. Ipsa est candor lucis æternæ, & SPECVLVM sine macula, DEI Majestatis.* Dum ergo dicitur SPECULUM sine macula; idipsum dupliciter intelligi potest: vel respectivè ad objectum in hoc SPECULO repræsentatum, vel iterùm respectivè ad ipsummet illime SPECULUM, s. B. V. MARIAM. Si loquamur respectivè ad objectum quod in ipsa fuit repræsentatum, aut expressum; & hoc non aliud est, nisi ipse DEUS infinitæ puritatis; aut proximiùs loquendo, ipse Filius DEI, in figura seu in forma carnis ex illamet assumptæ, apparens; utriusq; hujus objecti Imaginem quomodo sine omni macula, & nævo repræsentaverit in se MARIA, etiam in sui Conceptione: latè probatum vide supra Tit: *Imago sine nævo.* Part: 2. per totum.

MARIA SPECULUM DEI, sine macula dupliciter.

17. Deinde, si loquamur respectivè ad ipsam SS. Virginem; quòd s. sit SPECULUM sine macula ullius peccati; hoc ipsum quasi ex primo sequi omninò probat Bern: de Bust: P. 9. Ser: 2. Assimil: 9. dum ita ait: *Sicut in SPECVLO, nisi esset tersum & clarum, nequaquam quis imaginem suam conspiceret; sic DEVS Imaginem suam, id est, Filium suum, in Virgine videre non potuisset, nisi purissima fuisset: & ideò dicitur candor lucis æternæ, & SPECVLVM sine macula.* Et postea ex prætactis verbis, quasi irrefragabilem consequentiam inferendo, ait: *Ori igitur suo silentium imponat, qui clarissimum DEI SPECVLVM, prædicat fuisse originali vitio commaculatum.* Nec sanè video, cur nam nitidissimum MARIÆ in Ortu suo SPECULUM, originalem contraxisset maculam, si causas examino, ex quibus (ut supra innui) contingit speculorum hebetari nitorem; halitum videlicet oris, dentesq; exertos.

Bernar. Bust.

Mariani speculi nitor deducitur ex Imagine Filij DEI.

18. Enimverò cuncti orimur, sed (ut jam dixi) sub stygij spiritûs halitu, & sub exertis, exarmatisq; in pomum vetitum Proto-

plasto;

plastorum dentibus; & ideo mortiferâ labe infecti: cæterùm Adæ dẽtes exerti: quàm nobis noxij.
MARIA in creatione sui, procul fuit ab hoc pestifero halitu;
prodijt etenim sub vivifico afflatu, & ex ore (ut ita dicam) ipsius
Spiritûs S. Quod de illa testatum lego. Eccl: 1. 9. *Ipse crea-* Eccl.
vit eam in Spiritu S. Et idipsum de seipsa asseruit ibidem 24. 5.
Ego ex ore Altissimi prodivi &c. Cui quoq; pulchrè suffragantur
illa verba Sponsæ, exambientis osculum Sponsi Cælestis. Cant: 1. Cant.
Osculetur me, osculo oris sui. Apud Hebraicæ linguæ Magistros, MARIAE Conceptio, expers halitûs Adæ, ex ore DEI prodit.
Osculari, idem est, quod *inspirare*, & *insufflare*. Ex quorum ver-
borum consignificationibus, si præterea tantisper reflectamus
nos ad creationem primi hominis, cui DEUS legitur inspirasse
spiraculum vitæ; pulchrum pro puritate SPECULI Nostri MARIÆ
in ipsius creatione, se insinuabit testimonium: quod ingenio-
sè observavit Hier: Hormach in Cant: dum sic præfata explicat
Sponsæ verba: *MARIA ergo SS. inquit: Osculetur me osculo o-* Osculum Sponsæ typ⁹ Imm: Cócep.
ris sui, & simul in hoc mystico osculo inspiret, & insufflet mihi ani-
mam rationalem, in primo meæ Conceptionis instanti; non quasi suo
modo imitans formationem Adami; sed vt indicetur, infusionem ani-
mæ meæ, similem fuisse infusioni animæ Adamicæ, simul cum gratia
absq; ullo peccato.

19. Quod si ita est, s. si candidissimæ creationis Marianæ SPECU-
LUM, à Serpentis stygij pestifero halitu, propter ipsius Creato-
ris vivificum insufflatũ Spiritum, immune fuit: certè à concomi-
tanti, nec exerti in vetitum pomum Protoplastorum dentes,
nitorem ejus hebetare valuerunt. Quod acumine suo attigisse Salaz.
videtur Ferd: Salaz: c. 25. n. 16. dum ex occasione illius Plini-
anæ observationis, quantùm noceant denudati dentes nitori
SPECULORUM, & columbarum fætui (de quo supra) sic ait: *Sive* Adæ dentes, non nocuêre columbæ MARIAE.
MARIAM SPECVLVM *esse dicamus sine macula, sive columbam mun-*
dissimam; affirmare utiq; opus est, Protoplasti dentes, ab esu pomi ve-
titi recentes, ne denudatos quidem contra ipsam: ne si vel nudatos
adversùm illam fuisse dicamus, fateri opus, sit, aut SPECVLI *nitorem,*
aspersâ maculâ hebetatum fuisse, aut fætum illum simplicem & co-
lumbinum, exitiali eorum veneno violatum & enectum.

Probatur

Figuraliter.

Liceat hic cum quodam, ex recentioribus, Ecclesiaste, insigni-
20. ter cultui & laudibus MARIÆ addicto, accommodare propo-
sito nostro typicè elucidando illum Davidicum textum, de
mirabili cujusdam Crystalli missione in terras; quam sub simi-
Psal. litudine buccellarum seu panum descripsit: inquiens Psal: 147.
17. *Mittit crystallum suam, sicut buccellas.* Constat utiq; per ex-
perientiam, conficiendis SPECULIS, crystallum esse cæteris omni-
bus vitris, materiam aptiorem; partim propter densitatem, so-
liditatemq;, partim propter diaphaneitatem & puritatem. Por-
rò plurium Patrum sensu, SS. V. MARIA, quam diximus esse
SPECULUM sine macula, appellatur quoq; Crystallus mundissima.
Ernest. Audiamus de hoc S. Ernestum Prag: c. 94. *MARIA, Crystallus*
Maria Crystallus, cur? *meritò purificata, & præparata, ut esset vas purum, atq; purissimum,*
ad continendum, non parvas reliquias Sancti cujusdam, sed ipsum
Corpus Sanctissimi Salvatoris. Similiter devotissimus in MARIAM
Idiota Part: 14. contempl: 34. inquit: *Sicut crystallus rore hume-*
ctata & Soli subjecta, incorrupta parit igniculum: sic B. Virgo, rore
Spiritûs S. madefacta, salvo flore Virginitatis, peperit CHRISTUM,
lumen Ecclesiæ. Imò nunc communis penè Expositorum opi-
Apoc. nio est; per illum in Apocalypsi c. 22. 1. crystallinum fluvium
MARIA, fluvius crystallinus. in conspectu throni, visum à Joanne, significari B. V. MARIAM:
idq; asseritur de illa, ob eximiam puritatem ipsius.

21. Jam ergo dum ait Propheta: *Mittit crystallum suam, sicut buc-*
cellas, innuere videtur, vel saltim typice insinuare missionem
primam, seu creationem MARIÆ, non aliter factam, vel fien-
dam in tempore, nisi eo modo, quo mittitur in terram cry-
stallus: hanc autem crystallum, notavit statim Vates, mitti si-
Crystalli missio typus immac: Côcep: cut buccellas, vel quasi panes. Sed quas rogo putabimus has-
ce fuisse buccellas, & panes, per quorum similitudinem decla-
ratur missio hæc, seu creatio mundissimi crystallini SPECULI, s.
MARIÆ? Res hæc, quæ in nodo est, ut luculentiùs solvatur,
expedit, & incumbit versare, & reversare buccellas, seu pa-
nes, tam veteris, quàm novi testamenti: igitur in veteris te-
stamenti Scriptura reperio, solemnes illas buccellas fuisse, quæ
dice-

dicebantur, Panes propositionis; qui per singulas hebdomadas, in mensa ante Altare DEI, recentes ponebantur. *Accipies quoq; similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas; quorum senos altrinsecùs, super mensam purissimam, coram Domino statues: & pones super eos thus lucidissimum.* Leu: 24. 17. In quibus singularitèr observo, thus illud lucidissimum; quo illæ buccellæ, seu panes condiebantur vel aspergebantur; fortè ut in domo DEI tantò suaviorem halarent odorem. *Pones* (inquit Sacrorum rituum textus) *super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monimentum oblationis Domini.*

Lev. Panes propositionis, thure conditi, typus Concept: Imm:

22\. Ad modum ergo harum odoratissimarum buccellarum, seu panum, cogito factam missionem crystalli cælestis, seu creationem B. V. MARIÆ; *Mittit crystallum, sicut buccellas:* & per hoc quasi tacitè innui, ipsam in sui Conceptione, minimè tetrum veteris Adæ culpæ halasse fætorem, sed totam ejus Conceptionem, Cælestium gratiarum aromatibus respersam, gratissimo odore fragrasse. Et sanè advertendum est, quòd thus non vulgare, sed lucidissimum, quale est illud, quod spontè, & sine impacto vulnere de frutice fluit, inspergendum illis buccellis mandabatur; ut inde colligere facilè possis, B. V. MARIAM lucidissimam, & tanquam præstantissimum thus ex stipite Adæ prodijsse, ac sine vulnere, seu plaga originalis peccati. Nova fateor, hæc cuipiam videbitur Sacri textûs interpretatio; non tamen abs re, cùm ipsam non modicè juvent, illæ salutantium Nec-Conceptam Virginem Cælestium Spirituum voces. Cant: 3. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* Fumus enim iste non offendit, licetsi cæcos Academici Nostri Poëtæ, sed potius acuit oculos, aliosq; sensus: advertit enim ille, & suaviter subodoratus est latens, in hoc thure, gratiosissimum Imm: Concep; MARIÆ mysterium; dum talitèr in præfata ex Canticis verba carmine lusit.

MARIAE Concep: thus præstantiss: sine vulnere fluens.

Myrrha Redemptoris, me præservavit amara:
Integritas animæ, thus mihi dulce fuit.

23\. Hæc de veteris Testamenti panibus, & buccellis: sed intelligamus quoq; aliquid de buccellis, & panibus novi Testamen-

Marc. ti: ne fortè de nobis dicatur illud. Marc: 6. 52. *Non enim intellexerunt de panibus.* Profectò Ecclesia CHRISTI, unicam buccellam, unicumq; Panem, sed infinitè, etsi indivisibilitèr, multiplicabilem habet: Panem videlicet Angelicum; quo sustentamur, & alimur in vitam æternam: hunc quis non facillimè intelligat esse buccellā, seu Panem ipsum Eucharisticum? præsertim quòd Glossa ordinaria de hoc Pane, interpretetur illa verba. 1. Reg: c. 2. 36. *Dimitte me obsecro - - - ut comedam buccellam Panis.* Interest ergò, ut observemus hujus quoq; Eucharisticæ buccellæ missionem; simulq; cogitandum erit, ad similitudinem ejus, factam fuisse missionem crystallinam, seu Conceptionem MARIÆ. *Mittit crystallum, sicut buccellas.*

Eucharistia, buccella Ecclesiæ.

Reg.

24. Buccella illa Eucharistica, ex pane quidem fit, & consecratione conficitur ita tamen, ut nec minimum veteris substantiæ s. Panis; in ipsa remaneat, ut docet Ecclesia Catholica contra quosdam Hæreticos: demum, licet quandoq; sceleratissimi alicujus Mystæ ore consecretur, hoc non obstante, bucella illa fit deinde Hostia Sancta, hostia immaculata, Sanctumq; Sacrificium; & continet in se verè ac realiter Agnum sine macula, CHRISTUM JESUM. *Mittit crystallum, sicut buccellas.* Similem ergò huic missioni, seu confectioni Eucharistici Panis, cogita fuisse missionem illam crystallinam, de qua hic, s. purissimam Conceptionem B. V. MARIÆ: videlicet, quòd quamvis verè ex lumbis veteris Adæ, & Parentum suorum, originali peccato olim infectorum, per generationem ordinariam prodierit; quia tamen ab æterno, ex Persona Summi Sacerdotis Christi consecrata, seu destinata fuit ipsi in Matrem, atq; in illo instanti Conceptionis, ex valore prævisorum illius meritorum, benedicta; ideo omninò sine ullo vestigio peccati veteris Adæ, vel suorum Parentum apparere debuit, adeoq; veluti crystallinum, tersissimum, sine omni macula SPECULUM. Alludere videtur non modicùm his nostris devotis de Conceptione MARIAna cogitatibus, S. Ernest: Prag: c. 94. dum taliter de MARIA fatur: *Crystallo meritò debet comparari MARIA, propter frigiditatem castitatis, propter perspicuitatem puritatis, propter soliditatem castitatis.* En quàm benè, vel ipsa præstantior materia SPECULI

In Eucharistia nihil veteris panis: in Concept: B.V. nihil veteris peccati

hujus

hujus, s. crystallus, typicè suffragatur pro nostro asserto; quod SS. Virgo in origine seu Conceptione sua fuerit SPECULUM sine macula.

Probatur **Doctoraliter.**

S. Bernardus S. 1. sup: Salve: vocat MARIAM *SPECULUM totius integritatis*. Guarr: Abb: Ser: 4. de Purif: *SPECULUM totius justitiæ*. Ubi *lÿ Totius*, est terminus expunctivus omnis maculæ peccati, ab integritate, & à justitia MARIÆ. Philip: Abb: T. 2. Moral: in Cant: appellat illam *SPECULUM sine nævo, Divinæ Majestatis*. S. Thom: Aquin: Opusc: 61. de grad: charitatis. 10. scribit. *MARIAM fuisse SPECULUM, clarissimo clarius, Seraphim tersius, & purius, & tantæ puritatis, ut purius illo intelligi non possit, nisi DEUS esset; quod Summus Artifex fecit, in ostensionem artis suæ.* 25.

S. Ernest: Prag: in Marial: c. 86. *MARIA, est SPECULUM speculorum, tantâ claritate fulgens, quâ major sub Cælo cogitari non possit; unde necesse est intelligere, ipsam illius bonitatis, & principalis luminis tantum habuisse principium, quantum sub DEO cogitari potest, Creaturam aliquam percipere potuisse.* Bern: Busten: l. 2. Assimil: *MARIA, SPECULUM DEI clarissimum, nullo vitio originali maculatum.*

Tandem ipsiusmet MARIÆ de seipsa oreq; proprio prolatum, reverenter audiamus testimonium. Apparens enim semel S. Birgittæ; prout lego Revel: l. 1. c. 42. taliter inter alia multa, eam affata est: *Nulla virtus est in DEO, quæ non fulgeat in me.* Deinde rem similitudine quasi declarare volens, hæc addidit verba: *Anima mea & corpus meum puriora sunt Sole, & mundiora SPECULO: unde sicut in SPECULO viderentur tres Personæ si adstarent; sic in puritate mea, videri potest, Pater, & Filius, & Spiritus S.* 26.

Probatur **Miraculosè.**

Bernard: de Busto, & alij plures ex ipso, Authores referunt; quòd aliquando in Civitate Ferrariensi Illustrissimus Dux Ferrariæ, in quodam homine simplici, & idiota, obsesso à dæmone, per Sacra malum illum hospitem adjuraverit de Concepti- 27.

one.

Dæmon confitetur Imm. Concept. B. V.

one B. V. cui dæmon mediante linguâ illius hominis illiterati, ita eloquenter respondit, Latino sermone, ut alter Tullius videretur; & dixit, quòd tenendum est, ipsam Beatissimam Virginem fuisse à DEO præservatam: & interrogatus de ratione; allegavit ad literam rationes, quas adducit Scotus, pro tuendo immaculato Ortu MARIÆ: Additq; cit: Author, hoc videri maximum miraculum, quòd etiam dæmones, non possint nec audeant, immaculatum purissimæ Virginis vituperare Conceptum. Iterum simile quid scribit, contigisse Mantuæ in Italia: ubi cùm Religionis cujusdam, nunc non nominandæ, Magister, scientiæ suæ confisus, statâ die, convocato populo, invitatoq; Marchione, collocatis hinc inde compluribus libris, ab alto suggestu contra originalem Virginis puritatem dicere exorsus esset; proferre non potuit, quod mente conceperat; etenim Virgo DEIpara, sic organa vocis ejus immutavit, & veluti verba in ore invertit: ut cùm ter, quaterq; dicere vellet: *B. V. MARIA, fuit in peccato originali concepta.* Semper coactus fuerit intermiscere illam particulam *Sine.* Ita, ut sensus esset: *Beata Virgo, concepta fuit sine originali peccato.*

Concept. imm. volens, nolens, quidã prædicat.

28\. Curiosi naturalium indagatores advertérunt, Speculis inesse vim quandam naturæ, ferocissima etiam animalia, uti sunt Tigrides, si ipsis specula objiciantur, edomandi, & quodammodo cicurandi: hinc astu utuntur Venatores, dum ipsos, raptis catulis fugientes, insequitur fera: nam illi in via disposita relinquunt specula; quibus superveniens fera, sistit cursum, & eorum intuitu morosè delectatur: atq; sic relinquit spatium, & opportunitatem fugientibus evadendi. *Tigris perijt* (inquit Job: 4. 11) *eo, quòd non haberet prædam.* Tigridem hanc, rectè dixero ferocissimum dæmonem; qui etsi quemlibet ex filijs Adæ ungue saltim originaliter tetigit, in sola tamen B. V. MARIA prædam nullam habere, nec unguem contra ipsam armare potuit; & ideo Tigris hæc, calcaneo ejus contrita, sub pedibus MARIÆ perijt. Tigridi quoq; (bonâ veniâ, pro honore MARIÆ loquar) in parte saltem non absimilem censeo illum, qui quasi variegatam quarundam apparentium rationum pellem indutus, adversùs immaculatum MARIÆ Ortum, quasi ungues

Speculis Tygrides edomantur.

Iob.

gues

gues exacuerat, illud impugnare intendens. Sed jam vide (pie Lector) in prædictis duabus miraculosis contingentijs, quòd cùm ad SPECULUM hoc, Conceptionem s. MARIÆ Tigrides istæ se sistunt, illudq; diligentiùs contemplantur, velintvè, nolintvè SS. MARIAM SPECULUM sine macula peccati in sui Conceptione, fateri & deprædicare cogantur.

Probatur

Scholasticè.

30. *THEOL:* Summam puritatem (intra cujus latitudinem, omninò includi debet etiam puritas à macula originali) infuisse B. Virgini, hæc ratio Theologica evincere videtur. Ad dationem supremi doni, sequitur collatio omnium inferiorum, s. donorum: juxta illud Apostoli. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non omnia, cum ipso nobis donavit.* Rom: 8. 32. Atqui DEUS donavit MARIÆ donum, summum inter omnia illa dona, quorum tantùm potest esse capax pura Creatura: s. Maternitatem DEI. Ergo quoq; contulit ipsi & summam puritatem: hoc est, ut conciperetur sine macula. Major, est S. Alberti M. c. 177. sup: Missus: Minor, est communis Patrum & Theologorum. *Confirmatur* ex eodem principio Alberti M. Difficilius est, fieri Matrem sine macula, seu concipere sine læsione Virginitatis, quàm concipi sine macula peccati in anima: primum enim est quasi violentum; nam cōtra leges cursumquè naturæ; alterum verò à solo DEI libero arbitrio pendet. Ergo si B. V. MARIA in Conceptione activa Filij sui, fuit veluti SPECULUM Virginitatis sine macula, tantò magis in sui passiva Conceptione, fuit SPECULUM puritatis, sine omni macula.

Ad dationem supremi, sequitur collatio inferiorū

Rom.

Alb.

Parere sine macula Virginitatis, difficiliùs est, quàm concipi sine macula. cur?

31. *PHILOS:* Causam inquirit Philosophus, cur quædam SPECULA, non perfectè plana, sed aliquantùm gibbosa, seu convexa, non repræsentent perfectè objecta? unde fit, quòd deformes hominū facies, & ora quasi in proboscidem belluinam formata, in talibus cernantur SPECULIS. Secùs autem est de planis, aut concavis SPECULIS; quæ adæquatè objectarum sibi rerum figuras repræsentant. Causam itaq; horum refundunt Philosophi aliqui, in species intentionales, seu visibiles objecti; aliqui in ipsos

SPECULA convexa, belluina repræsentant hominis ora; cur?

visuales radios oculi: hæc, quia in convexum, seu gibbosum SPECULUM incidendo, dissipantur, ideò oblongiora, & vastiora repræsentant objecta: & hinc est, quòd facies hominis in longum protensa, per modum proboscidis videatur; quod non contingit in SPECULIS planis, nec in concavis; imò meliùs siquidem in concavis SPECULIS, per actionem reflexivam, concentrantur radij, aut species (cùm unita vis sit fortior) fit inde, quòd nedum adæquatè, sed præterea, clariùs repræsententur objecta in ipsis. Porrò convexum illud seu protuberans in ambitionem, Protoplastorum nostrorum SPECULUM, & nostra quoq; corrupit SPECULA, dissipatis, dispersisq; radijs originalis gratiæ, quam in ipsis quia perdidimus, monstrosas ideo, nam peccato originali infectas, in Ortu nostro, & ex Uteris Matrum exportamus facies. Ast SPECULUM omnis puritatis MARIA, quia ob concavum profundissimæ humilitatis, *ita recepit radium Divinæ perfectionis*, (quod ipsa retulit S. Birgittæ loco sup: citato) *ut tam perfectè repræsentaret illam, quantùm possibile esset eam à pura creatura repræsentari*: proinde meritò fieri quoq; debuit, ut omnes gratiæ cuicunque puræ creaturæ concessæ, vel concessibiles (inter quas reperitur præcipua, s. creatio in gratia DEI, & sine macula) in ipsa concentrarentur ac unirentur.

MARIA SPECULUM cōcavum, ob humilitatem.

Birgitt.

MARIA recepit perfectissimè radium Divinæ perfectionis.

32. *STMB:* Serpentem illum, qui Basiliscus dicitur, si stantem ex adverso SPECULI tersissimi depinxeris: addito Lemmate; *Ipse peribis.* habebis Symbolum venustè declarativum, quomodo B.V. MARIA, fuerit in sui Conceptione, *SPECULUM sine macula*. Serpens enim ille, solo visu hominem enecat; verùm, si ipsi objiciatur SPECULUM; refracti ab illo SPECULO venenosi oculorum ejus radij, directè feriunt ipsum serpentem, eundemq; interimunt. In Symbolo itaq; leges causam, cur tersissimum MARIAnæ Conceptionis SPECULUM, à Stygio serpente infici originali maculâ nequivit: nec enim ad momentum serpens iste, nitidissimo huic SPECULO approximare potuit; quin statim contritus sub pedibus ejus periret.

SPECULUM quomodo interficit Basiliscum.

POES: Quàm mundum fueris SPECULUM, purissima Mater?
33. In qua se totum conspicit ipse DEUS.
Filius Æternus, SPECULUM Patris est, & Imago:
Tu Triadis SPECULUM es, quæ Genitrix Geniti,

In Matrem sibi, Te prælegit luce coruscam;
Nec maculam passus, posse subesse Tibi.

PROG: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.* 34.
ANAG: Mare MARIA, nitida ut SPECULUM: eò Agna.
SPECULUM nitidum MARIA, ea nata reago.
Lucidiùs gemmâ, par vitro, amaenè nata.
SPECULUM DEI, Mater MARIA, nativa Agno.

Probatur

Historicè.

35. Duo singularia de SPECULIS adnotata à nonnullis lego. *Vnum* apud Aresium, in Festo SS. Trin: videlicet; quòd si SPECULO maculæ sanguineæ inspergantur v. g. literas sanguine ipsi inscribendo; & sic illud SPECULUM convertatur ad Lunam clarè lucentem, illæ ipsæ maculæ, seu literæ, in Luna apparebunt: de quo sit interea penes illos Authores fides, donec per experientiam probetur, vel reprobetur, quod dicitur. *Alterum* alibi legi: In Achaja, videlicet, in Templo Cereris, olim fuisse SPECULUM tanti artificij, ut nunquam homines, sed solos duntaxat Deos repræsentarit. Si specialis quædam, & tanta vis naturæ in Astra Cæli, inest SPECULIS sanguine tinctis; vide ergò, quisquis MARIAnæ Conceptionis SPECULO, de originali illo vulnere, quo universum genus humanum in Adamo conciderat, sanguinem inspergis, ac turpi tincturâ, infamiq; charactere originalis noxæ, illud commaculare intendis, ne eo ipso, purissimo Cælesti Astro, imò ipsi fulgentissimo Soli, Filio DEI, CHRISTO JESU, aliquas turpitudinis, aut saltim dedecentiæ imprimas notas: Memor illorum verborum, quæ S. Augustinus lib: contra quinque hæreses in persona CHRISTI loquens reliquit: *Si potuit inquinari* (MARIA) *cùm ipsam facerem, potui & ego inquinari, cum ex ea nascerer.* Quæ coincidunt, & mutuò se explicant, cum verbis S. Hieron: sup: cit: Tit: *Domus* num: 22. Satiùs itaq; est, ut admirandum hoc, non jam in Delubro Cereris, sed in Ecclesia CHRISTI, demississimè veneris SPECULUM, SS. MARIAM Immac: Conceptam; & firmitèr credas ac confitearis, ipsam in sui Conceptione, nil in se repræsentasse, quod hominis maculosi esset; sed quidquid in ipsa tum apparuit, totum Divi-

SPECULUM sanguine tinctum maculat Lunam.

SPECULUM Solos Deos repræsentans

August.

CHRISTUS macularetur maculatâ Conceptione MARIAE.

Divinum fuisse; & solius DEI, per gratiam ipsi originalitèr infusam, apprimè expressivum.

EPILOGUS.

36. Ad hoc itaq; tersissimum, nitidissimum, & perfectissimè expressivum Majestatis Divinæ SPECULUM sine macula, stamus hodie, dum immaculatam B. V. MARIÆ recolimus & celebramus Conceptionem. Vnum adhuc occurrit, quod memorat cit: Aresius, de illo superstitioso in Fano Cereris SPECULO, quòd nimirum cuidam fonti immersum, juxta colorum, & imaginum in ipso apparētium diversitatem, mortem vel vitam, fausta, vel infausta, supplicantibus Cereri portenderet. Hodie dum MARIAnæ puritatis SPECULUM, vitæ fonti s. meritis prævisis Passionis Filij sui, profundiùs cæteris immergitur, & propterea in Conceptione sua omnis maculæ expers, excellentissimæ sanctitatis formam, coloremq; in se ostendit, liceat pariter supplicantibus ipsi, quæq; fausta, & vitæ munera ominari; atq; tantò confidentiùs ab illa expostulare.

Speculũ Cereris immersum fonti, præsagum.

37. Ergo ô purissimum, & sine omni macula SPECULUM, B.V. MARIA sine labe concepta, accurrimus ad Te, eximiæ puritatis Tuæ nitorem venerabundè intuituri, simulq; deprecaturi: accurrimus inquam, veluti raptis catulis dolentes ex hac lacrymarum valle Tigrides; ita enim nos peccatores, ob variorum reatuum maculas, appellavit S. Greg: Tu ergo, quæ juxta S. Ernest: Prag: c. 140, ideo diceris SPECULUM: *quia sicut* SPECULUM *neminem respuit, ita & Tu.* Tu, quam S. Alb: M. sup: Miss: c. 9. appellavit SPECULUM *pulchritudinis, & innocentiæ, ad primam pulchritudinem dirigens*; ne quæso accurrentes, supplicantesq; respue; sed potiùs radios inexhaustæ bonitatis Divinæ, tuis sanctissimis precibus, in nos clientes, devotosq; immacul: Ortûs Tui zelatores, reflecte: ut ita, mitescat tandem Tigridum, s. animarum nostrarum, ad SPECULUM puritatis Tuæ, ferocia; & exuamus hic, nostram maculis peccatorum respersam pellem s. conscientiam malam; Faxis tandem, qui Te nunc devotissimè, & firmiter confitemur in Conceptione sua fuisse SPECULUM sine macula, ut, quæ in præsenti contemplamur piam per crudelitatem, veluti in SPECULO & in ænigmate, eadem in felici æternitate per claram visionem teneamus: ibidem etiam DEI bonitatem, & immaculatam Conceptionem Tuam, per sæcula infinita deprædicaturi.

Votum Authoris.

Greg: *Ernest.* *Albin.*

Speculum, neminem respuit.

Io! vivat Sanctissimæ DEIparæ Immaculata Conceptio.

THRO-



THRONUS, sine Horrore, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

David autem Rex genuit Salomonem. Matt: I.
Aspiciebam donec Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Dan: 7.

DUm ego intimiùs arcana perscrutor textûs S. Evangelij, quod universalis Ecclesia, in gratiosissima solemnitate immac: Conceptionis V. MARIÆ, nobis prælegit; videre mihi videor, quasi me raptum, cum Viro illo desideriorum, inclyto Propheta Daniele, ad videndam novam quandam visionem. NN. Vidit ipse, quòd antequam Antiquissimus ille dierum, cum infinita Majestate, suum insedisset THRONUM, alij quidam præpararentur THRONI. *Aspiciebam* (inquit) *donec THRONI positi sunt.* Porrò dum Genealogiæ CHRISTI Matrisq; ejus Sanctissimæ legitur Evangelium, tot quasi dispositos THRONOS video, quot Reges in illa numero, à Davide, qui hic primus Rex, alios Reges genuisse dicitur, seriem incipiendo. *David autem Rex, genuit Salomonem, &c.* 1. THRONORUM visio, habita à Danjele. Dan.

Jam jam abbreviabantur, olim revelatæ Danjeli ab Archangelo illæ exoptatissimæ hebdomades sacræ, & desideratissimus Gentium, in forma carnis peccati, antiquissimus dierum in specie infantis, DEUS indutus hominem, cum pijssimo ad- 2.

ventu suo, ad redimendum perditum genus humanum anhelans imminebat: Thronus proinde peridoneus Majestati ipsius in terris præparandus fuerat; digna videlicet tali Filio, Mater: & ut tantò major fieret gloria ejus, ecce THRONI positi sunt: dum in Genealogia ipsius præcedunt coronati Reges. Clariùs dicam: Hodie Regis Regum, & Domini Dominantium fundatur THRONUS, dum immaculatè concipitur SS. V. MARIA, *de qua natus est JESUS.* Eam etenim S. Epiphan: de laud: V. vocat *THRONUM Cherubicum.* S. Damian: Ser: 42. de Nativit: *THRONUM DEI, Solium Divinitatis, Palatium Regis æterni.* Similiter S. August: *THRONUM, & Cameram æterni Regis.* Cui quoq; satis venustè metro occinit S. Ansel: in suo Psalterio. *Ave THRONUS DEItatis. In quo DEUS Majestatis, Dignatur homo fieri.*

CHRISTI THRONUS fundatur, in Concept. B. V.

Epiph. Damian. August. Anselm.

3. THRONUS Regius horrore percellit. Henrici II. devotio.

Enimverò, dum præpotentium Monarcharum Regumq; considero THRONOS, quendam ipsis inesse Majestatis terrorem cognosco; quem, nedum intuentium animis incutiunt, sed ipsos quoq; Monarchas dum illos ascendunt, tacito quodam horrore percellunt. Hinc legimus Henricum II. Imperatorem, nunquam Imperij sui insignia induisse, & THRONUM conscendisse, nisi priùs se per Confessionem expiasset, & privatâ verberatione seipsum castigasset. Nec sine mysterio ipsemet Rex David dignitatis suæ THRONUM se exhoruisse fatetur, dum dicit: Psal: 87. 16. *Exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus nimis.*

Psal.

4. THRONUS ergo iste, qui hodie præparatur venturo Regi Magno, scilicet Concepta in Utero Matris suæ, Virgo MARIA, pariterne fiet THRONUS terrificus? minimè: omnes quidem Justorum Animæ, in quibus per gratiam inhabitavit DEUS, vel nunc inhabitat, juxta S. Bernardum, Throni sunt DEI. Ser: 21. in Cant: nullus tamen istorum THRONORUM fuit, aut est sine terrore; saltim enim aliquando DEUS, antequam per gratiam suam, thronos hos insedisset, exhorruit ad ipsos, propter peccatum aliquod, ad minimum originale. Unicus iste & singularis THRONUS SS. Virgo MARIA, est sine horrore; nam pro nullo unquam instanti culpæ peccati subjecta; ad quem THRONUM accedere vel ideo, DEUS non exhorruit primò; quid dico, exhorruit? imò sublimi ejus præstantiâ, & Maje-

Bernard:

Animas omnium (exceptâ MARIA) exhorruit DEUS.

jesta-

jestate illectus exultavit, ut possideret hunc Dignissimum Majestate suâ, THRONUM, idq; per gratiam originalem in Creatione ipsa, illi infusam. Quare pro solito more probaturus SS. Virginem MARIAM fuisse THRONUM DEI sine horrore ullius peccati hodie fundatum, præmittam morale, explicando, quomodo DEUS horreat peccatum in anima. Nunc saluto rythmicè Neo-Conceptam. Propositio.

Salve THRONUS Majestatis, Infinitæ DEItatis.
Non hic sedit Adam reus: Sed tu solus, Alme DEUS.

PARS I.

Quomodo DEUS horreat peccatum in anima.

MEllifluus Doctor Bernardus, illum pertractando locum. Ps. 10. 5. *Dominus in Cælo Sedes ejus:* cujuslibet justi hominis animam, THRONUM, seu Sedem DEI appellat; & quidem talem, in quo libentissimè Rex Cælorum residere cupit & avet: cujus pulcherrimam subjungit rationem, dicens: *Nec mirum, si libenter Cælum hoc inhabitat Dominus JESUS, quod utiq; non quomodo cæteros, dixit tantùm Ut fieret: sed pugnavit, Ut acquireret, occubuit Ut redimeret: ideo post laborem voto potitus, ait: Hæc requies mea, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Cæterùm frequentèr contingit, si loquamur respectivè ad peccatum mortale actuale, (nam respectivè ad originale ordinarium est) nobis puris hominibus ex semine Adæ prognatis, (exceptâ SS. DEIpara) quòd iste Rex, & Dominus animarum nostrarum, de hoc suo deliciosissimo THRONO, vel propter actuale peccatum, per quod Tyrannus dæmon invadit sedem animæ, exturbetur; vel saltim originale non ablutum, in ipsa exhorrescens, accedere, ut eam possideat per gratiam, tergiversetur: imò ipsam refugiat, tanquam monstrum omnium terribilium terribilissimum.

5. *Psal.* Anima justi, THRONUS DEI. *Bernard.* Peccatum exturbat DEum, de Throno animæ.

Probatur

Scripturaliter.

Ex multis S. Scripturæ locis prodit se asserti hujus veritas, quòd 6.

DEVS, quantùm odiat peccatum. quòd scilicet & quantùm horreat, odiatq; DEUS peccatum in anima, seu ipsam peccatricem animam: quorum primus, & Sap. præcipuus, quia cæteris clarior est ille locus. Sap: 14. 9. *Odio sunt DEO impius, & impietas ejus:* Et simile quid habetur Ps: 5. 7. Psal: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Hocce odium DEI contra Drex. peccatum, quàm ingens sit, volens explicare Drexel: de Job: P. 2. c. 15. ita ex Granatensis mente loquitur. *Si omnium Angelorum, & hominum intellectus in unum, si linguæ omnium, in unam conflarentur linguam; nec ille satis capere, nec ista satis exprimere posset odium, quo DEVS prosequitur peccatum.* Omnia penè DEI viscera (ut humano modo loquar) commoventur; imò ipsum Divinum cor trepidat, turbatur, dolet, visô in anima Gen. peccato: quod ipsum fateri dignatus est DEUS. Gen: 6. dum antediluvianorum accusans peccata dixisset ad Noe: *Pænituit eum quod fecisset hominem.* Hebræa versio legit. *Indolui.* Cui versioni & ille textus Scripturæ arridet, ubi eodem capite dicitur de DEO: *Tactus dolore cordis intrinsecùs: delebo inquit hominem.* Iste autem dolor, seu horror & aversio cordis Divini, quòd Oleast. etiam nunc per peccata renovetur, audi Oleastrum in hunc locum. *Hinc disce* (inquit) *DEVM toties se pænitere, fecisse te; quoties te peccatorem intuetur.* Unde nonnemo ingeniosam movit quæstionem, quidnam horribilium sit terribilissimum? forPsal. tè DEUS? de ipso enim scriptum est: Psal: 75. 8. *Tu terribilis* Peccatū terribilius Deo: quomodo? *es, & quis resistet tibi?* Cæterùm (suo modo loquendi) putavit ille, terribiliùs esse dicendum peccatum: quia ipse DEUS, qui est terribilissimus exhorret illud; dum quodammodo fugit, seu recedit cum sua gratia, & eodem instanti quo committitur peccatum, deserit sedem suam, s. animam peccatoris.

7. Ad hoc spectare videntur omnia illa loca S. Scripturæ in quibus homo peccator, comparatur brutis, ferisq; & horrendis Psal. bestijs. Sicuti legimus in Psal: 48. 13. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Cui loco consonant placita SS. Patrum, qui peccatorem, nedum bestiam, sed pejus quid, aut monstrum ex pluribus bestijs compositum, nuncupavêre. Audiamus primò D. Chrysost. Chrysostomū hom: 4. in Matt: ubi sic alloquitur peccatorem:

Quid

Quid verò fidelem te dico? Nec enim es homo, si manifestè possum videre. Cùm namq; tanquam asinus recalcitres, lascivias autem ut taurus, tanquam equus verò post mulieres hinnias, ventri tanquam ursus indulgeas, & ut mulus carnem impingues, & malum memoriâ teneas, tanquam camelus: porrò rapias quidem ut lupus, at ut Serpens irascaris, ferias ut scorpius, sis subdolus, ut vulpes; nequitiæ verò, tanquam aspis, & vipera venenum serves: at sicut ille malignus dæmon, fratres impugnes: quomodo te cum hominibus connumerare valeam, talis in te naturæ signa cùm non intuear. Deinde Isidorus Pelusiota, discipulus olim ejusdem D. Chrysost: addit plura, l. 2. ep: 135. inquiens: *Si rem accuratiùs pensemus, non jumentis duntaxat, sed etiam truculentissimis feris comparari posse videtur; imò etiam eas superat, qui turpium affectionum, & libidinum amator est.*

Peccator bestia, monstrum.

Telus.

8.

Hunc sensum S. Scripturæ atq; placita Patrum, valdè elucidat, stupenda illa superbi Nabuchodonozoris metamorphosis, in urum, aut bisontem: juxta prædictionem Prophetæ Danielis 4. 22. *Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis ferisq; erit habitatio tua, & fænum ut bos comedes:* quod ipsum recentiùs renovatum legimus in quodam Viro, qui dum adulterio commisso, domum rediret, Uxor, & liberi ejus propiùs accedentem conspicientes, & terribilis cujusdam bestiæ cornutæ in vultu ipsius figuram advertentes, timore perciti domo aufugerunt. Si ergo sic homines, alterius hominis, si Uxor, & liberi, proprij Mariti, aut Parentis peccatoris bestialem deformitatem exhorruêre; quantò magis puri Spiritus Cælestes, & maximè infinitæ puritatis ille Spiritus Divinus, fœdum hoc monstrum s. animam in peccato degentem aversari, cogitandus est? Mavult ille in cubilibus Draconum, & inter mille Hercynia commorari monstra, quàm vel ad minimum punctum in peccatrice anima figere sedem: quod paulò infra, unâ & alterâ ex Historijs, adinvicem sibi comparatis declarabitur. Hæc pro interim dicta sunto de anima actualiter, vel habitualiter peccatrice: quod tamen suo modo, & in aliqua parte verificandum venit, etiam de anima justi; qui quamvis modò defacto justus sit, aliquando tamen fuit peccator, vel originaliter, vel actualiter; videlicet, quatenus DEUS ita aversatur horretq; peccatum, ut

Daniel.

Adulter, specie bestiæ deformatus, videtur Uxori, & liberis.

(cæteris paribus) magis diligat animam nullo unquam pecca-to maculatam, quàm illam, quæ talem maculam quandocunq; in se habuit.

Probatur. **Figuraliter.**

9. Huic comprobandæ & elucidandæ veritati opportunam obſervavit Figuram, zeloſus ævi noſtri Eccleſiaſtes & meæ Provinciæ ter Miniſter R. P. Franciſcus Rychłovius, in ſuis typo editis concionibus pro Feſto S Joan: Evang: con: 2. idq; in illo unguento, quo Magdalena inunxiſſe legitur Salvatorem. Novimus ergò ex S. Codice Evangelij, bis Salvatorem noſtrum in vita ſua unctum fuiſſe à pænitente Magdalena: ſemel enim in domo Phariſæi unctus ab illa eſt in pedibus: de quo Luc: 7. 38. *Oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Alterâ vice, ut teſtatur Matthæus, unctus ab eadem fuit in capite. *Acceſſit* (inquit) *ad eum mulier, habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* 26. 7. Hic ſciſcitatur l. 3. in Joann: Rupertus, quidnam cauſæ fuerit? quòd primâ vice cum pedibus non unxerit caput: ſupponitur enim utrobiq; unguentum pretioſum fuiſſe; adeoq; ſi idoneum fuit ſecunda vice ungendo capiti Salvatoris, cur non, etiam primâ?

Magdalena, quur primâ vice non unxit, niſi pedes IESV?

Luc:

Matt.

10. Satis argutè, ſolvit difficultatem à ſe objectam, idem Rupertus, dum ita ait: *Revera, quando primùm ad Dominum acceſſit, tunc unguento, quod non propter Dominum ipſum emerat, ſed ob fragrantiam ſui corporis vegetandam compoſuerat, ſolos unxit pedes Domini; nec enim poterat peccatrix ſtatim capite ejus digna fieri. Nunc verò jam juſtificata, & dilecta, unguento, quod propter hoc ipſum emerat; tam caput, quàm pedes perunxit.* Ex qua Doctoris ſolutione, ſupra citatus Noſter Eccleſiaſtes colligit, quòd anima de peccato ad CHRISTI pedes pænitens, eſt quidem pergrata CHRISTO: *Nam gaudium eſt DEO & Angelis, ſuper uno peccatore pænitente:* ipſaq; eſt veluti ungventum, jam nunc pedibus CHRISTI dedicatum, quod tamen antea vanitate mundi & peccato inſerviebat. Cæterùm illa anima, quæ nullo peccato, ſaltim actuali unquam violata fuit, eſt quaſi unguentum ſoli DEO, & ſemper dedicatum; ideoq; capiti CHRISTI peridoneum;

Ruperto.

Pænitēs, Unguentum pedum Chriſti.

neum: id est, in comparatione illius prioris animæ, ampliori dilectione, favore digna & præmio. Anima innocens, Vnguentum Capitis CHRISTI.

Non inficior sanè, imò firmissimè cum Orthodoxa teneo Ecclesia, quòd Sacramentum Baptismi ritè administratum maculam originalis culpæ totaliter abluat. Similiter, quòd Sacramentum Pænitentiæ, sit magnæ efficaciæ medicina, & ita perfectè curet peccati vulnus, ut nec cicatricem relinquat; propter quam DEO odibilis esset quomodocunq; homo pænitens. Id enim negare, esset contra illud juratum DEI testimonium. Ezech: 18. 21. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, --- omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Item, esset contra doctrinam D. Chrysost: hom: 3. de Pænit: T. 5. ubi ille ait: *In corporibus quidem non est ita, sed quanquam millies conetur Medicus, vulnus quidem evanescit, remanet verò cicatrix, vulneris vestigium, faciei deformitatem habens. DEVS autem cùm deleverit peccata, sic ea delet, ut neq; cicatrices, neq; cicatricum supersit indicium, neq; vestigium ullum; sed cum sanctitate pulchritudinem largitur, & post pænæ liberationem justitiam ingerit.* 11.

Sacramenta, delent peccata, nullâ cicatrice, vel nota relictâ in anima.

Ezech:

Chrysost.

His tamen non obstantibus, nihil puto fore contra Scripturam, & Fidei Sacræ Dogmata, id quod supra asserui, quòd (cæteris paribus) magis DEUS diligat animam nullo unquam peccato maculatam, quàm eam, quæ quandocunq; peccati maculam habuit: & quod in illa priori, resideat DEUS per gratiam suam, cum quadam speciali suavitate, tanquam in loco perfectæ immunitatis, atq; in throno sibi gratiosissimo. Cui assertioni plurimùm suffragatur illud, quod est toti Ecclesiæ notum, Divinissimum S. Evangelistam Joannem, amplioris (cæteris Apostolis) fuisse dilectionis apud CHRISTUM: hoc enim constat, nedum ex illo textu Evangelij: Joan: 21. 7. *Ille discipulus, quem diligebat JESVS.* Ubi nomen Joannis, penè transijt in Nomen JESU: sed etiam ex specialibus prærogativis eidem concessis: dum S. factus testamentarius Filius Matris DEI. *Mulier, ecce Filius tuus:* deinde in Cæna ultima, thesaurarius cordis CHRISTI: *Recubuit super pectus ejus:* Et tandem mirandæ Apocalypsis Propheta. 12.

DEVS, gratiùs residet in anima, nullo unquã peccato temerata.

Joan.

Causam verò hujus specialis dilectionis si quæris à Joanne, 13.

Brev. ipsa pro illo respondet Ecclesia: in Brev: Rom: *Quoniam* (inquit) *specialis prærogativa castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum.*
Euthym. De quo Euthym: in c. 23. Joan: sic scribit: *Tantam Joannes à*
Ioann: Evág: specialiter dilect9, cur? *puero curam habuit puritatis, ut nec turpem quidem cogitationem unquam in cor suum ascendere permiserit.* Idem testatur Theophilactus: *Joannes innocentissimus, simplicissimus, mansuetissimus omnium erat; & ideo diligebatur.* Ex quibus jam clarum habetur; quòd gratiùs sit DEO per gratiam suam residere tanquam in THRONO, in anima justi, qui nunquam peccavit, quàm in illius, qui peccavit quidem, sed jam pænituit. Ast redeamus, oportet ad superius dicta de abhorrentia, quam habet DEUS respectu peccatricis de facto animæ: hancq; videamus ad oculum in Exemplis.

Probatur **Historicè.**

14. In Eucharistiæ distributione, puer IESVS ori imponi, visꝰ. Baron: sub A. D. 785. refert, quòd Dux Saxoniæ Windichinus dictus, fassus sit coram Carolo Rege Galliæ; die Paschatis se vidisse, quòd dum populo distribueretur Eucharistia, cujuslibet ori non hostia, sed gratiosissimus quidam puerulus vivus imponeretur à distribuente: qui videbatur aliquorum viscera exultans ingredi; aliquorum verò (hi in peccato lethali erant) ora aversari, & oculos ab ipsis avertere: inde quasi violenter intrudebatur faucibus illorum.

15. Præterea ap: Engelg: pro Festo S. Barthol: lego ex Nieremb: rarum quid: In Hybernia peregrè constitutum quendam Sacerdotem in sylvis invenit lupus, eumq; voce humanâ allocutus, monuit ne timeret: dicens, se esse hominem ex quadam familia; unde quolibet septennio per imprecationem S. Natalis Abb: duo s. mas & fæmina, tam à formis, quàm à finibus exulare coguntur, formâ, & pelle induti lupinâ: completo septennio si supervivunt, alijs duobus subrogatis simili conditione, ad pristinam redeunt tam patriam, quàm formam: meæ porrò peregrinationis socia (ait ille personatus lupus) non procul hinc graviter infirmatur; accede ad eam precor: factum est; lupa decumbens sub cava arbore, humanosq; gemitus edens, voce humanâ salutat venientem Sacerdotem, DEUM pro speciali

Mas & fæmina in specie luporum, pænitentes, petunt Sacramenta.

pro;

providentia benedicit, confessione factâ, petit Viaticum; sed Sacerdote negante se illud habere, lupus ostendit ei vasculum seu libellum, continentem aliquot hostias, quas more patriæ Presbyter itinerans sub indumento è collo suspensas portabat, obnixè rogans, ne cæleste illud pabulum, eo articulo denegaret Uxori: & ad tollendam omnem dubietatem Sacerdoti, pede, quasi manu perfungens, pellem totam à capite lupæ detrahens, usq; ad umbilicum replicavit, & sic forma hominis apparuit; quam S. Synaxi Sacerdos refecit. En (pie Lector) utramq; hanc historiam ad invicem si comparaveris, nonne videbis? quomodo DEUS, quomodo CHRISTUS, peccatricem exhorrescat animam; quòd ex prima historia colligere potes; cùm in altero exemplo videas, quòd, nec ferocis bestiæ imagine deformatam fæminam, tantis etiam prævijs miraculis non dedignatus fuerit visitare, eamq; consolari.

PARS II.

SS. MARIA THRONUS sine horrore originalis labis.

DE Dyonisio Tyranno narrant Historici, quod ille, ad confundendum errorem cujusdam Philosophi invidentis sibi Dignitatem Regiam; mandaverit præparari magnificum THRONUM, & competitorem illum, fecerit in eo collocari, cum omnimodo apparatu, & assistentia Procerum; ita tamen, quòd summitati illius THRONI, imò capiti insidentis, immineret acutissimus gladius, subtili filo appensus: quis certè non fateatur THRONUM hunc non fuisse sine terrore, gladio illo in momenta mortem comminante. Similes THRONOS videre mihi videor, dum totam massam creationis hominum, imò & Angelorum considero: pensatis enim hactenus dictis de abhorrentia, quam habet DEUS, respectivè ad peccatum in creatura, evidens est, DEUM nunquam usq; ad instans Conceptionis B.V. MARIÆ, aut posthac invenisse sibi THRONUM s. creaturam, in qua resideret per gratiam, sine ullo horrore: cuilibet etenim

16.

Thronus Dionysij Tyranni, cum impendenti gladio.

etenim etiam justissimorum hominum, ad summum in conceptione sua, feralis originalis peccati, non jam imminebat, sed etiam feriebat ejus animam, gladius: imò ipsis etiam Protoparentibus, atq; Angelis creatis in gratia, tenuissimo peccabilitatis veluti appensus filo, ruinam pertimescendam, adeoq; ex throno suo posse deturbari DEUM, quodammodo ostendebat, & minabatur. Hodie primùm DEUS, securissimum & sine ullo horrore, Majestati suæ invenit, imò fundavit THRONUM, dum animam B. V. MARIÆ, nulli unquam peccato, aut peccabilitati proximæ obnoxiam, creavit. Hoc ipsum.

Angeli, peccabiles creati.

Probatur

Scripturaliter.

17. Pro loco probationis, sint illa Prophetæ simulq; Regis verba, quibus ille exprimere voluit THRONI DEIfici magnificam excellentiam; dicens: Psal: 88. 30. *THRONUS ejus, sicut dies Cæli.* Adverto statim in hoc termino *Cæli*, latere mysterium; quod fortè novam controversiam inter dies & dies, ac consequenter inter dies & noctes excitabit. Porrò quamvis S. Chrysost: hom: 9. ad pop: ob summam concordantiam inter dies & dies, noctesq; cum ipsis, appellavit ipsas, dilectissimas adinvicem sorores: verba Doctoris hujus digna sunt ut recenseantur. *Velut Sorores quædam (inquit ille) paternam hæreditatem partitæ; charitate multâ, nullo modo inter se calumniantes; sic & dies, & nox, cum omni diligentia, annum, æqualitate tantâ distribuunt, & proprios conservant fines, nec unquam altera alteram pellit.* Subaudio tamen apud eundem Regium Psaltem, inter dies, & dies, ac similiter noctes, quandam, saltim charitativam, exortam fuisse litem. nam Psal: 18. 2. ita scriptum legitur: *Dies, diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.*

Psal:

Dies & nox, duæ sorores.

Chrys:

Psal.

18. Ad complanandam hancce controversiam inter dies ac dies, noctesq;, ut intelligamus simul qui nam sint dies Cæli, quibus THRONUM DEI assimilavit David. *THRONUS ejus* (inquit) *sicut dies Cæli.* Notandum est, varios in Sacris reperiri dies. Diem scilicet iræ, de quo Ecclesia in Officio Defunct: *Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miseriæ.* Item, diem noctis, seu tenebrarum, de quo Job: 3. 4. *Dies illa vertatur in tenebras.* Verùm S. August: ex oc-

Ibid.

ex occasione citati Psalmi præcipuam quandam distinctionem facit, inter dies & dies; dicendo, alios esse dies Cæli, & alios dies terræ: Dies Cæli dicit, qui sunt conjuncti cum æternitate, & semper sunt. *Nemo* (inquit ille) *expectat ibi futurum, nemo ibi perdit præteritum: sed dies Cæli, semper præsentes sunt; ubi erit* THRONVS *ejus in æternum. Dies autem terræ sunt temporales, volubiles:* ait ille: Et ulteriùs prosequitur dicens: *Dies terræ succedentibus urgentur, præcedentibus excluduntur: nec qui succedunt manent, sed veniunt ut eant.*

August.

Dies Cæli, dies terræ, quo differūt.

19\. Ex hac itaq; diversitate dierum, rem ad sensum moralem flectendo, una dies omninò destinanda est DEO; quæ sit, rectèq; dicatur *THRONVS DEI, THRONVS ejus, sicut dies Cæli.* O quàm felix & superbenedicta dies talis! sed quænam illa? Peccatores, rectè dici queunt dies iræ, vel dies tenebrarum: deinde quoad justos, adhuc in hac vita degentes, neq; isti, propriè dici possunt, dies Cæli; quia, etsi ipsis non desit lumen gratiæ, adhuc tamen lux illa gratiæ in ipsis, non est conjuncta cum æternitate tam à parte ante, ratione peccati originalis, in quo aliquando fuerunt; quam à parte post, ratione volubilitatis, seu peccabilitatis; propter quam adhuc possunt peccando amittere lumen illud gratiæ: dicantur itaq; tales justi, esse dies terræ. Forsitan saltim primi Parentes nostri, & Angeli creati in gratia, cæterisq; donis, tam naturæ, quàm gratiæ, mirè in creatione sua resplendescentes, merebuntur appellari dies Cæli, adeoq; idonei THRONI Divinæ Majestatis? minimè; Dilucula enim, vel crepuscula (qualia dies Cæli, dies perfectè æterni, non admittunt) in ipsis observo. Status quippe ille gratiæ primorum Parentum, ob modicum spatium temporis, quo in ipso permanserant, diluculum sat exiguum justè nuncupandus; cui penè infinita nox peccati brevi successit. Crepusculum etiam felicitatis suæ vidit natura Angelica, peccabilem se, ante confirmationem sui in gratia, advertens; imò vidit & noctem, in ipsa ruina Con-Angelorum.

Dies iræ, dies terræ, dies cæli: quos denotant.

Sylveyra in Evang. T. 1. l. 1. c. 3. n. 21.

Diluculum Adæ, crepusculum Angelorum: quid?

20\. Unica itaq; & talis anima dicenda esset dies Cæli; quæ nec diluculum, nec crepusculum sciret, sed perfectæ æternitatis, id est, tam à parte ante, quàm à parte post, lumen gratiæ haberet;

tet; nullis crepusculis, vel diluculis obnoxia, sed tota in splendoribus sanctitatis: & quæ consequenter esset THRONUS DEI dignissimus. Jam toties dictum B. V. MARIAM appellari à Patri-

MARIA ob Imm: Concept: dies Cæli. bus THRONUM DEI; partim quia in ipsa specialiter DEUS per gratiam suam resedit, partim quia in Utero ipsius beatissimo, incarnatus DEUS requievit. Cùm ergo David asseruit THRONUM DEI esse, veluti diem Cæli, quasi suffragari voluit Imm: Conceptioni MARIÆ; siquidem (ut supra vidimus) nulla alia creatura possit appellari dies Cæli, dies perfectissima, dies æternitatis, vel ob culpam originalem, vel saltim ob peccabilitatem. Hinc est; quòd dum SS. MARIA Dies Cæli dicitur, vel

MARIA ab gratia, fuit sine amissibilitate, ante & post. ipsi comparatur; quasi per hoc innuitur, nunquam habuisse ullam relationem ad tenebras peccati, sed lumen gratiæ illi in creatione infusum, tam à parte ante, quàm à parte post, fuisse æternum; id est, nec ante amissam, nec post amissibilem gratiam habuisse.

21. Ut autem hæc mea cogitatio lumen suum accipiat aliundè,

Philo. aptissimè ad hæc differentem audiamus primò Philonem Abb: l. 4. in Cant: 6. in hæc verba. *Quidquid in Virgine agitur, noctem nescit: cui Regem carne coronanti, dies infunditur, lux splendescit, splendore diurno, vel magis diuturno, Matris spiritus hilarescit.*

Isid. Deinde S. Isidor: cit: ap: Bernard: de Busto P. 9. Assimil: Ser: 3. qui MARIAM diem appellans, ita ait: *Si in isto mundo visi-*

MARIA, Dies sine nocte. *bili corpus opacum, id est terra; sese non interponeret, tunc Sol semper diem faceret, & nunquam nox esset. In MARIA igitur nihil unquam fuit opacum, nihil terrenum, nihil rationi contrarium; & ideò nulla nox unquam ibi esse potuit, sed semper tanquam dies lucida ra-*

Zachar. *diavit.* juxta illud Zachar: 14. 7. *Erit dies una, quæ nota est Domino. Non dies, neq; nox:* id est (ut explicat de Busto) *non vicissitudo dierum & noctium; ista talis dies, quæ nunquam habuit noctem.*

Probatur Figuralitèr.

22. Ad declarandum, quòd B. V. MARIA fuerit THRONUS sine terrore, ob carentiam originalis peccati, nullam in tota S. Scriptura convenientiorem reperio Figuram, quàm in admiranda

illo

illo cunctisq; nationibus stupendo Regis Salomonis THRONO: siquidem B. V. MARIA, verè appellanda venit THRONUS & Solium novi Salomonis CHRISTI. THRONUM ergo illum Regis Israel tali stylo depinxit Sacer textus 3. Reg: 10. *Fecit etiam Rex Salomon THRONUM de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus: & summitas THRONI rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus, hinc, atq; inde, tenentes sedile: & duo leones stabant juxta manus singulas. & duodecim leunculi stantes super sex gradus, hinc atq; inde: non est factum tale opus in universis Regnis.*

Reg.
Thronus Salomonis typus Immac. Concept.

Porro S. Method: Ser: de Purif: B. V. MARIAM comparat 23.
huic THRONO Salomonis; quôd & luculentissimè totâ illâ oratione demonstrat. Hinc & mihi hodie, dum magnificus iste novi, & mystici Salomonis fundatur THRONUS, id est concipitur SS. V. MARIA, liceat ex eadem comparatione nova elicere argumenta, pro immaculata ipsius Conceptione. Et quidem si accuratiùs singulas circumstantias grandis illius Salomonici THRONI perpendo, penè omnia symbolicè testantur THRONI hujus s. B. V. MARIÆ, ab omni peccato immunitatem: solis exceptis sex gradibus, qui tantùm vel summæ perfectioni viam parant. vel pro majori THRONI istius inserviunt Majestate. Quos gradus Guever: Ser: 190. in Psal: sic explicat: *Sex gradus, sunt sex prærogativæ Virginis.* Prima *est voti voluntas, quia prima Virginitatem vovit.* Secunda *est castitas Virginalis, & matrimonialis.* Tertia *parientis integritas.* Quarta *plenitudo charismatum.* Quinta *est humilitas.* Sexta *deniq; est prærogativa præmiorum.* His præmissis de sex gradibus, cætera illius Salomonici THRONI, quomodo pro immaculato Ortu MARIÆ stent, jam videamus.

Meth.
MARIA THRONUS Salomonis.
Guev.
Throni gradus, 6. prærogativæ B. V. MARIAE.

Duodecim leunculi stantes super sex gradus designare possunt SS. 24.
Patres, & Doctores, qui piam hanc sententiam zelosè tuentur; idq; tam ex Orientali, quàm ex Occidentali Ecclesia; quorum non jam duodecim ordines, sed numerosissima castra, per omnes ætates ab ipso exordio Fidei Christianæ, probatissimi Authores diligenter recensent. Escob: Sylvei: Salazar, & plerumq; alij, quotquot ex professo tractant de hoc mysterio.

Leunculi, Doctores SS.

Leones duo, Scotus, & A. Alen.

Duo Leones stabant. Hos ego statuere volo veluti ignem spirantes pro immaculato Ortu MARIÆ, ex igneo, quia Seraphico Ordine Nostro; Alexandrum videlicet Alensem, & discipulum ejus (ut aliqui Chronologi referunt) Doctorem subtilem Joan: Duns Scotum; qui duo irrefragabilibus suis argumentis contra oppositam sententiam in tantum prævaluêre, ut totam pene Ecclesiam in suam jam traxerint opinionem.

SS. Ansel. & Ildephonsus, speciales tutores Imm: Concept.

25. *Duæ manus, tenentes sedile, hinc, & inde,* Symbola sint manuum celebratiorum inter alios Episcopos, qui pro immaculata Conceptione laborarunt, duorum Pontificum, scilicet D. Anselmi, & Idephonsi; qui cæteris clariùs multis conscriptis de hoc mysterio tractatibus, benè fundarunt piam hanc opinionem; quam deinde, authoritatibus præcipue istorum Pontificum innixi, illi duo Seraphici Leones tantò animosiùs propugnaverunt. *Summitas* THRONI *rotunda erat.* Rotunditas, seu circulus, usitatissimum est Symbolum cujusq; infiniti, seu principio & fine carentis: proinde benè denotabit rotunditas hæc THRONI, infinitam Omnipotentiam, & Omniscientiam DEI, quæ penè in summitate activitatis suæ steterunt, dum hic fabricaretur THRONUS, s. in creatione Virginis. Huc servit illud Andr: Cret:

Rotunditas, Symbolum infiniti.

Andr. Cret.

Omnia in Virgine sunt admirabilia, omnia vires naturæ excedentia; in qua DEUS exercuit suam potentiam.

MARIA in sui Concep: habuit fruitionem beatificam.

26. *Vestivit eum auro fulvo nimis.* Aurum excellens, seu ignitum, juxta Apocalypticam interpretationem, est Amor, & Charitas: perfectissima autem est illa, quæ consistit in fruitione beatifica. Plurimi reperiuntur Doctores apud Miechov: in Lit: Laur: d. 88. n. 11. qui asserunt B. V. MARIAM in primo puncto Conceptionis habuisse visionem beatificam; ex consequenti omninò dicendum habuisse quoq; & fruitionem, amorem beatificum. Cùm autem secundùm omnes Theologos, actualis amor DEI nullo modo possit stare cum ullo peccato etiam originali: ut patet id liquidò in justificatis per Baptismum Flaminis; satis evidenter, aurum hoc, quo vestitur æterni Salomonis THRONUS, hodie Concepta Mater, probat in Conceptione sua fuisse ipsam sine ullo peccato.

27. *Fecit Rex Salomon Thronum grandem de ebore.* Materia THRONI Sa-

Salomonici, aptiùs cæteris serviet nobis ad propositum. Ebur enim, sicut & Elephas ipse ap: Pier: Ægyptijs habebatur pro Symbolo excellentis puritatis seu castitatis: pro quo stat & illud Epithalamicum Cælestis Sponsæ elogium: Cant: 7. 4. *Collum tuum, sicut turris eburnea.* Unde eburneus hic novi Salomonis Thronus, cæteris clariùs ex ipsa sui materia, indicat summam, & excellentem puritatem MARIÆ, tum dum fundaretur, seu conciperetur. Porrò Ebur, nil aliud est, nisi dens Elephantis, & quidem ille maximus: & hoc ipsum pulchrè nobis declarabit, quòd, & simul quomodò B.V. MARIA in suo Ortu immunis fuerit ab omni labe peccati.

Ebur, Symbolū puritatis.

Cant.

28. Enimverò posset cogitari, Elephantem esse non incongruum Symbolum CHRISTI. Si enim ob fortitudinem dicitur Leo, ob sublimitatem Aquila magnarum alarum; cur non etiam, ob puritatem, & docibilitatem hujus animalis, purissimo & sapientissimo Filio DEI incarnato, Elephantis Symbolum adstrui possit? Præterea unicum tantùm in vita admittit partum Elephas (uti notant Naturalistæ) atq; sic quilibet Elephas, unigenitus Matris suæ dicendus. Semel quoq; in æternitate locutus est Pater, quo divinissimo partu Unigenitus DEI prodijt, aliàs CHRISTUS secundùm naturam Divinam: qui similiter secundùm humanam genitus in tempore, unicus fuit Matris suæ filius.

Elephas, Symbolum Christi. cur?

Elephas quilibet Vnigenitus.

29. Dentes Cælestis hujus Elephantis sunt animæ hominum: *Dentes (inquit) tui sui greges caprarum.* ait Sponsa de Sponso. Cant: 4. 2. per quos Sylva Allegor: dicit significari animas, præsertim justas, & religiosas. Omnes isti mystici dentes, videlicet animæ, irradicati seu implantati erant CHRISTO, per gratiam originalem Protoparenti Adæ, ex meritis CHRISTI infusam, ipsisq; si ille perseverasset, similiter infundendam. Omnis enim gratia per CHRISTUM, hominum etiam & Angelorum, ex mente Bernardi Ser: 1. de Circumc: ubi sic ait de CHRISTO JESU: *Idem quippe & Angeli Salvator & hominis.* quæ mens fuisse videtur etiam D. Dion: c. 2. de Cæl: hier: ap: Bern: Bust: Marial: 1. P. S. 4. de Conc: p. 2. imò D. Thom: in illa verba. Joan: 1. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Ubi ita inquit: Omnes Apostoli, Patriarchæ, Prophe-

Cant.

Bernard.

tæ, & justi, qui fuerunt, sunt, & erunt: & etiam omnes Angeli. Et quoniam novimus, dari aliquam differentiam inter dentes; quosdam enim vocamus caninos, quosdam majores & fortioris adhærentiæ; hosq; nuncupamus molares: similem differentiam observare est inter mysticos dentes CHRISTI s. inter animas: Caninos enim dentes, rectè dixero animas illas, quæ quasi nimiùm cum Adamo in pomo vetito morsum suum profundarunt, illorum s. hominum, quorum nedum conceptio, sed etiam nativitas fit in peccato originali: majores autem dentes, qui vix (comparativè ad priores) attigerunt escam illam infelicem, dicam animas illorum, qui concepti quidem in originali peccato, sed antequam nascerentur, in utero Matrum sanctificati fuerunt. Inter quos præcipuus fuit S. Joannes Baptista. Omnes tamen isti dentes ob attactum pomi vetiti infecti & aliquando eradicati fuerunt ex CHRISTO: quia omnes in Adam peccaverunt.

30. Verumenimverò, Elephas animal traditur, unicum, sed maximum portare dentem, quem nec amittit, nec amittere potest, nisi simul amittat vitam. Simili aliqualiter modo Cælestis ille Elephas, Unigenitus DEI Filius, jacturâ tot animarum per peccatum Adæ deperditarum, quasi edentulus factus; molarem tamen, seu maximum dentem, præclarissimam s. Animam B. V. MARIÆ, futuræ Matris suæ sibi reservavit, nullatenus etiam pro minimo instanti, eam evelli, seu avelli à gratia sua permittens: imò speciale vitæ, & mortis suæ ad id exposuit pretium, ut ipsa conservaretur, tanquàm præstantissimum Ebur, ædificando THRONO suo aptissimum: ut ita Mater sua, esset illi THRONUS gratiosissimus, nullo unquam inquinatus peccato, quod horrorem aliquem incarnando ex ipsâ incuteret.

MARIA, dens CHRISTI molaris.

Probatur

Doctoraliter.

31. S. Petrus Damiani immediatam Figuram S. Scripturæ de THRONO Salomonis pertractans, Ser: 1. de Nat: V. sic ait: *Salomon noster, non solùm sapiens, sed & Sapientia Patris: non solùm pacificus, sed & pax nostra, qui fecit utraq; unum, fecit THRONUM; Uterum videlicet intemeratæ Virginis* (seu Virginem DEUM parituram) *in*

quo sedit illa Majestas, quæ nutu concutit Orbem. Sola eboris substantia capax est tantæ compositionis: nam fabricatur in ea, quod omnibus operibus præferatur. Escob: l. 4. de Conc: S. 5. n. 44. illativè subjungit: *Ergo Angelus, Adam, aut Eva, minùs Virgine eburnei, si puritas Virginis* THRONI *DEIfici, præferenda est.* Deinde prosequitur ulteriùs verba S. Doctoris. *Ebur mirabili candore elucet, & multa præeminet fortitudine. Quid candidius illâ, quæ singularis aspectûs sui gratiâ, supercælestem curiam allicit ad videndum? Quid fortius illa fortitudine, per quam Domini fortitudo vasa diripuit fortis?*

Petr: Galatin: l. 7. c. 18 illa verba Isa: 17. 12. *Solium gloriæ altitudinis à principio, locus significationis nostræ:* taliter ad Mysterium Imm: Conceptionis applicat: *Ego* (inquit) *per hoc Solium gloriæ, gloriosam Virginem MARIAM, Messiæ Matrem intelligi arbitror; quæ est Sedes DEI Altissimi. Dixit autem Propheta. A principio, ut ostendat eam absq; initiali peccato conceptam esse.* 32.

Probatur **Miraculosè.**

Miraculosam quandam apparitionem refert ex Fran: Mayronis, Bern: de Busto Marial: 1. P. S. 6. Parisijs, dum quidam Magister in Theologia, cùm deberet in Conceptionis die sermocinari, & vellet in manè prædicare, quòd B. Virgo Concepta fuit in peccato originali; nocte illi studenti, apparuit magna turba Sanctorum Doctorum, & Angelorum; Sedes, seu THRONUS paratus est, super quem sedit nobilis Regina, quæ misit pro illo Magistro, dicens: O Magister, quid ego tibi feci: quia hoc manè vis, contra meum honorem prædicare? & jussit eum flagellari. Quo facto, genuflexus veniam postulabat. Tunc B. Virgo dixit Angelo Gabrieli: vade, & doce hunc sermonem, quem manè faciat Universitati Parisiensi. Aperi os tuum, & implebo illud. Statim ergò Magister sensit in corde suo sermonem pulcherrimum, in quo demonstrabatur, quòd Regina Cæli, concepta fuerit sine peccato originali, & illum prædicavit publicè, manè sequenti. Adverte (candide Lector) quomodò iste, qui horrendi originalis peccati impostura, THRONUM hunc Majestatis Divinæ Immac: Conceptam 33.

MARIAE apparitio in THRONO: quæ mandavit flagellari adversarium imm. Cõcep.

Gabriel Angelus, docet imm. Cõcep.

Virginem contaminare voluit, ab eadem Regina Cæli, ex THRONO decreta supplicia accepit: ut meliùs saperet, memorq; esset mandati Salvatoris, de habenda reverentia THRONI sui. Matt: 5. 34. *Ego autem vobis dico: non jurare omninò, neq; per Cælum, qui THRONVS DEI est.* Si itaq; jurare per THRONUM DEI piaculum est; quanò magis eundem impugnare.

Matt.

Probatur Scholasticè.

34. *THEOL:* CHRISTUS, est Sapientia de Cælis à regalibus Sedibus veniens: juxta Sap: 18. 15. quo loco utitur Ecclesia in Antiph: Adv: Brev: Ergo in terras quoq; descendens, debuit, vel saltim decuit, ut haberet Sedem, seu THRONUM Regalem, seu regiam, id est liberam Matrem ab omni servitute peccati. Conseq: probatur. Ex eo, quòd CHRISTUS à regalibus Sedibus Patris in terras descenderet, infert Guarr: Abb: Ser: 1. de annunc: cum debuisse habere THRONUM seu Matrem de Regia Stirpe natam: ita enim ait: *Regali ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem Regiæ nobilis proles, sed virtutis Regiæ nobilior indoles; ut æterno Regi, Filio Regis, materna quoq; nobilitas, Regium honorem defenderet, & venientem à Regali Sede Patris, Regalis etiam THRONVS, in aula Virginali, Reginæ susciperet Matris. In ipsa quippe, & ex ipsa, Sapientia ædificavit sibi domum, & in ipsa paravit sibi THRONVM.* Ergò à fortiori, ex eodem principio sequitur CHRISTUM, seu Sapientiam à regalibus sedibus venientem, debuisse habere THRONUM, seu Matrem, non servam unquam Sathanæ; sed Regiam s. liberam ab omni peccato.

Sap. — Guarr. — CHRISTVS, cur regiâ Matre nascitur? — Cõcep. Imm. inde concluditur.

35. *PHILOS:* Axioma est commune Philosophorum: Oppositorum (respectivè loquendo) eadem est ratio: tunc sic ad propositum: Regnum CHRISTI, & Regnum vel satiùs, Tyrannis peccati & sathanæ, sunt sibi opposita; imò juxta Theophil: à Bulgaria, ideo dicitur CHRISTUS unctus, seu Rex, quia contra peccatum regnavit. Sed ex D. Paulo colligitur, regnantis Sathanæ per peccatum, thronum ipsius seu medium regnandi fuisse peccatum: ad Rom: 5. 14. *Regnavit* (inquit) *mors* (& ex consequenti dæmon) *ab Adam usq; ad Moysen.* ecce habes perditum Regem: & iterum infra dicit. *Regnavit peccatum per mortem*

CHRISTVS regnavit cõtra peccatũ: ideo THRONVS ejus s. Mater sine peccato. — Rom.

tem: ecce thronus Tyranni hujus. Ergo CHRISTUS, qui venit debellare hunc Tyrannum, & regnare contra peccatum, debuit habere THRONUM cui nunquam insedisset Tyrannus ille; id est Matrem sine omni peccato. Aliàs quomodo diceretur CHRISTUS pleno jure regnasse contra peccatum, si vel unam animam non præservasset absolutè à peccato.

SYMB: Pro Symbolo MARIÆ Author Mund: Symb: l. ult: c. 28. pinxerat Thronum illum Salomonis, cum quatuor Emblematis. Primum fuit expressivum intaminatæ Virginitatis ejus. *Soli Salomoni.* Nam hæc est illa porta clausa, quæ nemini aperta fuit; quia Dominus DEUS Israel ingressus est per eam. Secundum fuit, *Ascensu multo;* idq; partim ad exprimendam præclaram Genealogiam ejus, partim quòd multis sæculis disponebatur & exponebatur adventus MARIÆ. Ait enim S. Method: hom: de B. V. *Conditum est momento ad unam DEI vocem Cœlum, & quidquid ambitu Cœli continetur: at Virginem DEIparam, multos per annos, operosissimè fabricata est Omnipotentia DEI.* Tertium, *vulgarem nescit Sessorem:* expressivum fuit dignitatis tam THRONI ipsius s. Uteri Virginei, quàm illius, qui ibi Sedem suam posuit. Unde Ansbert: de Utero MARIÆ ait: *Cautum fuit, ne præparatum æterno Regi hospitium, alienus hospes intraret.* Quartum deinde Lemma. *Majestati ferendæ:* hoc mihi sit expressivum immaculati Ortûs ejus: hoc enim ipsum, quod B.V. MARIA nullo unquam subesset peccato, primariò disponebat illam, ut esset idonea Sedes, seu Mater, Divinæ Majestati ferendæ: juxta illud jam aliquoties dictum ex Doctore Angelico. *MARIA non esset idonea Mater DEI, si aliquando peccasset.*

36. THRONUS cum 4 embl. typus B.V.M. Method. Ansb. Thom.

POES: Quando vident Seraphin, Dominum Solio residentem; 37.
Poplite demisso stant, faciemq; tegunt.
Virgineus THRONUS Angelicis facibus celebretur;
Quo sedet excelsus Rex novus, atq; DEUS.
Ergo THRONO tanto poterat quid inesse ruinæ?
Quando concipitur luminis in medio.
Nil excelsius illo, nilq; capacius illo.
Pura THRONO meruit, claudere Virgo DEUM.

PROG: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.* 38.

ANAG:

ANAG: Pange, THRONUS DEI MARIA, ea immaculata.
THRONUS Agni DEI MARIA, en cælum aptum.
In Sedem puram Agno lecta MARIA, vivat.
Ama pacem: MARIA, velut THRONUS Agni DEI.

Probatur Historicé.

39. S. Bernard: Sen: t. 3. Ser: 25. narrat Darium Persarum Regem, habuisse THRONUM miræ, simulq; mysteriosæ magnificentiæ; ideò, quòd septem ad illum ascenderetur gradibus; ita tamen, quòd cùm cæteri sex gradus ex pretiosissimis lapidibus essent, septimus proximus ipsimet THRONO, luteus conspiciebatur. Quid per hoc Ethnicus ille Rex denotare intendisset, interea relinquo: sed iterum reflecto me super illum THRONUM Salomonis, in quo figuratam exhibui Imm: Conceptam MARIAM; & quæro mysterium, cur nam THRONUS ille Salomonis, quem omnium Regum Thronis magnificentiorem fuisse testatur Scriptura, septimum, sicut ille Darij Ethnici Regis, non habuerit gradum? Piè divinare liceat, & ex loco à disparatis mysterium Imm: Conceptionis B. Virginis illustrare.

Thronus Darij, primum gradum luteum habebat.

40. Ethnici Regis Thronus ille, dici poterit adæquatum alterius cujusq; posterorum Adæ, etiam de numero sanctissimorum, Symbolum: hi etenim, etiamsi virtute enituerint in vita, pluresq; & sublimes perfectionis atq; gratiæ adepti sint gradus: primus tamen gradus illorum quasi luteus fuit; quia primum conceptionis cujusq; punctum, fuit luto originalis culpæ coinquinatum. THRONUS autem Salomonis Symbolum Matris futuri Messiæ, septimum non numerat gradum; ne ille fortè primus, luteus esset; ut sic indicaretur SS. V. MARIAM nunquam peccati calcasse lutum, sed in omni gradu semper mundam stetisse; adeò, ut quæ futura erat in Assumptione sui lucidissima, in Purificatione legali Sanctissima, in Puerperio integerrima, in Annunciatione, ac Conceptu Filij sui castissima, in Nativitate nitidissima; illa etiam in primo gradu, seu puncto vitæ, ab omnis peccati luto mundissima fieret: ut sic tanquam per gradus tot prærogativarum ad dignitatem Matris DEI ascendens, fieret mundissimus, gratissimusq; Novi Salomonis THRONUS.

Sex gradus Throni MARIÆ per 6. mysteria vitæ explicati.

EPILO-

EPILOGUS.

Bzovius refert de Alexandro M. quòd ille, dum jam totum Orbem, suis armis & imperio subjugasset, erexerit sibi magnificum & pretiosum THRONUM, cum hujuscemodi Titulo, seu inscriptione. 41. Thronus Alexandri M. cum inscriptione.

Ortus, & Occasus, Aquilo, mihi servit & Auster.

Titulus iste, quia evanidus, arrogantis superbiæ delirium fuit: ô quàm meritò & veriùs, huic, qui hodie fundatur, Novi Salomonis THRONO, Imm: Conceptæ Virgini appropriandus? Jam enim ter beata affulsêre nobis tempora, cùm penè totus Orbis in venerationem hujus Augustissimi THRONI, immaculatè fuisse fundatam, seu Conceptam MARIAM confitendo, devotissimè procumbit: adeò, ut suppedanei quoque Indi, & postremi Antipodes, THRONI hujus Immaculatam Majestatem, statim dum fide initiantur, zelosè tueri discant, & multi etiam voveant.

Ergò cum jam probatum esse vidimus, S. V. MARIAM esse THRONUM sine horrore; proinde neq; nobis ob sui magnificentiam expavescendum erit: *Accedamus itaq;* (verbis Apostoli utar Hebr: 4. 16.) *cum fiducia ad THRONUM gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, & inveniamus gratiam in tempore opportuno:* id est, ad Immac: Conceptam MARIAM; ut tantò liberaliùs ex THRONO suo elargiatur nobis DEUS misericordiam, & gratias suas, Almæ Matris interventu. Sacratiùs & cæteris efficacius erat olìm juramentum, jurare per THRONUM: & quamvis districtè prohibuerit Salvator, jurare per THRONUM DEI; dabit tamen dilectissimus Matris suæ Filius veniam, hodie expostulantibus imò adjurantibus per THRONUM ejus, per amorem s. Immac: Conceptæ Matris suæ; imò dabit liberalissimè & misericordiam; gratiam & gloriam. 42. Hebr: Matt. 5. 34.

AMEN.

Io! vivat Immaculata SS. DEIparæ Conceptio.



VINEA, sine Labrusca, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

Liber generationis JESV Christi. Matt: 1.
Vinea fuit pacifico. Cant: 8.

1. NEc mirandum, nec quærendum esse arbitror, quòd & cur in gratiosissima solemnitate Imm: Conceptionis B. V. MARIÆ, tam prolixus illustrium Virorum de Genealogia Salvatoris & MARIÆ, ex Sacro Evangelij codice cathalogus recenseatur. NN. Hodie etenim, Regi Regum, Regi pacifico, atq; Cælesti Sponso, Filio s. DEI in carne venturo, præparabatur generâtionis thalamus; quem proinde conveniebat, tàm illustribus exornari stemmatibus. Profectò thalamum hunc mysticum, non absimilem censeo illi, quem sibi olim Rex Persarum Darius, legitur extruxisse, nimio luxu, & damnabili prodigalitate, sub quadam mirè fabrefacta vite: hujus truncus, rami, botri, pampini, frondes, aurea omnia; botri verò ex pretiosissimis compacti lapidibus, gloriam, & magnificentiam Regni ostentabant, oculis hilaritatem, animis stuporem, omnibus reverentiam ingerendo.

Thalamus Darij, sub vite aurea.

2. Nobiliora longè in novi, Cælestisq; Regis thalamo, s. Generationis ipsius Genealogia, cernere est decoramenta: nam

tot

tot pretiosos veluti lapides, quot coronatos Reges; tot aurea folia, quot eximiæ sanctitatis Patriarchas video: vitem autem auream, non aliam jure dixerim, nisi SS. MARIAM, *de qua natus est JESUS*, quam simul venerabundè saluto cum Greg: Thaum: S. 1. de Ann: *Ave gratiâ plena, vitis semper vigens, quæ animas glorificantium Te lætificas.* Quod ipsum, specialissimè de illa verificandum venit, in plantatione vitis hujus, imò VINEÆ; s. in die Immaculatæ Conceptionis ejus.

MARIA Vitis, Vinea.

Greg.

Quidquid enim decoris, quidquid magnificentiæ, supra recensiti Reges, & Patriarchæ, Genealogiæ CHRISTI importavêre; totum haustum est, veluti à radice vitis hujus, s. ab Imm: Concepta V. MARIA. Nam de immediatissimis Progenitoribus ipsius, Joachim s. & Anna, asserit S. Vinc: Ferr: illos quodam mirabili lumine, dum eam generarent, circumfusos fuisse. *Generatio* (inquit ille) *Virginis MARIÆ fuit ut lux, & conjunctio Joachim & Annæ fuit luminosa.* De quo clariùs subtilis: Guerra. *Tantâ B. Virgo in sui Conceptione claritate, & luce præfulsit, ut ejus micantissimi radij etiam Parentum conjunctionem, & generationem activam illustrarint.* Similia decora, aliquo saltim modo, etiam in cæteros in ascendenti Progenitores MARIÆ, veluti ad proprios ramos, ab hac vite, seu radice fluxisse, quis dubitabit? Unde in hymno Ecclesia cantat de illa: *O decus Patriarcharum!* 3.

MARIAE Parentes, in generatione ejus, lux circumfudit.

Ferrar.

Guerrar.

Profectò illi Solimæo Sponso, nulla fuit jucundior commoratio & quies, quàm sub vite & in VINEIS: quod multoties legere est, in illo Epithalamico Cantico. Ejusdem quoq; genij & Cælestis Sponsus, Filius DEI esse deprehenditur; cùm enim nuptiali, tandem aliquando, togâ humanitatis, induendum se benè nosset; idoneam sibi destinaturus VINEAM, in qua veluti in thalamo requiesceret, hoc est, Matrem sibi electurus; ab æterno cuncta scrutatus est in lucernis Divinæ suæ præscientiæ: & quamvis in tota massa generis humani, plures vidisset pulcherrimas VINEAS, id est, Sanctiores animas; nullam tamen invenire potuit, quæ esset sibi VINEA electa, & sine labrusca, aut actualis, aut ad summum, originalis culpæ. *Omnes enim in Adam peccaverunt:* adeò ut de Sanctissimorum quoq; hominum concepti- 4.

Vinea anima est, labrusca peccatum.

Isai. ceptione, meritò illud usurpari possit Isaiæ 17. 11. *In die plantationis tuæ, labrusca.* Unicam nonnisi vidit, elegit, imò plantavit VINEAM, VINEAM electam, VINEAM jucundissimæ possessionis SS. V. MARIAM, in qua sibi disposuit thalamum, eligendo sibi illam in Matrem; ex eo, quia fuit VINEA semper florentissima, & sine labrusca originalis peccati. Quod ipsum probare intendo, præmissâ morali doctrinâ, de quibusdam damnis Vinearum s. animarum nostrarum; causisq; hujus mali. Nunc breviter Rythmicè saluto Neo-Conceptam.

Propositio.

O VINEA semper florens, Nec labruscam noxæ olens:
Quàm pulcher tuus exortus! Veluti electus botrus.

PARS I.

De labrusca Vinearum, s. animarum nostrarum.

§. Isai. PUlchrum Schemma VINEÆ, cujusdam Patruelis sui, memorando stylo, simulq; exultanti animo, depingens Isaias Propheta ait: c. 5. *Cantabo dilecto meo, canticum patruelis mei, Vineæ suæ. Vinea facta dilecto meo, in cornu filio olei. Et sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea.* Et ecce subitò, mutato spiritu & stylo, turpem ejusdem VINEÆ desolationem, lamentabili innuit voce: *Expectavit* (inquit) *ut faceret uvas, & fecit labruscas*: hoc est, vites fatuas, sylvestres, immaturos fœtentesq; producentes fructus. Juxta S. Hier: & Orig: per VINEAM, hîc significatur anima cujusq; hominis: per Patruelem, ipse CHRISTUS; qui dicitur ex Hebræo *Unctus*. Unde non sine mysterio subdit Propheta, plantatam VINEAM hanc *in cornu olei*: Oleum autem materia Unctionis est. Alij legunt pro lij *Patruelis*, *Patrui*; qui frater Patris est, & quasi Com-Pater: quod aptissimè servit Salvatori Nostro CHRISTO: quos enim primus Pater Adam genuit, magis ad mortem, quàm ad vitam eosdem CHRISTUS, ceu novus Adam, & Pater secundus, regeneravit ad vitam, eamq; immortalem. Et hic idem, misertus desola-

Hieron: Origen:

CHRISTUS Patruelis dicitur: cur? item Patru9.

Vinea animæ quàm benè provisa à CHRISTO.

desolationis VINEÆ nostræ, per primum Parentem factæ, novam quasi in animabus nostris volens, per gratiam plantare VINEAM, *Sepivit eam;* dum juxta Theoph: & Euthym. novis præceptis & legibus, sacrâ doctrinâ, verbis, & exemplo suo tradita Apostolis, eorumq; succedaneis communivit. *Extraxit in ea torcular:* juxta eosdem Expos: Crucem suam Sanctissimam, cum infinitis meritis Passionis suæ; ex quibus fluunt dulcissima Vina Sacramentorum, ab illo ad reficiendas animas nostras institutorum. *Lapides elegit ex ea,* seu abstulit: & præsertim grandem illum, quem ab ostio Cœlesti, nemo revolvere poterat, peccatum s. originale, per gratiam Baptismi. *Ædificavit turrim:* hoc est, paravit congeriem auxiliorum, antecedentium, concomitantium, consequentium, ad fugienda mala, & prosequenda bona. Sed tam benè, & providè reparata Vinea, qualem iterum & quam turpem subeat per peccatum desolationem, videamus. Theoph. Euthym.

Probatur **Scripturaliter.**

Placeat ulteriùs prosequi, & explanare verba Prophetæ. *Expectavit* (inquit) *ut faceret uvas, fecit autem labruscas.* S. Hier: Tertul: putat per labruscas in hac VINEA, voluisse Prophetam significare, peccata seu vitia. Et rectè: quod enim est labrusca, seu vitis fatua, VINEÆ, id ipsum est vitium, & peccata, animæ; ut brevi patebit. Porrò desolationis, quam subit VINEA animæ cujuspiam, plures posse ex S. Scriptura colligi causas. Quarum *Primam* invenio, Aprum quendam Sylvestrem, & nimis ferum; contra quem querulus Regius Psaltes, clamavit olim ad Dominum, dicens: *Exterminavit eam* (s. VINEAM) *aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam.* Psal: 79. 14. Aper iste juxta D. Greg: Naz: orat: 20. significat dæmonem, cum suis tentationibus; qui sævo invidiæ dente, contra genus humanum armatus, fodit diversas suggestionum malarum foveas, & astutè piarum cogitationum, desideriorum, virtutumq; arrodit radices, pessimus hic depopulator VINEARUM; CHRISTI videlicet animarum. 6. Hieron. Tertul. Peccatum, labrusca cur dicitur. Psal. Greg. Dæmon, aper exterminans.

Alteram desolationis hujus VINEÆ causam, ipsa Cœlestis prodidit 7.

 didit

didit Sponsa, plurimùm semper de sua VINEA sollicita, vulpe-
Cant. culas scilicet quasdam insidiosas: dum ait: Cant: 2. 15. *Capite*
VINEA pulchra, bona conscientia. *nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur VINEAS nostras.* Dicit au-
tem mellifluus Doctor Ser: 13. in Cant: *Viro sapienti, sua vita*
Bern. *VINEA est, sua mens, sua conscientia. - - - Bona VINEA justus, cui*
virtus vitis, cui actio palmes, cui Vinum, testimonium conscientiæ no-
stræ. Parvas verò vulpeculas, esse parva, seu venialia peccata,
ingeniosè satis conjecturatur, magnus in spiritualibus Magister
Alvar. Alvarez Tom: 1. l. 5. P. 2. c. 16. quæ vulpeculæ quanta infe-
rant damna excultissimis etiam VINEIS, s. animabus perfectio-
rum hominum, hisce ille enarrat verbis: *Verè culpæ leves, & im-*
Venialia peccata, vulpeculæ Vineam demolientes. *perfectiones, vulpes parvulæ sunt, in quibus nil magnum, nil nimis*
noxium aspicimus: sed hæ VINEAM, id est, animam demoliuntur;
quia eam sterilem faciunt; dum Cœlum æneum eidem esse faciunt, &
pluviam cœlestis auxilij impediunt.

8. *Tertiam* desolationis vinearum s. animarum nostrarum cau-
sam, eamq; principalem, quia ab intrinseco, jam deprehendi-
mus supra, ex allegatis Prophetæ verbis: *Expectavit* (inquit) *ut*
faceret uvas, fecit autem labruscas: esse ipsam labruscam s. pec-
catum mortale quodlibet: idq; ratione sui præcipui effectûs,
id est sterilitatis meritorum; quam in animam inducit. Nam
Peccatum, sterilem quo ad meritum, reddit animam. labrusca juxta Dioscorum, est vitis sylvestris, & sterilis, nullos
aut paucos eosq; viles racemos producens; unde illud Virgilij.
Sylvestris raris sparsit labrusca racemis.
quamvis enim aliquando erumpat labrusca in florem, nunquam
Hieron. tamen maturat ad fructum: ideo secundùm S. Hieron: & Ter-
Tertul. tul: ut supra innui, denotat mortale peccatum. Dogma quip-
pe Fidei est, quòd infecta tali peccato Vinea animæ, nullos
botrosl, nullas uvas, quæ gratæ possent esse palato sui Agrico-
læ s. DEI, id est, nulla opera meritoria, progerminare valeat,
& quamvis nonnunquam contingat illam erumpere in florem,
s. nonnullis eam pijs operibus vacare, v. g. eleemosynarum,
jejuniorum, orationum, hisq; similium; nunquam tamen fru-
ctus isti, ad tantam perfectionem, & maturitatem veniunt, ut
digni habeantur retributione Cælesti.

9. Porrò hoc ipsum evidentissimè edocent plura loca S. Scri-
pturæ

pturæ, veteris & novi Testamenti: quorum præcipua audire placeat. *Dona impiorum* (inquit Ecclesiasticus 34. 23,) *non probat Altissimus, nec respicit oblationes iniquorum? nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis.* Et Isa: 1. 11. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi, iniqui sunt cætus vestri, calendas vestras, & solemnitates vestras odit anima mea.* In novo deinde testamento, æternæ Veritatis Magister CHRISTUS, nedum omninò idem docuit, sed insuper aptissimâ quadam similitudine vitis, & palmitis declarare dignatus est: dicens. Joan: 15. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic & vos, nisi in me manseritis.* Cujus similitudinis causam explicando Doctor: Seraph: T. 3. l. 3. c. 7. Comp: Theol: ita scribit: *Peccatum, bona quæ fiunt infructuosa reddit, & quantùm ad meritum, & quantùm ad præmium: sicut ramus præcisus ab arbore non profert fructum, sed arescit, & habilitatur ad incendium.* Ad hanc doctrinam Salvatoris coincidenter scripsit Apostolus 1. ad Cor: 13. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. - - Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero; nihil mihi prodest.* Lubet attexere causam hujus Apostolici dogmatis ex S. Anton: P. 1. T. 7. c. 3. *Quia quodlibet mortale contrariatur charitati, ideo existens in peccato mortali, nullo modo potest mereri, nec pro se, nec pro alio, aliquod bonum gloriæ, seu gradum præmij æterni.*

Eccl. *Isai.* Bona opera nō sunt meritoria de condigno, facta in peccato. *Ioann.* *Bona V.* *Corin.* *Anton.*

Probatur

Figuraliter.

10. Illustrabit non leviter rem nostram, illud Typicis plenum Rithuale veteris Testamenti, quod, quantùm ad modum oblationum, afferentibus hujusmodi præscripserat rubrum: Lev: 5. 10. *Offeret pro peccato suo similæ partem, Ephi decimam; non mittet in eam Oleum, nec thuris aliquid imponet; quia pro peccato est.* Porrò omnia hæc (juxta D. Paulum) in figura contingebant illis, continebantq; doctrinas nobis opportunas. Quid enim intererat Sapientiæ illi increatæ, ejusmodi ritus, & minutias pro oblationibus faciendis præscribere; nisi in ipsis latuisset myste-

Lev.

rium

Oleum, cur olim excludebatur à sacrificio?

rium, animabusq; utile & salutare documentum? Itaq; quòd in hoc sacrificio pro peccato faciendo exclusum fuerit Oleum, hujus ratio facilè intelligitur: quia cùm per Oleum denotetur lætitia (juxta illud. *Propterea unxit te DEVS, DEVS tuus, Oleo lætitiæ*) minimè illi sacrificio conveniebat Oleum; nam quando de expiatione peccati agitur, compunctio potiùs, & planctus requiritur.

II. *Oleast.*

Thus ab oblatione pro peccato, olim reijciebatur, cur?

At verò, quam ob rem, etiam incensum, quod orationis symbolum est, ab oblatione facienda reijcitur? Oleaster nodum hunc soluit, dicens. *Si per thus orationem intelligas; deprahendes quàm ægrè ferat Dominus bona malis involuta.* Quasi innuere vellet: Quid gratiùs, quid acceptabiliùs DEO, quàm thus, & incensum Orationis; illud enim Cælos penetrans, ad thronum ipsum Majestatis Divinæ pertingit; nihilominùs, si quis habens ream peccati conscientiam; hoc incensum Orationis DEO adoleat; memphim halat, fætetq; DEO hujusmodi Oratio. Juxta illud vulgatum S. Augustini: *Plùs placet DEO latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quàm cantus Clericorum luxuriantium.* Plura, & incensa orationum placita, & meritoria sunt apud DEUM, sed nonnisi illa, quæ juxta visionem Apocalypticam, in aureo thuribulo cremantur, id est, de corde perfectâ charitate, & gratiâ ornato exeunt. Apoc: 8. 3. *Et alius Angelus venit & stetit ante Altare DEI, habens thurribulum aureum; & data sunt ei incensa multa, ut daret de Orationibus Sanctorum, - - - & ascendit fumus incensorum, de Orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram DEO.*

Gram. Relig. Ser. de Orat.

Apoc.

12. Quòdsi thus Orationis (quod condimentum est omnium oblationum s. bonorum operum, & meritorum) dum de conscientia mala prodit, tàm abominabile est DEO, quantò magis cætera? puta jejunia, mortificationes, eleëmosynas, & his similia. Planè non inficior, tam orationes, quàm cætera opera bona etiam in peccato facta, aliquali saltim non carere emolumento; & ideo uti incumbatur ipsis tum etiam valdè expedit. Ait enim Gerson: t. 2. prolog: regul: moral. *Fac interim s. dum es in peccato mortali, quidquid boni potes, ut DEVS illustret cor tuum; nam bonum opus de genere, & morale, etiam factum extra charitatem, utilitatem affert multam; quoniam propter tale opus dispo-*

Gerson.

Bona opera in peccato facta, ad quid prosût.

disponitur homo ad opera virtutum, & ad faciliùs resurgendum trahitur. In ratione tamen meriti de condigno ad vitam æternam, nec minimùm talia opera valent; utpotè à sterili & vitiata gleba, id est, ab anima peccato infecta prodeuntia.

13. Hujus sterilitatis peccatricis animæ, pulchram (ni fallor) præsetulisse videntur Figuram, illa organa Hebræorum; quæ dum captivi essent in Babylone, suspenderant in salicibus; & propterea non poterant cantare canticum Domini. Psal: 136. 1. *Super flumina* (inquiunt) *Babylonis illic sedimus, & flevimus; -- in salicibus suspendimus organa nostra; - quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Sedere super flumina Babylonis juxta Orig: s. Num: hom: 20. Significat statum animæ in peccato; quæ in Babylone s. in confusione conscientiæ manens, bibit tanquam aquam iniquitatem, sedet, commoraturq; in voluptatibus. Organa deinde in salicibus suspensa, quid quæso denotat? Salices profectò arbores sunt steriles; hinc optimũ sunt symbolum sterilitatis animæ peccatricis quoad opera meritoria. Organa verò, benè designant potentias animæ; quarum actibus mereri potest, & meretur homo, quamdiu sub spiritu, & flatu charitatis modulatur, seu in ipsis operatur, Spiritus S. id est, quàm diu, manet homo in gratia. Dum ergo suspenduntur ista organa in salicibus; per hoc significatur, quomodo dum anima in peccatum labitur, nedum suavissima modulamina testimonij rectæ conscientiæ in ipsa conticescunt, sed præterea sterilis, infructuosa & impotens evadit, ad promerendum sibi, (quantumvis rectè aliqua operetur) vitam æternam. Quæ nostra interpretatio in parte coincidit, cum sensu S. Greg: 33. moral: 6. qui cit: locum Psal: explicando sic scribit. *Salix sterilis significat malos; & in salicibus & in medio Babylonis suspendimus organa nostra. Babylonis quippe medio inesse salices, describuntur, qui nimirum sunt infructuosi quiq;.*

Psal. | *Orig.* | Salix, symbolum sterilitatis. | Organa, potentiæ animæ. | *Greg.*

Probatur

Historicè. 14.

Hunc discursum comprobat illa mirabilis visio, exhibita cuidam Eremicolæ (aliqui putant) ipsimet S. Arsenio: quam ille sic referebat. Sedebat quidam de Senioribus Monachis in cel-

Arsenij visio mirabilis, de cædente ligna, & de hauriente aquas, pertuso vasc.

Iula sua; & subitò facta ad eum vox, dicens: Egredere foras, & ostendam tibi opera hominum; & surrexit, & eggressus est foràs: duxit autem eum, & ostendit ei æthiopem nigrum cum securi cædentem ligna, & facientem grandem sarcinam, & tentabat sublevare sarcinam illam, & non poterat præ magnitudine, sed redibat, & cædebat iterum alia ligna, & addebat super sarcinam illam. Iterum ostendit mihi alterum hominem, stantem super lacum, & haurientem aquam de lacu, & mittentem eam in collectaculum, seu vasculum, aut hydriam carentem fundo; unde ex alia parte defluebat aqua desubter in eodem loco. Quid verò hæc visio significârit? declaravit idem Arsenius, dicens: Ille qui aquam de lacu hauriebat, homo est, qui aliqua bona operatur; sed quia etiam mala ampliùs per peccata operatur, ea ideo pereunt, & delentúr etiam illa opera bona, quæ facit. Itaq; ex hactenus dictis, liquidò patent, causæ nonnullæ VINEÆ nostræ; & præcipuè, quòd anima dum in statu peccati existit, (siquidem nullius meriti capax est, nec meritoriè quidpiam agere valet) justè VINEA sterilis, VINEA labruscis infecta, dicenda sit.

PARS II.

SS. MARIA, sine labrusca labis originalis.

15. SCiendum primò est, quòd Cælesti Sponso non sapiant Vina, nisi lacte mixta: jam enim benè potus de VINEA Sponsæ suæ ait. Cant: 5. 1. *Bibi Vinum meum, cum lacte meo*, hinc amantissimæ ejus Sponsæ singulare negotium fuit, ut de VINEIS suis, quàm optimè, lacte innocentiæ suæ conditet pocula, eaq; propinaret sitienti Sponso. Nam & illa, humanitatis jura reciprocare volens, legitur conditum lacte (ut notat Mich: Gisler ex Delrio) propinandum Sponso, præparasse Vinum: quando ait: *Dabo tibi poculum, ex Vino condito.* Nunquam profectò usq; ad instans Conceptionis Sponsus ille Cælestis Filius DEI, VINEAM talem s. animam invenire potuit, quæ hæc lactea excellentis puritatis progerminaret illi vinaj idq; ob labruscam peccati. Unde per Poëtam ait.

Cant:

Vina condita lacte, sapiût Sponso.

Labruscas hominum peccatum fecit amaras;
Impurum culpæ lac, meus odit amor.

Germinant quasi, & propinant DEO plurimi de Vineis suis Vinum, sed Vinum felle mixtum. de quibus Psaltes. *Fel draconum Vinum eorum.* hi autem sunt, qui infectas actuali peccato habent animas. Alij offerunt ei Vinum aquâ dilutum; in quibus acredo originalis peccati, aquâ baptismali, aut olim alijs remedijs legis naturæ, vel scriptæ, dilui debuit: imò ipsorum quoq; Protoparentum justitia originalis, in qua erant creati, Vinum quidem fuit, conditum innocentiæ lacte: tamen lac illud, toxico insufflatum serpentis, citò in coagulum peccati abijt juxta illud: *Coagulatum est sicut lac, cor eorum.* Unicam nonnisi Vineam, & vitem, Cælestis ille Sponsus invenit, quæ ab omni labrusca peccati immunis, delicatissimo ipsius palato pergrata, & perfectæ innocentiæ lacte condita, funderet illi vina; hoc est B.V. MARIAM, in perfectione gratiæ hodie Immaculatè Conceptam. 16.

Animæ quædam, vino felle, aliæ aquâ diluta, aliæ lacte coagulato.

MARIA, Vinum lacte conditum.

Probatur Scripturalitèr.

Primum testimonium S. Scripturæ pro immunitate hujus Vineæ, Imm: Conceptæ MARIÆ, ab omni labrusca, seu infectione peccati, adest de proximo, in ipso textu S. Evangelij, quod hodie prælegit universalis Ecclesia; recensendo per nomina totam Genealogiam JESU, & MARIÆ; ubi inter Sacros Proceres, quartus in ordine ponitur Judas. *Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus.* Porrò de hoc Juda, duo notanda veniunt. *Unum*, quòd cùm Jacob primogenitum habuerit Ruben, non Ruben tamen, sed Judas eligitur in proavum JESU & MARIÆ. *Alterum* est, dignissima speciali indagine illa testamentaria benedictio, à Parente suo, collata Judæ. Gen: 49. 11. *Lavabit in Vino stolam suam, & in sanguine uvæ, pallium suum.* Utraq; hæc observatio, pro immunitate MARIÆ ab originali labe, non postrema suggerit documenta. Et quidem, quantùm attinet primum: quòd non potiùs Ruben, sed Judas ad Genealogiam MARIÆ accenseatur: Ratio est, quia (ut notavit Escob: l. 4. de Conc: Sec: 2. n. 46. ex mente S. Anselmi *Ruben* 17.

Matt. 1.

Gen.

Ruben cur non proavus MARIÆ?

significat *concupiscentiam*; & hæc est genuinus effectus peccati
Eseb. originalis. *Igitur* (ait cit:) *qui originalis culpæ, nos ad concupiscentiæ servitutem pertrahentis præferebat imaginem; non congruè Rex eligeretur, Reginæ Parens MARIÆ, omninò à servitute præservandæ.*

18. *Altera tamen* observatio, aptiùs quid, probandæ rei nostræ, præstare videtur; si ex abscondito literæ, eruatur sensus allegoricus illorum verborum benedictonis. *Lavabit* (inquit) *in*
Gen. *Vino stolam suam* (Judas) *& in sanguine uvæ pallium suum.* Penè omnes Patres ap: Corn: præter unum Diodorum, hunc locum explicant, nedum allegoricè, sed literaliter etiam, de CHRISTO Domino. Stola itaq; & pallium CHRISTI, quid convenientiùs dici poterit, quàm Sacrosancta caro, & humanitas ipsius: Unde in hunc locum S. Ambr: scribens, ait: *Bona stola, est Caro CHRISTI.* Et hoc sit principale significatum: quo tamen non obstante, per stolam & pallium CHRISTI potest intelligi SS. V. MARIA; quæ CHRISTUM DEUM suâ Carne induit, Mater ejus effecta: Ita enim elogizari ipsam audio S. Methodio Ser: de Hypop: *Tu es impollutum illius vestimentum, qui luce, sicut vestimento circumfunditur.* In utroq; significato latent iterum mysteria, in favorem immunitatis MARIÆ, ab omni peccato.

Stola CHRISTI Caro assumpta.

Ambros.

Method.

MARIA stola & pallium CHRISTI.

19. Et quidem si loquamur de hoc posteriori significato; prout s. pallium denotat SS. DEIparam; dum pallium hoc CHRISTI, sanguine uvæ lavandum, vel potiùs tingendum prædicitur: ex quô sanguis uvæ dicitur succus ipse præstantissimus, magisq; ab aquositate decoctus, qui primò ex compressa erumpit uva: (Italis, flos Vini dicitur) tacitè per hoc innuitur, SS. V. MARIAM, non vulgariter fuisse tinctam, id est, donatam gratiâ, sed ex ipso succo Sanguinis, & meritorum Passionis prævisæ Filij sui, accepisse excellentissimam gratiam, præservantem se contra omne, etiam originale peccatum.

MARIA tincta succo uvæ, præstantissimo merito Passionis.

MARIÆ gratia, succo gratiarum.

20. Si tandem rem tractemus sub principali significato Pallij, per illud intelligo humanitatem CHRISTI, tantò aptiùs probabunt illa, quæ sunt de B. V. MARIA per allegoriam à nobis dicta; ipsam s. in sua Conceptione fuisse VINEAM, ab omni labrusca peccati immunem: *Lavabit in Vino stolam suam, & in*

sanguine uvæ pallium suum. Vinum enim hoc ablutionis valdè convenienter appellare licet, Matrem illam, in cujus sanguinibus Summus ille Æternusq; Pontifex stolam suam ablui, vel satiùs tingi quodammodò voluit, carnem humanam ex sanguinibus ejus formatam hypostaticè assumendo; de quo S. Germ: audiendus in Theoria 3 Eccl. *Deinde* (inquit) *ostendente Pontifice per stolam suam, Carnis CHRISTI stolam rubram, & sanguineam, quàm gestavit immaterialis ille & DEUS, ut purpuram tinctam ex immaculato Sanguine DEIparæ.* Dum itaq; dicitur CHRISTUS pallium Sacrosanctæ humanitatis suæ in sanguine uvæ tinxisse; Sanguis autem uvæ (ut supra dixi) est succus Vini præstantissimus & ab omni aquositate excoctus; hinc innui videtur, quòd parùm fuit, Pontifici huic, stolam suam lavisse in Vino, s. de Matre cujuscunq; puritatis, assumpsisse carnem; sed tingere illam oportuit in sanguine uvæ; seu in præstantissimo Vino; videlicet, quatenùs tantò præstantior in humanitate ab ipso assumpta, tinctura honorq; appareret, debuit ideò & voluit, præstantissimæ puritatis, & succo gratiarum plenam, optimèq; ab omni peccati cruditate excoctam, eligere uvam; Matrem vide licet immaculatè Conceptam. Hanc mentem videntur juvare illa verba S. Germani jam citata. *Ut purpuram tinctam, ex immaculato sanguine DEIparæ.* Quæ verba S. Patriarchæ Jerosː premendo Escob: cit: Sect: 4. n. 91. per admirationem excurrens, pro Imm: Ortu MARIÆ, talia subjungit, inquiens. *Quàm Immaculata MARIA! cujus Sanguis mundissimam CHRISTI Regis lanam, hoc est Carnem, potuit imbuere.* Ex hac ergo tinctura Pallij CHRISTI, seu immaculatissima Humanitatis ejus puritate collige, quantæ puritatis Vina illa fuere, in quibus tincta fuit; nempe quantæ puritatis Mater ejus MARIA.

CHRISTUS tinxit stolam suam in sanguine MARIAE. *Germ.*

MARIA in Conceptione uva perfectè excocta.

Escob.

Nec sanè miraberis VINEAM hanc electam, tam depurato abundasse Vino, si tempus plantationis ejus accuratiùs observes: Mensis enim ille, & dies, in qua plantabatur seu concipiebatur MARIA, Mensis & dies benedictionum fuit: Mensis (inquam) novus, apud Prophetam Aggæum privilegiatus, magnæq; expectationis, Ubi etiam Vinea quædam floruisse narratur: de quo apud Prophetam talia lego: Agg: 2. 19. *Ponite corda ve-* 21.

Conceptionis Marianæ, in Mense mysterium.

Agg.

stra ex die ista & in futurum, à die 24. Mensis noni: à die, qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum; numquid jam semen in germine est? & adhuc VINEA *--- non floruit? ex die ista benedicam.* Juxta Ephemerides, seu Computum Hebræorum, qui incipiunt annum à solstitio verno, id est à 24. Martij, nonus Mensis respectivè, erit ipse Mensis Decembris, cæteris sacratior mensibus; nam Nativitate CHRISTI, & Conceptione Matris ejus sanctificatus.

December, Mensis Sacer.

22. Quantùm ad literam & primariò, Mensis ille denotabatur, quo Zorobabel devotissimus (qui interpretatur. *Alienus à confusione)* novi Templi Salomonici posuerat fundamenta. *Secundariò* tamen Mensem indicare poterit felicissimum, Mensem (inquam) illum, quo Concepta fuit B. V. MARIA, plantata à DEO veluti Templum DEI & VINEA, in brumali etiam Mense Decembris, pulchrè simul florens gratiâ & fructifera: *Numquid adhuc* (inquit non sine mysterio Propheta) *Vinea non floruit?* Nec mirum; hæc enim, ut Zorobabel, aliena à confusione universali filiorum Adæ fuit, & dies Conceptionis ejus dies & fons benedictionum erat. *Ex die ista benedicam:* atq; sic nullus, in plantatione VINEÆ hujus, locus maledictionis, seu peccati, haberi poterat. Cui convenit illud S. Brunonis in Psal. 105. *Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus: ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vitæ vitam agnovimus.* Ex his ergo duobus S. Scripturæ ita examinatis locis, quis non concludat, quàm egregiè dictum fuisse SS. V. MARIAM in sua Conceptione prodijsse veluti VINEAM electam, sine omni labrusca peccati.

December, Mensis benedictionum.

Bruno.

Probatur

Figuraliter.

23. Pro typo VINEÆ nostræ, Immac: Conceptæ V. MARIÆ, vel invitis, insinuant se illæ duæ in S. Scriptura decantatissimæ VINEÆ: Una apud Prophetam Isaiam; *Altera* illa Regia VINEA in Canticis Salomonis. Primò apud Prophetam exquisita valde OEconomia VINEÆ cujuspiam his verbis describitur. c. 5. *Plantavit eam (Vineam) electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea:* Nil implicat quominus saltim OEconomia

Isa.

mia

mia Vineæ hujus denotet, & explicet nobis modos, & rationes, quibus Vinea nostra SS. V. MARIA in sui plantatione præservata fuit à peccati omnis labrusca: per turrim enim & torcular, significari possunt duo tituli, ob quos debebatur huic Vineæ saltem ex condecenti, immunitas à tali labrusca. Turrim hujus Vineæ, rectè appellavero Maternitatem MARIÆ; quæ tantæ est excellentiæ, ut ratione ipsius B. Virgo transcendens omnes puras creaturas altitudinis suæ fastigio cælum, imô ipsum DEUM, attingat. Audiendus de hoc Dionys: Carth: S. 7. de Conc. *Ecce quanta dignitas? etenim Philosophi, causalem fæcunditatem dicunt esse præcipuam in creaturis perfectionem: quàm inæstimabilis est ergò dignitas ejus, quæ tam infinitæ dignitatis peperit florem.* Et hoc innuere videtur in Canticis, de seipsa inquiens: *Ubera mea, sicut turris.* Cant: 8. 10. Ubera enim, sunt symbola naturalia Maternitatis; quæ dum Turris nomine appellantur, per hoc designatur Maternitatem MARIÆ, nedum ipsi fuisse ad decorem, sed ad munimen quoq; ac veluti turrim illam Salomonis, de qua mille clypei pendebant; idq; contra Stygij hostis inimicitias, atq; contra originale peccatum; quòd ipsa utpotè Mater DEI, omninò detriumphare debuit. Et hoc perspicaciter observavit, toties citatus Academicus Poëta; dum in prædicta verba Cant: taliter lusit:

Carthus.

MARIÆ Maternitas, turris ob excellentiam: eam tuetur ab originali.

Cant.

Quod mea delegit, quæ sugeret Ubera JESVS;
Hoc in me culpam terruit, atq; Stygem.
Sic defensa fui, Divinæ Matris honore;
Sic turres fuerant, Ubera casta mihi.

Alterum Vineæ hujus decus & munimen, recenset Propheta, 24.
Torcular extructum in ea. quod Torcular juxta Hier: & Rupert: designat Crucem & Passionem CHRISTI; in qua pulcherrimus ille botrus Cypri, JESUS MARIÆ Filius, vi dolorum, & vulnerum compressus, salutifera redemptionis nostræ, & gratiarum profudit fluenta. Jam dixi num: 19. dum premuntur botri, prima quæ erumpit gutta, flos Vini appellatur, cæterisq; pretiosior est, nec vulgari palato propinanda, diligentiùs cæteris conservatur. Porrò hujus Botri Cyprici sub torculari Passionis suæ compressi, prima gutta, nempe excellentius meritum, aut

Hieron. Rupert.

Crux, Passio CHRISTI torcular.

MARIÆ prima debebatur gutta Botri CHRISTI: alias gratia originalis.

fructus specialior Sanguinis CHRISTI, cui quæso convenientiùs deberetur? quàm ipsimet, ex qua hauserat eundem Sanguinem; hoc est Matri ejus. Et ita est, quòd cæteri omnes redempti Sanguine CHRISTI, secundas nonnisi delibamus guttas, dum deletivas originalis peccati, ex meritis ejus accipimus gratias: Matri tamen ipsius jure debebatur, ipse flos meritorum, primaq; gutta, id est gratia; quæ nulli peccato esset secunda; seu succedanea: De quo iterum in Persona MARIÆ modulantem cit: audiamus Poëtam:

Ille meo fuerat sumptus de sanguine sanguis,
Quem pulcher Cypri, fuderat ille botrus.
Si pulcher est meus botrus; vitisq; Parensq;
Divini, cur non immaculata botri?

25. A Prophetali VINEA, descendamus ad Regiam; Regis nempe Salomonis, Sponsæq; ipsius: quæ nobis apprimè fiet typus Immac: Conceptæ MARIÆ; tantummodo libeat perpendere quosdam titulos, & prærogativas VINEÆ illius; quas ipsa Sponsa, gloriabundè loquens, enumerat. Cant: 8 11. *VINEA fuit pacifico in ea, quæ habet populos; tradidit eam custodibus; Vir affert pro fructu ejus mille argenteos: VINEA mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.* Dum itaq; primò, quasi in Persona MARIÆ dicitur. *VINEA fuit pacifico.* Pacificus iste quis? nisi perdilectus Filius ejus; quem venientem in terras, in Vesperis Vigiliæ Nativitatis ejus, his verbis salutat Ecclesia: *Rex pacificus magnificatus est:* & cum cujus adventu universalis pax Angelorum concentu mundo promulgata fuit: *Et in terra pax hominibus.* Pacificorum porrò est, omne illud odisse, quidquid odit, vel impugnat pacem; imò potiùs ea omnia quæ sunt ad pacem, sapientissimè providere. Quid sanè magis inimicum Paci, & Pacifico huic, quàm quodcunq; peccatum? VINEAM ergò sibi plantare volens, id est, condere Matrem; glebam quæsivit idoneam s. animam, in qua nunquam fuissent lites, & rixæ peccati, sed continua cum DEO fœdera pacis: quam non alibi invenit, nisi in illa terra s. in Anima purissima MARIÆ: de qua communiter intelligitur illud Psaltis Psal: 84. 1. *Benedixisti Domine terram tuam: &c.* Et post

Cant:

CHRISTVS, Rex pacificus bellum peccati in Matre pati non potuit.

Psal:

infra subditur. *Justitia & pax osculatæ sunt.* Atq; sic dum se appellat MARIA VINEAM pacifici eo ipso ab omnis peccati labrusca se fuisse liberam clarè denuntiat.

26. *VINEA, quæ habet populos.* Et hoc secundum Vineæ Salomonis encomium, quam pulchrè labruscam omnis peccati ab hac VINEA Pacifici excludat, quis non fatebitur? si quando enim aptius verificandum venit de V. MARIA, illud Cantici, quod de se ipsa cecinit. Luc: 1. 48. *Ecce enim ex hoc, beatam me dicent omnes generationes:* tunc vel maximè, in die Conceptionis ejus. Quis enim est populus? quæ gens? quæ tribus? quæ natio? quod clima? Provincia, vel Regnum, etiam apud Antipodas? ubi jam Orthodoxæ fidei irradiavit lumen; quæ non esset pro Immac: Ortu Virginis: & si vel solam nostram Poloniam spectes, vix ullam videas villam, aut pagum, in cujus Templo (taceo majores Urbium, & Civitatum Basilicas) non decantetur quotidie, aut saltim Festis diebus, frequentiore populo Imm: Conceptionis Officium: ipsæ demum Nobilium, Senatorum, & Principum Aulæ, Civium domus, opificum Officinæ, in Parthenica quasi cesſêre delubra; in quibus, à domesticis quotidie solent præconia Imm: Conceptûs MARIÆ in Officio decantari: adeo, ut ausim dicere; si portio illa hominum, qui (permittentibus adhuc Bullis Pontificum) contrarium aliquid immaculato ejus Ortui in privato sentiunt comparetur, illa certè veluti gutta mari, & minima atomus monti, cedere cogitur multitudini populorum, mysterium hoc devotissimè tutantium. Quibus adde milliones, milliones hominum per partem Europæ, totamq; Asiam, Africam, & Americam, turpi Mahometismo infatuatorum; quibus non profiteri immaculatum Conceptum Matris CHRISTI, piaculum est, mulctâ capitis omninò expiandum. Quid contigerit ex hac occasione Romæ, inferiùs paulò invenies. n. 29.

Luc.

Vinea Marianæ Cõcep: habet populos s. multitudinem Zelatorum.

Polonorum devotio ad imm: Cõcept

27. *Vir affert pro fructu ejus mille argenteos.* Quid putas quanti pretij ipsa Vinea, si unicus fructus ejus, tot penditur argenteis? Non vulgare hic pro Imm: Ortu MARIÆ latere advertit argumentum, jam præcitatus Poëta, dum ita canit:

Conceptio imm: concluditur, ex pretio fructûs Vineæ Marianæ.

Virginis hinc etiam, quem Vinea pura meretur;
Ex tanto fructu, noscitur iste valor.

Vinea mea, coram me est. Ea est peccati natura, vel potiùs vitium, quòd latebras quærat, rectorumq; & præsertim DEI, ægrè patiatur obtutus; unde & Protoparentes nostri, post commissam noxam, latibula quæsiere in Paradiso; & ille malorum Parentum, pessima proles, fratricida Caim, desperabundè dixerat DEO. *A facie tua abscondar.* Gen: 4. 14. Non incongruè itaq; Vinea Cælestis Sponsi, Virgo hodie Concepta, coram ipso semper fuisse asseritur; nam per hoc ipsum ostenditur, quòd nunquam ullius labrusca peccati opprobrium in se portaverit; sed semper virens, & fructifera, tot excellentissimis gratiarum donis exculta, continuè oculis Sponsi sui, fuerit ad delicias. Reliquarum circumstantiarum Vineæ hujus arcana, prodet infra carmine suo, Poësis, sub num: 33.

Sum. MARIA, semper coram DEO, per gratiam.

Probatur **Doctoraliter.**

28. S. Anton: Pad: Dom: 3. Quadr: sic ait: *MARIA vitis dicta; quia vim habet citiùs radicandi; vel quòd invicem se innectit, quæ præ cæteris citiùs, & altiùs in DEI amore fuit radicata.* Hanc similitudinem vitis, ulteriùs promovendo ad mysterium Immac: Concep: Escob: l. 4. 113. ita ait. *An non vitis palmes, ab illa exsectus non interit statim; sed in terra defossus, è vestigio radices agit, & gemmas profert? MARIA igitur ex Adam excisa, nunquam interijt, sed ab initio plantationis viguit, viruit.*

In eundem omninò sensum loquitur, eruditus Scholiastes, S. Gregorij Thaum: Vossius dictus; dum explicat illa S. Doctoris verba ad MARIAM. *Ave gratiâ plena, vitis semper vigens.*

Idiota de B. Virg: Contemp: 2. P. 3. *MARIA, Vinea facta, & electa à Domino; qui eam primò plantavit in radicibus, id est, in antiquis Patribus, virtutum ipsorum imitatione.* Virtutibus autem connectitur gratia sanctificans; imò idem realiter est cum virtute, seu habitu charitatis: ut docent Theologi: Charitas autem & gratia pellit peccatum.

Joan: Picus l. 3. de Cant: c. 15. *MARIA Vinea DEI, ex singulari virtutum dignitate: Vinea, DEO custode tuta.* Cui coincidit

cidit Rich: Laur: de laud: V. l. 12. *MARIA, vitis plantata in sua Conceptione, in montibus Samariæ.* Jerem: 31. Nam Samaria, interpretatur custodia. Joan: Trithem: l. 1. de Mirac: B. V. in Urticeto, c. 6. *MARIA, Vinetum gratiæ, in quo sempiternè crevit Vinum lætitiæ.* Quod illud? nisi gratia.

Probatur

Miraculosè.

Non parùm abest à miraculo, (prodigiosum enim semper est testimonium habere ab hoste) quod Avinione contigisse, multi probati retulére Scriptores; sub Anno 1322. Publicâ fide obtentâ, venerat Avinionem, ubi tunc morabatur Pontifex cum Curia, magni Soltani Armeniæ Filius, ad Joannem XXII. animo valdè propenso in Fidem Christianam; quocirca à Pontifice splendidè habebatur, ac Sacris quotidianis non excludebatur: cùm ecce Festo Imm: Conceptionis B.V. MARIÆ, contigit interesse Concioni; in qua Sacer Orator conabatur persuadere, in culpa conceptam MARIAM: quibus ille adeò offensus fuit, ut ad Papam, Cardinalesq; conversus dixerit: Mirati se vehementèr ejusmodi sermones ab ijs, qui essent Religionis Præsides, tolerari, in quibus tantopere MARIA traducebatur: certè si hæc dicerentur in conspectu nostri Caliphæ (est apud illos Supremus Sacrorum Præses) aut Soltani Ægypti, aut coram alijs Saracenis; nullo pacto evasurum, quin ab omnibus lapidaretur: imò si quis talia dixisset de Matre Mahometi, nullo modo mortem evasurum. atq; hunc in modum ille offensus, retrò abijt, ad suosq; reversus est, qui ante ad Christianam fidem accedere, & Baptismum suscipere deliberabat. Si Saracenus iste, qui MARIAM putavit puri tantum hominis, etsi Magni (ut illi ajunt) Prophetæ, fuisse Matrem, adeò exhorruit narrantem de labrusca peccati originalis in illa; quantò magìs decet quemq; Orthodoxorum, qui MARIAM veram DEI Matrem credimus; contra hanc labruscam peccati, pro VINEÆ istius electæ immunitate, ardentiùs zelare? 29.

Saraceni Regis Filius zelat pro imm: Cõcep: B. V. M.

Probatur

Scholasticè.

THEOL: Quoties dicitur DEUS operari etiam ad extra, omni- 30.

mnitudine potentiæ suæ, & aliorum attributorum, respectivè ad capacitatem creatam; toties rem producit sine omni imperfectione, etiam ex parte termini. Sed in plantatione VINEÆ hujus, s. in creatione B. V. MARIÆ operatus est DEUS tali omnitudine. Ergò VINEA hæc, plantata est sine omni imperfectione: adeoq; sine labrusca peccati originalis. *Major* ex terminis patet. *Minor* est revelata per ipsam B. Virginem, S. Mechtildi hisce verbis: (uti lego l. I. revel:) *Sicut enim Artifex, qui mirificum opus facere decrevit, magno studio præmeditatur, & in delectatione cordis sui præimaginatur: sic BB. TRINITAS in me delectabatur & gaudebat; quia me talem Imaginem facere volebat, in qua totius potentiæ, sapientiæ, & bonitatis suæ artificium, elegantissimè appareret. Insuper, quia sciebat opus suum nunquam in me damnari.* Quæ ultima verba, robustiùs cæteris dant Immac: Conceptioni MARIÆ suffragium. *Confirmatur.* Quia si VINEA Ecclesiæ CHRISTI, quam Paulus plantavit, Apollo rigavit, tantis apud DEUM exculta est incrementis; quid de perfectione MARIAnæ VINEÆ dicendum? in cujus plantatione & cultura, tota TRINITAS in tantùm laboravit.

Conceptio B. V. M. totius potētiæ, sapiētiæ &c. DEI artificium.

31. *JURID:* In vita S. Chrysostomi legimus, olim fuisse Imperatoribus legem, quòd ex cujus VINEA uvam degustassent, illicò dominium & possessio talis Vineæ devolveretur ad Imperatorem. Justanè hæc, an tyrannica lex fuerit? pro nunc, non decido. Cæterùm, ipsi Regi Regum, & absoluto rerum Domino, ex æquo liberaliùs hoc jus favere debuit; ut VINEA illa de cujus uva Filius DEI gustare debuit; nempe Mater illa, de qua incarnandus erat, non interruptè, sed continuò, statim à primo suo instanti DEI esset, & ejus possessionis. Quisquis ergò oppositum tenes, jura perturbas, confundis dominia; dum VINEAM hanc, pro aliquo instanti, peccato & Sathanæ adjudicas: quæ semper debuit esse DEI, & CHRISTI ejus: unde de illa prophetasse videtur Micheas, tempora felicissima futuri Messiæ prædicens, dum ait: *In novissimo dierum sedebit Vir subter vitem suam.* c. 4.

Ius Imperat: Orien: gustatâ uvâ, possidēdi Vineam,

32. *SYMB:* Pier: Hierogl: l. & c. ultimo refert; inter Vitem seu Vinum & brassicam miram reperiri naturæ Antipathiam: quia sive

Vini & brassicæ antipathia.

sive in hortis, sive in cellarijs, sive in stomacho, hæc duo, non bene conveniunt: inde enim Vinum, cruditatem aliquam contrahit; hinc est, quòd periti Vinitores, in vineis brassicam non seminent. Naturalem causam talis antipathiæ protunc non capio, in commentis tamen antiquorum ad rem aliquid acuminis deprehendi: fabulabantur illi caulem brassicæ ex lachrymis Licurgi, dum captivus in carcere teneretur, prognatam fuisset; & ideò Vino, quod lætitiæ Symbolum est, inimicam esse. Ex quo tale posset ad nostrum propositum formari Emblema. Depinge cultissimam VINEAM, & Vinitorem, caules brassicæ germinaq; ejus, diligentissimè ex Vinea eradicantem: dato Lemmate. *Hinc noxia procul.* VINEA hæc, signabit B.V. MARIAM; caulis ille, lacrymarum partus, denotabit originale peccatum, cum lacrymis captivi, & miseri Adæ, ad nos omnes propagatum: solicitum verò Vinitorem, cogita ipsum DEUM, curatorem hujus suæ electæ VINEÆ; qui ne VINEA hæc cruditate vel minimâ inficeretur à caule illo Adamicæ propagationis, s, originali peccato speciali solicitudine eam præcustodivit.

Brassicam prognatã ex deciduis lacrymis, fabulantur quidã.

MARIA Vinea à cruditate Adæ, præcustodita

POES: Scilicet hæc laudum vis est, & summa tuarum; 33
Pacifici JESU, VINEA quòd fueris.
Pax sine peccato est, in te quoq; VINEA pacis,
Pax sine peccato, pax sine lite fuit.
Custodes quæris? quibus hæc purissima cessit
VINEA, ab exortu non violata suo.
Seraphini in Cælis; in terris Ordo Minorum,
Illius est Custos; quàm benè Seraphicus.
His quibus est commissa tuæ Conceptio vitæ;
Ut defendatur VINEA pura mihi;
Pro te Matre mea zelantibus, ipse beatæ
Pacis ero merces, Rex ego pacificus.

Iosi Bitzan: Del: Ottid:

in Cant: 8. 11. Vinea fuit pacifico.

Ver: 11. Tradidit eam custodibus.

Ver: 12. Ducenti tibi, qui custodiunt.

PROG: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.* 34
ANAG: O magna alma VINEA DEI, septa cum turri,
VINEA DEI Patris, Magna amorum, luceat.
Uva alme, graviter, ac optimè dimanans,
Aurea vitis prodit, mane maculam nega.

Probatur

Historicè.

35. Alexand: ab Alex: Gen: l. 4. c. 9. & plures alij, imò novissimus Mart: Szentivani Soc: JESU, in suis curiosis miscellaneis, referunt in aliqua Hungariæ parte, (cujus iste Incola fuit;) reperiri vites auriferas, quæ cauliculos, & plerumq; candicantia folia, ex puro auro germinant: quod ab incolis colligitur non infrequenter. Tam pulchrum, tam pretiosum naturæ luxuriantis miraculum, sæpiùs in examen Physicorum venit; neq; tamen ullus satis exploratam omnibus sententiam, quæ omnimodæ quæstioni satisfaceret dedit. Propinquiùs tamen accessere illi, qui vitis aureæ genituram, ad terræ, glebæq; ob aurifodinarum propinquitatem retulêre. Pulchrè satis ex immediato Anagrammate, res ista alludit puritati, & præstantiæ VINEÆ nostræ, & Viti MARIÆ. Aurum charitas est, gleba aurea, imò aurifodina, ille cujus caput aurum optimum esse dicitur. Cant: 5. 11. CHRISTUS Filius MARIÆ; quia ergo vitis hæc, seu VINEA B. Virgo, glebæ huic specialitèr implantata fuit, s. prævisis meritis ejus; suxit proindè aurum primum, s. præstantissimam gratiam; atq; sic prodijt manè, s. in Conceptione sua, veluti vitis aurea. Quid ergo aureæ viti, aut VINEÆ, cùm viti labrusca peccati?

Vites aurum germinātes: qua de causa?

Cant: MARIA vitis, aurum primum, gratiæ originalis suxit ab aurea gleba.

EPILOGUS.

36. Vidimus jam, nos miserrimæ veteris Adæ, maledictæ implantati glebæ, undiq; steriles, & peccatorum labruscis sylvescentes VINEÆ; vidimus (inquam) electam, speciosam, & sine omni labrusca, VINEAM B. V. MARIAM, sine labe conceptam. O utinam Divinissimæ huic feliciùs implantemur VINEÆ! & per novas Spiritûs S. gratias suscipientes Verbum DEI, infructuosi palmites, huic fæcundissimæ inseramur viti. Nam ut ait Novar: Umb: n. 967. *Igni deputabitur, & igni æterno, qui in hac vite non manserit, & pravæ vitæ moribus abscissus à Virginea vite fuerit.*

In vite MARIAE non manserit, igni deputabitur.

Novar.

37. Ne autem à tam fertili, & privilegiata VINEA recedamus inanes, sitibūdi & impoti de Mariano Vineto; supplicem' quàm devotissimè pientissimæ Matri, illis suavissimis melliflui Doctoris verbis, Ser: 4. sup: Salve: *Defecit Vinum in cadis nostris, Vinum s. lætificans*

carus cor hominis; Vinum quærimus, quod germinat Virgines; harum pincerna & vexillifera Tu - - - Calix in manu tua, in potestate tua, Vini meri, amoris Divini: Dic Domina rerum, dic pro nobis Filio tuo; Vinum non habent. Audi igitur preces nostras, ô Mater! ô Domina! & respice devotorum tibi, ardentia vota, exertas præ siti gratiæ, mancipiorum laborantium pro immaculato Ortu tuo, vel unicâ tui suavissimi nectaris gratiâ, refrigera linguas, atq; languentium refice vires. Et quia ipsius Salvatoris effato. *Nemo mittit Vinum novum in utres veteres.* Matt: 9. 17. Nos autem cuncti veteris Adæ peccato infecti, quasi utres veteres sumus, quos præterea quotidianarum noxarum contraxit pruina: juxta illud Davidicum Psal: 118. 83. *Quia factus sum, sicut uter in pruina.* Tu vetustatem nostram in novitatem restitue; ut novarum tuarum gratiarum recipiendo Vino, tantò aptiora efficiamur vasa Domini. Hoc unicè precamur, & obtestamur Te, ô MARIA immaculatè Concepta! idq; per amorem, & Sanguinem JESU CHRISTI Filij tui: cui cum Patre, & Spiritu S. omnis sit honor & gloria in æternum.

Votum Authoris.

A M E N.

Io! vivat Sanctissimæ DEIparæ, Immaculata Conceptio.





XENIUM, sine Defectu, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

Eleazar autem genuit Mathan. Matt: 1.
Beatus Venter, qui te portavit. Luc: 11.

I. QUantùm in humanis rebus præstet munifica liberalitas, quantumq; Reges ac Principes deceat, eorumq; stabiliat imperia, nemo puto est, qui ignoret; utpotè quotidianâ comprobatum experientiâ. NN. Ad domandos enim, obstringendosq; populorum animos, potentius est aurum, quàm hastæ, fortiora xenia, quàm mænia. *Ingentes compedes* (ait Scribanius in Polit: Christian: l. 3. c. 5.) *quibus nec fortissimus, nec prudentissimus, ac vix optimus, & integerrimus quisq, se exsolvat: ubi verò semel aureis his vinculis animos irretiveris; æternùm possidebis, & vel solâ verecundiâ, munifico adhærebunt largitori. pudet nimirum ingratum esse; & numerum memoria gravis testis est.* Hoc & ipse Salvator innuisse videtur Luc: 22. 25. illis verbis. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici* (s. liberales in beneficijs) *vocantur.* Quod munificentiæ Regiæ genus, Magnis, dum expediuntur, aut salutantur, Legatis, liberaliùs impartiri, consuetum esse Principibus, benè novimus,

Munificentiæ robur ad expugnandos animos.

Luc.

Quid simile, imò longè præstantius, in præsentiarum agi video.

deo. Innotuit planè nobis ex Propheta, etsi nonnisi sub typo, agitatum in perauguſto SS. TRINITATIS Consiſtorio, de mittendo Magno quodam Legato consilium. Is. 6. 8. *Audivi* (inquit Propheta) *vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis.* Conscripta ab æterno Missionis illius tempora, instructum negotium: ecce jam diu exoptata generi humano adesse festinant illa tempora, disponitur in proximo Legati Magni expeditio, Messiæ videlicet dignativus adventus: de quo illud Propheticum Gen: 49. 10. *Non auferetur Sceptrum de Juda, - - donec veniat, qui, mittendus est.* verbo dicam: Incarnatio JESU CHRISTI Filij DEI imminebat; qui in gratiam deperditi generis humani apud Thronum DEI causam acturus, Legatione fungeretur, & fœdera concinnaret pacis, inter DEUM & hominem. Igitur nunc magìs, quàm aliàs, liberalem oportuit fieri Cœlestem Regem; idq; tàm in ipsum Legatum Magnum I. CHRISTUM, quàm in sociam primam Legationis, s. B. V. MARIAM, Matrem ejus. De qua D. Joan: Damasc: in Paracl: B. V. *Ipsa est Legata apud DEUM ad intercedendum, quæ pudore non suffunditur.* Similiter S. Andr: Cret: *Ipsa est Legatio nostra ad DEUM, cujus orationibus ipse DEUS pacem mundo largitur.*

Isai. Legatus Magnus Filius DEI, in carne.

Gen.

MARIA, Socia Legationis.

3. Et ita sanè geri video: Ditissimus ille Cælorum Rex, cujus divitiæ nonnisi mensurantur abysso: cujus munificentia, effusa in omnes, qui invocant nomen ejus: cujus gazæ, sunt XENIA gratiarum. dicente Paulo ad Ephes: 2. 7. *ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ.* Gazas ergò istas hodie in Conceptione MARIÆ, tempestivè aperit, XENIA utriq; distribuenda parat, imò jam distribuit: Hoc enim latere in nomine Mathan Proavo CHRISTI & MARIÆ, deprehendit Strabo ex Glossa Interl: *Eleazar genuit Mathan. Mathan* enim interpretatur *Donans:* per quod asserit idem, significari *DEUM donantem.*

Ephes. Mathan, DEUM donãtem significat.

4. Scire forsitan cupis Gazas has, & Xenia. Gazam, seu Gazophylacium DEI appellabo, Dignissimam Matrem MARIÆ, S. Annam: XENIA autem & thesaurum, ipsam ejus Filiam, immaculatè in Utero ejus Conceptam: Audio enim de hoc ipso, loquentem Angelum in revelatione ad S. Birgittam. *Venerabilis Anna verè nuncu-*

DEUS in Cõceptione B. V. valdè liberalis.

Birgitt.

S. Annæ Vte-rus, gazophilatium. nuncupari potest Omnipotentis DEI Gazophilacium; quia ipsa Thesaurum super omnia sibi amabilem, in suo Utero recondebat. De cujus proinde Utero, usurpativè dici posset illud. *Beatus Venter, qui te portavit.* Luc: 11. 27. Et ut clariùs loquar; ipsum supereminens immunitatis ab omni peccato privilegium, seu Imm: Conceptionem MARIÆ, in munus Legationis, tam CHRISTO quàm Matri ejus collatum, Xenium utriusq; appellabo.

5. Equidem quotquot redempti pretioso Sanguine CHRISTI censemur, Xenia quidem ipsius, quæ dedit ei Pater, sumus: ipso sic orante ad Patrem. Joan: 17. 9. *Rogo pro eis, quos dedisti mihi.* Sed Xenia, non sine defectu: priùs enim originali peccato infecti; nunc autem omninò fragiles, pauca vel nulla offerimus DEO dona, sine imperfectionum defectu. Solius Neo-Conceptæ privilegium habetur, quòd & ipsa, perfectissimæ atq; sine omni defectu originalis gratiæ, in Conceptione sua Xenium accepit, & simul per hoc, incarnando Filio DEI cessit in dignissimum Xenium; donata ei Mater, sine defectu originali concepta. Itaq; præmisso morali, probaturus idem assumptum, saluto primùm breviter Neo-Conceptam.

O XENIUM CHRISTO dignum! In te nullum culpæ signum.
Puram Matrem habet ille; Ut Monile, inter mille.

PARS I.

Xenia nostra, seu actus supererogatorij, cur plerumq; non sine defectu?

6. NE mireris (bone Lector) me actus supererogationis, XENIA CHRISTI appellasse: cùm enim moris sit, Xenium illud dicere, quod non ex obligatione, sed præcisè ex liberalitate offerentis præstatur; actus autem supererogationis, tales omninò sunt oblationes: de quibus dixit Psaltes. *Voluntariè sacrificabo tibi:* rectè proinde, nomine XENII significantur. Juvat pulchrè hanc nostram ratiocinationem, & illa visio, quam legitur habuisse S. Mechtildis P. 4. c. 7. Viderat aliquando hæc dilectissima CHRISTI Sponsa, Salvatorem nostrum pulchrè vestitum

Supererogationis actus, Xenia dicuntur, cur;

ſtitum, de cujus benedicto collo cernebat pendere pretioſa quædam XENIA, ſeu monilia, mirè per modum variorum florum ex puriſſimo auro elaborata: per quæ (ut eidem Virgini tum fuerat revelatum) denotabantur inſignes nonnullarum virtutum actus, in quibus ſe exercendo quædam alia Religioſa, eos obtulerat Domino. Christus apparet S. Mechtildi, cum pendulis è collo aureis Xenijs ſeu clenodijs.

Sed quis tàm peritus in arte ſua horum monilium faber? quæ tàm felix officina? quæ Gaza? ſ. quæ anima? ut in XENIUM, & oblationem gratiſſimam Domino, hujuſcemodi comparet, comportetq; clenodia; id eſt, cujus actus virtutum, ſint perfectè exquiſiti, & ſine ullo defectu? Plerumq; etenim fit, quod XENIA hæc ſupererogatoriorum actuum v. g. prolixa jejunia, auſteritates, virtutum heroicarum propoſita, effuſæ erogationes temporalium bonorum in pia opera, aliaq; his ſimilia, minùs ſibi appretiet DEUS; & hoc ob aliquos illorum XENIORUM defectus; qui ex nonnullis circumſtantijs ipſis accidunt: quorum plures reperire eſt; tres tamen ſolummodò interea obſervare placeat. Xenia noſtra, cur non ſemper perfectè DEO grata?

Probatur **Scripturaliter.**

Primum defectum in Xenijs noſtris, ſeu in actibus ſupererogatorijs contingere dico, ex parte materiæ, ſ. quia non ſemper fiunt ex probatiſſimo auro: id eſt: quia remiſſo, & tepido affectu charitatis eliciuntur; hæc antequam ex S. Scriptura probavero, cautum te (bone Lector) habere volo, quòd non ſit mentis meæ, opera bona & præcipuè ſupererogationis, in gratia facta, etiamſi cum aliquo veniali defectu, aut cum remiſſo charitatis fervore elicitos actus, ſuo apud DEUM privare merito; memor enim ſum bene, quòd modò apud Theologos, probabiliùs ſit, juſtum hominem quibuslibet actibus, etiam remiſſioribus, infallibiliter mereri augmentum gratiæ, & gloriæ: cui ſententiæ valdè favet Conc: Trid: S. 6. c. 10. ubi docet; quòd juſti renovantur de die in diem, & creſcunt in accepta juſtitia. Et præterea, quia Matt: 10. 53. pro exiguo etiam, & remiſſo actu v.g. pro ſcypho aquæ frigidæ tribuenti, mercedem ſuam appromiſit Salvator. His tamen non obſtantibus, quòd talia XENIA, ſeu actus boni cum defectu remiſſioris charitatis oblati, 7. Opera remiſſa ſunt meritoria. Trident. Matt.

oblati, non sint perfectè grata DEO, securè id posse asseri, colligo ex S. Scriptura.

8. *Apocal.* Apoc: 2. 4. Admirandus ille formâ & vestitu Vir, inter septem aurea candelabra medius, qui apparuerat Joanni, dum aliqua ab ipso denuntianda quibusdam Episcopis, eidem committeret; ubi de Episcopo Ephesino res esset, à laudibus, & encomijs illius inchoato sermone, enumeratisq; virtutum illius pulchris speciminibus. *Scio* (inquit ad Episcopum) *opera tua, & laborem, & patientiam tuam, &c:* tandem severè ipsum arguere statuit, & mandat hujuscemodi verbis. *Sed habeo adversum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti:* Imò minaciter addit, candelabrum ejus, quod aureum stabat ante Dominum, tanquam minùs gratum DEO, amovendum fore in proximo. *Movebo* (inquit) *candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Aurum charitas est: candelabrum aureum (ap: Sylvei: hic n: 108.) sumitur pro Viro justo; adeoq; pro operibus justitiæ. Candelabrum hoc, non plenè placuisse DEO audis, s. opera quædam justi istius excellentia: & cur? utiq; aurum erant, id est, charitate formata, in gratia facta fuerant: quid inde? aurum quidem erant, sed non aurum purum, nec probationis primæ: *Habeo* (inquit) *adversum te, quòd charitatem primam reliquisti.*

Opera remissiori fervore facta, reprehenduntur.

9. Verum quidem est, aliquos Doctores opinari, Episcopum istum redargutum fuisse de aliqua culpa mortali ex defectu charitatis: in qua sentētia est Haymo, & La Haie: contraria tamen communis & verior sententia, de culpa nonnisi veniali, hunc locum exponit. Non enim arguitur hic Episcopus, quòd perdiderit charitatem; illius nempe fervorem, & vehementiam: quod suadent etiam antecedentia verba, quæ magnam laudem Episcopi continent, & aliqua opera ejus, uti meritoria approbant; dicitur enim: *Scio opera tua &c:* per quæ opera intelligebantur (ut Commentatores observant) prædicatio Evangelij, conversio gentium, zelus contra hostes fidei; sed quatenus hæc opera remissiori fervore, & ardore charitatis exhibebantur, eatenus reprehenduntur. Ita enim in hunc locum Richar: *Richard.* ait: *In gratia minùs securè vixerat, & quædam negligenter egerat: & ideò à culmine suæ perfectionis exciderat.* Signantiùs ait Andr: Cæsar.

Cæsar. *Reprehenditur hic Episcopus, quòd primam dilectionem, solitamq; circa egenos beneficentiam, remissiùs, quàm par est, exerceret.* Andr. Cæsar.

10. Porrò sic explicatus locus cit: S. Scripturæ, arguit quidem omnes orthodoxos, quotquot sunt, qui multa operantur supererogatoria, in largitionibus, jejunijs, devotionibus; pauca verò, vel nulla in fervore charitatis; specialiter tamen iste locus tangere videtur, DEO dicatos homines, Episcopos, Presbyteros; specialissimè autem Religiosos illos, qui pro magno habent, quòd Canonicum Officium recitent, Pastoralia munia per seipsos obeant; Religiosi, quòd quædam jejuniorum, austeritatum obedientiæ, paupertatis, & his similia asceticarum virtutum exercitia faciant; parùm autem soliciti sunt, quo fervore charitatis illa exhibeantur. Talibus enim contingit, ut cùm putaverint, aurea quædam se offerre DEO Xenia, in re ipsa vile quid, & parvi pretij, id est, meriti apud DEUM, defacto offerant. Quod perspicacissimè attigit Rich: Vict: ap: Tilman: in 2. Danjel: locum istum Scripturæ, cum alio ex Propheta Danjele componendo, s. de statua illa Nabuchodonozor; cujus caput aureum erat, pedes autem, terra mixta cum auro; in hæc verba dicens, imò dolentissimè exclamans ad Religiosos. *O quantum est inter testam, & aurum; inter statuæ principium, & finem! incipit in auro, desinit in testam! O confusibiles operarios! qui in initio conversionis suæ, opus suum inchoant ex auro, & tandem luto consummant! vide quomodo sermo Divinus arguat illum, qui opus aureum in argenteum commutarat: Habeo adversùm te pauca, quòd primam charitatem reliquisti.*

Frigidi Prælati, Presbyteri, Religiosi, arguuntur.

Richard.

11. Huc reductivè spectare videntur, rursùs ad aliam Episcopum ibidem, illa commissæ Joanni legationis verba: c. 3. 15. *Scio opera tua, quia neq; frigidus es, nec calidus, - - - incipiam te evomere.* Sermo hic utiq; est (juxta Thom: Anglicum) de frigido, non quantùm ad frigiditatem & culpam, sed quantùm ad dispositionis facilitatem: unde per hoc minaciter monebatur Episcopus, opera sua bona, quia remissâ charitate facta, non fuisse perfectè grata DEO. Quisquis ergò de numero horum tepidorum, remissorum in charitate religiosorum, (quorum ego primus) censeris, solicitè attende & cura, ut Xenia tua, quæ

Apocal.

Tepidus evomitur à DEO

offers DEO, actus nempe vitæ religiosæ, quantùm est possibile, sint sine defectu: ne dum putas te aurum probatum offerre, illud auri tantùm scoria sit: scilicet vide, quali fervore charitatis, talia exequaris: aurum potiùs auro adde, fervorem fervori; intensione charitatis concresce: & sic probatiora XENIA DEO dabis.

Probatur **Figuralitèr.**

12. Secunda causa defectûs Xenij, quandoq; contingit, ex parte offerentis: quando s. grandiora sunt verba, exigua verò XENIA seu munera. De talibus antiquum Polonorum est adagium. Podárunek ták zmudzinek / Orácya ták Srys. Quo adagio, aliquis in nativo idiomate, per quandam similitudinem satis facetè carpsit cujusdam Oratoris XENIUM Nuptiale; quod etsi valdè perexiguum erat, cum longa tamen & phalerata oratione offerebatur. Per quod mysticè notantur & illi, qui miræ supererogationis concipiunt & DEO offerunt proposita: hic abjectissimæ humilitatis, ille extremæ paupertatis actus; hic illimitatæ obedientiæ, ille zeli pro fide, pro DEO, pro virtute, resistendi usq; ad sanguinem: alij alios heroicarum virtutum concipiunt actus. hinc tales magna gerunt animo, cùm tamen adhuc compleverint nulla: heroica promittunt, sed dum opportunitas vocat, exigua præstant; imò quandoq; difficultate agendorum territi, imbecillitatem suam, & inertiæ torporem serò rubore fatentur. adeoq; fit, ut aut nulla, aut exigua sint, aut parùm grata DEO fiant illorum XENIA, id est actus, & proposita virtutum heroicarum. Rem videamus in Figura.

Xenij exigui, cum lóga oratione Sarcasmus Polonorum.

Promittit aliqui magna, & multa, & pauca, vel nulla exequuntur.

13. Lev: 11. 30. Inter cætera animalia, quæ in veteri lege à sacrificijs DEI arcebantur, legimus quoddam recenseri, dictum Chamæleon. *Hæc quoq;* (ait S. Textus) *inter polluta reputabuntur, Mygdale & Chamæleon, & stellio, & locusta, & talpa.* In sensu morali, Chamæleon habet plures significationes. Ex quo enim ad colores, quos videt, conversione facillimâ toto corpore mutatur, tropologicè benè designat parasitos; qui os, & verba ad omnem ventum accommodant, & pro tempore sese vertunt in omnem habitum. Quâ de causa S. Greg: Nazian: Julianum

Lev.

Chamæleon, rejectus à Sacrificijs.

Chamæleon, parasitorum typus.

lianum Apostatam comparaverat Chamæleonti: & tales reijciuntur à Sacrificio DEI. nempe vita, & mores talium, abominabiles sunt apud DEUM. Rursùs, quia Chamæleon vento, muscis nonnisi vivere perhibetur, (juxta Coro: à lap:) symbolicè denotat homines, qui vento honoris, & muscis deliciarum se pascunt, & propterea ingratæ fiunt victimæ DEO. Tales Chamæleontes alloquitur cit: Comm. *Ambis opes, muscam ambis; ambis Sponsam divitem, & speciosam, muscam ambis; ambis vina & delicias, muscam ambis: &c.* *vide plura (si placet) ap: eundem hic.*

Greg.

Chamæleon muscis vivēs mundanos significat.

14. His tamen minimè obstantibus, Chamæleon pulchrum Emblema præferre videtur eorum quoq;, qui quasi aëre viventes, s. in jejunijs, vigilijs multis, in orationibus, magna præterea in animo præseferunt, heroica promittunt, nunquam tamen, aut raro aliqua, idq; ignavè exequuntur: cujusvis planè heroicæ virtutis, identidem tinguntur coloribus, dum flagrant desiderijs, & liberales sunt in propositis, cùm tamen mox mutetur iste color optimus. Valde affinis est, hujus similitudinis ratio quoq; illa, quam ingeniosissimè subdit Tertull: de pallio. c. 7. Chamæleontem (inquit) semper specie promittere gradum, cùm ferè nunquam explicet gressum, putabis audacem, experieris semper hærentem: aëre quodammodo libratur, quasi gressum promoturus, & cùm facilè sit, nullo obstaculo præpediente oscitans; semper marcet, & marcidus semper hæret. Accipe de illo verba Tertulliani: *Caput* (inquit) *bestiola versiculum de mediocribus oppidò, sed nomen grande. Chamæleontem qui audierit, haud ante gnarus, jam timebit aliquid ampliùs cum Leone: at cum offenderis apud viam, fermè sub pampino totum; ridebis illicò audaciam, & Graciam: -- hebes, fessus vix se à terra suspendit, molliter incessum stupens promovet: gradum magis demonstrat, quàm explicat.*

Tertul.

Chamæleon, ignavum animal re, nomine magnū.

15. O quàm graphicè hæc bestiola iners exprimit illos, qui magnâ spe præmiorum, & meritorum apud DEUM, pro heroicarum virtutum actibus, quos proponunt, turgent, eximia quandoq; spondent DEO, ad egregia facta se accingunt; & cùm facturos nullatenus dubitaveris, nunquam, vel raro, idq; tepidè & hæsitantèr ac timidè, egregia opera patrasse videbis. Quales

Senec. les etiam in suo Ethnicismo adnotaverat Seneca; quorum unum subsannativè alloquitur ep: 85. ad Lucill. *Magna verba excidunt; cùm tortor poposcit, cùm mors propiùs accessit: possis illis dicere; facilè provocabas mala absentia. Ecce dolor, quem tolerabilem esse dicebas, ecce mors, contra quam multa animosè locutus es: sonant flagella, gladius micat: nunc animis opus est, nunc pectore firmo; faciet autem firmum, si non verba exercuerit, sed animum.* En Ethnici sensus de actibus virtutum nonnisi in ratione honesti; quis putas sensus sit DEI, de talibus actibus in ratione meriti? Ex ista ergo Figura S. Scripturæ hoc dogma morale eliciendum: quòd dum Chamæleon ab altari, & Sacrificiis Domini arcetur, per hoc significari, illorum qui veluti Chamæleontes, magna ad speciem propositorum XENIA, DEO dedicant, exigua tamen & imperfecta re ipsa offerunt, oblationes hujusmodi, proposita & vota, non esse XENIA in toto, & perfectè ipsi accepta; utpotè defectuosa.

Magnos in verbis, & propositis tantùm carpit Seneca.

Talium oblationes, parũ DEO gratæ.

Probatur **Historicè.**

16\. Tertius defectus, & ratio, ob quàm aliquorum XENIA, seu oblationes v. g. illorum, qui profusiori liberalitate, plurima erogant in pauperes, in ædificia Templorum, Monasteriorum, expendunt multa pro decore Domûs DEI; fiunt Xenia minùs accepta DEO; quia plerumq; contingit talia fieri ex alieno: hoc est ex bonis per rapinam acquisitis. Ad cujus veritatis demonstrationem, sufficeret monitum illud Eccli: 34. 2. *Qui offert Sacrificium de substantia pauperis; quasi victimat Filium in conspectu Patris.* Res tamen clariùs patebit ex Historia. Audita refero: Nonnemo illorum, quibus volupè est, inter curas sæculi, sedulâ interdum lectione librorum, levare tædia vitæ, retulit se in quopiam Authore, (cujus protunc memoriæ non occurrebat nomen) legisse prodigiosum contingens hujuscemodi. Festo quodam solemni, alicubi locorum, fiebat magno cum apparatu, populiq; frequentia per publicas plateas Processio; in qua deferebatur Sanctissimum SACRAMENTUM, Thecâ seu (ut vulgò dicitur) Monstratorio de purissimo auro affabrè facto, interclusum; & dum sonarent pulsantia æra, sonare quoq;

Xenium ex alieno, DEO non placet.

Eccli.

incepit

incepit aër, mugire tonitrua, igneæ corruscationes, atq; hinc inde percurrentia fulgetra, percellere populum: tandem factum est, ut ad ictum fulminis ipsum illud Monstratorium totum defluxerit & resolutum sit, illæso manente Sacerdote atq; Hostia Sacrâ: quæ potiùs elapsâ in aërem, levavit se & miraculosè suspensâ mansit tamdiu, quousq; non venisset Sacerdos alius cum novo calice; quo reverenter Sacræ Hostiæ supposito, stupentibus cunctis Hostia se demisit in illum. Tanti miraculi causam dum omnes mirarentur & ignorarent, revelatum fuit cuipiam ex pientioribus, quòd illud aurum Monstratorij fuerit ex rapina, & malè acquisitum; & ideo tanquam minùs acceptibile donum, igne illo totaliter consumptum. Ex dictis jam, patent tres præcipuæ causæ, propter quas XENIA nostra seu actus supererogationis, XENIA quidem sunt, sed non sine defectu, nec de integro pergrata DEO.

PARS II.

SS. MARIA XENIUM sine defectu originali.

SEneca l. 1. de benef: c. 13. asserit; munera illa, quæ antea nulli alteri cessêre, haberi in speciali honore. Unde scribit, quòd dum Alexandro M: Victori Orientis, Corinthij per Legatos Triumphos gratularentur, & Civitatem suam dono ei offerrent; cum risisset ille hoc officij genus, unus ex Legatis nasutior: *Nulli* (inquit) *Civitatem nostram dedimus alij, quàm tibi & Herculi:* lætatus Alexander novo officij genere, gratanter acceptavit donum. Jam patet ex probatis, opera nostra, etiam bona, non semper esse DEO pergrata, aut saltim non tam bene accepta, quia in aliquo deficiunt, & partem aliquam habet in ipsis alienus. Quod proportionaliter dicendum est, de animabus hominum, quas Pater æternus donavit CHRISTO, ut Redemptori in XENIUM: XENIA quidem ejus sunt, non tamen sine defectu; nam aliquando propter originale, omnes alieni, (s. Sathanici) juris, fuimus: Unicam exci- 17.

Civitas nulli alteri ante data, gratum Xenium Alexandro M.

MARIA, Civitas semper possessionis DEI. cipio B. V. MARIAM; quæ fuit in omni momento, Civitas DEI, plenæ possessionis, nulli alteri unquam subjecta: quæ proinde gloriosissimo Mortis & Orci Triumphatori CHRISTO, cederet in dignissimum XENIUM. Similia quoq; cogita de ipsa MARIA, respectivè ad collatam ipsi primam gratiam: hæc enim alijs hominibus quando infunditur, datur ipsis ut XENIUM cæleste, & pignus vitæ æternæ, sed quasi non sine defectu; in eo sensu, quatenus præcessit in anima peccatum; quem defectum, gratia primò infusa, imò concreata B. V. MARIÆ, nullatenus admisit.

18. *Probatur* Scripturaliter.

Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant: 2. 16. inquit typica Sponsa MARIA, de Sponso Cælesti, DEO. Iste textus, etiam quoad literalem sensum, perdifficilis videtur Expositoribus sacris, & veluti quædam Oratio manca: adeò ut S. Bernardus Ser: 67. dixerit: *Trunca, & minùs conveniens invenitur ista locutio. --- Quid est hoc, quod dicit. Ille mihi, & ego illi: Nescimus quid loquitur: quia non sentimus, quod sentit.* Si in litera tam difficilis; quantò putabimus in significationibus magìs mysteriosus iste textus? Cæterùm unum se in verbis paulò evidentiùs prodit, nimirum jucundissimum amoris inter Sponsum & Sponsam certamen, ubi nedum affectibus, sed muneribus quoq; certatum est inter illos, vix non ad æqualitatem: laudes pro laudibus, XENIA pro XENIIS, aurum pro auro, poma pro pomis, sacro quodam talione, in alteruttum mutuò sibi reponendo. Quod observavit Academicus Poeta, dum ait:

Bernard.

Amantium est, nedum affectibus, sed XENIIS quoq; certare.

Verus amor redamat, donis certatq; vicissim;
Officijq; pares, sunt in amore vices.

Hinc est, quòd si scire cupimus principalissima Sponsæ DEI MARIÆ, quæ, & cujus pretij XENIA seu dona, gratiæ primò ipsi collatæ à DEO fuerint, id omninò respectivè ad pretium dati ab ipsa DEO, decernendum erit; ita ut omnipossibilis proportio, inter donatum ab ipsa, & redonatum à DEO, conservetur.

19. Jam inquiramus, quod nam illud tale fuerit donum, quòd speci-

specialissimè, inter alios innumeros, eosq; præstantissimos heroicarum virtutum actus, obtulerit B.V.MARIA, Sponso suo DEO? Non aliud convenientiùs dici puto, quam oblationem illius particulæ Virgineæ carnis suæ, & sanguinis sui, ex quibus incarnari debebat DEUS ipse. Hoc XENIUM oblatum à Sponsa MARIA Dilecto suo, præstantissimum fuisse ex multis circumstantijs liquet. *Primò*, quia fuit DEO oblatum à MARIA, effusâ quadam, & quasi inassequibili liberalitate; ratione cujus oblationis, in aliquo sensu dicitur superasse vel adæquasse liberalitatem ipsius DEI. Ait enim S. Bern: Sen: ap: Bern: Bust: P. 12. S. 2. *Sola benedicta Virgo MARIA, plùs fecit DEO, vel tantùm ut sic dicam, quantùm fecit DEUS toti generi humano.* Quod qualiter intelligendum sit; in alio loco explicat citatus Busto P. 6. S. 2. *Tu* (inquit ad MARIAM) *fecisti majora ei, qui potens est. DEUS namq; hominem formavit de limo terræ. Tu verò Beatissima Virgo, DEUM, de purissimis tuis sanguinibus generasti, & illum purissimâ carne tuâ cooperuisti.*

Caro MARIAE, quàm pretiosum XENIUM unde?

Bern. Sen. MARIA plùs fecit DEO, quàm DEUS homini. *Bust.*

Secundò, ex eo XENIUM hoc à MARIA oblatum DEO s. caro Virginea, fuit præstatissimum? quia oblatum est de proprio, non ex alieno: quid enim magìs proprium hominis, quàm caro & sanguis suus. XENIUM hoc obtulêre quidem DEO SS. Martyres, sed MARIA longè nobiliori modo: illi etenim fundendo pro DEO sanguinem, & vitam ponendo, rem simul cum jure ad rem, sanctâ quadam jacturâ perdebant; hæc autem, ut vitam in corpore humano haberet DEUS, per Incarnationem, carnem, & sanguinem suum ei communicando, rei, simul, & juri suo ad rem, plenè cessit, dum liberè Incarnationi Filij DEI in Utero suo consensit: ut quid enim tàm solicitè per Angelum expeteretur à Virgine ille consensus? si nihil juris in carnem suam & sanguinem MARIA habuisset: Unde pro jure ejus, sic loquitur Novar: in Umbr: n. 934. *Noluit Omnipotens DEUS, carnem suam sumere ex MARIA, non dante MARIA Carnem.* 20.

MARIA, nobiliùs quàm Martyres, obtulit sanguinem suum DEO: quare?

Novar.

Tertiò, & magìs ad propositum nostrum, ideò dicitur MARIA præstantissimum cæteris omnibus, Dilecto suo obtulisse de carne sua XENIUM; quia obtulit illud sine omni defectu; 21.

 id est

MARIAE caro, Collegiū puritatis. id est purissimam de purissima carne sua portionem. Tota e-tenim Caro MARIÆ, fuit quoddam Collegium puritatis omnium elementorum: ita namq; Angelus ad B. Birgittam, describendo MARIAni corporis formationem ab æterno à DEO præordinatam; ait: *In illo (increato, aliquando futuro corpore) quatuor elementa s. ignis, aër, aqua, & terra, quamvis etiam increata s. (nondum creata) tunc essent, in hunc modum divino aspectui æternaliter apparebant: Quod s. aër in eo corpore, ita levis fieri debebat; quòd contra Spiritum S. unquam non efflaret. Terra quoq; creari debebat tam bona, & tam fructifera; quòd nihil in ea crescere posset, quod ad omnia necessaria utile non esset. Aqua sic tranquilla; quòd undecunq; ventorum turbines efflarent; nulla unquam procella, in ea penitùs moveretur. Ignis etiam tam altus, quòd ejus flamma, & calor, mansioni, in qua ipse DEVS erat, appropinquaret.* Deinde idem Angelus, converso ad B. Virginem sermone, exclamando ait: *O MARIA! hoc tu ipsum es: sic, & talis ab æterno divino aspectui increata astitisti; ac deindè de supradictis, tam puris, & claris elementis, materiam tui corporis benedicti habuisti.*

Birgitt.

22. Ex puritate carnis MARIÆ collige pretium ejus, quo æstimabatur apud DEUM; idq; statim in initio Conceptionis ejus: Audi verba ejusdem Angeli: *Verè sine omni ambiguitate credendum est, quòd materiam illam statim, quando in Annæ Utero concepta, & collecta fuit, de qua MARIA formari debebat, ipse DEVS plùs diligebat, quàm omnia humana corpora, à Viro & Muliere generanda per mundum Universum.* De hac ergò tam pura, tam pretiosa carne, MARIA Xenium DEO obtulit, dum Incarnationi Filij DEI in Utero suo consensit.

Birgitt: MARIAE Carnem, à puncto Concept: dilexit DEVS, intèsè

23. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vidisti (pie Lector) Xenii MARIAni, quod ipsa Dilecto suo obtulit præstantiam, & pretium; hinc conclude de pretio, & excellentia illius Xenii, quo vicissim redonari debuit Dilecta à Dilecto: quem satis munificum ex natura sua, tam magnificæ oblationis Xenio, tantò magis adhuc sibi debitorem reddidit. *Euge* (inquit S. Method: orat: in Purif:) *quæ debitorem habes illum, qui omnibus mutuatur: omnis enim creatura DEO debet, ille autem tibi debitor est.* Nihil ergò verisimilius, quam quòd in illis prævisionibus æternis, dum Ma-

Method. MARIAE, DEVS debitor factus.

ter provideretur, destinareturq; incarnando Filio DEI, & ex consequenti prævideretur consensus Matris in carnem ex se assumendam, inter Dilectos, DEUM s. & MARIAM, generosè XENIIS, & muneribus certatum sit; imò quod generosi debitoris est, etiam anticipatè, ante actualem consensum MARIÆ in illam donationem, provisum fuerit à Dilecto ejus, singulare quodpiam donum, quod esset Matri ad proportionem accepti vel accipiendi ab illa, in XENIUM. Hoc ego non aliud convenientius existimo, quàm privilegium Imm: Conceptionis, & summæ, nulliq; variabilitati, tam ante, quàm post, subjectæ gratiæ: ut sicut illa carnem suam sine omni impuritatis defectu obtulerat Dilecto, sic reciprocè à Dilecto suo donaretur Animâ, quæ esset sine omni defectu, seu sine omni peccato: quod ipsum, tam, illi, quàm postea Filio ex ipsa nascituro, cederet in XENIUM; ad majorem honorem, & ad decoramentum trabeæ carnis, quâ induendum erat Verbum DEI, ad causam salutis nostræ peragendam. Hunc latere sensum in citato Scripturæ textu oculatissimè advertit cæcus Academicus Poëta; dum amoris hoc certamen inter DEUM & MARIAM, (licetsi in alio ordine, s. in ordine executionis) venustè satis tali declaravit carmine.

MARIAE, pro concessa carne immaculata, redonatur anima immaculata; in ordine intentionis.

Officijs mecum certans dilectus amicis,
Mutua qui dederat, mutua dona tulit.
Ille mihi dotes animæ, dedit immaculatæ:
Reddita per me illi est, immaculata caro.

Probatur

Figuraliter.

Mariani hujus XENII à DEO accepti pretium, exquisitumq; Omnipotentis DEI in illo elucens artificium, videntur non inconcinnè expressisse illa XENIA, & ornamenta colli, & vultûs Sponsæ in Canticis. *Pulchræ sunt* (inquit Sponsus ad Sponsam) *genæ tuæ sicut turturis; collum tuum, sicut monilia; murenulas aureas faciemus, tibi vermiculatas argento.* Cant: I. 9. II. Hujusmodi XENIA, plerumq; habere solent Sponsæ à suis Sponsis, aut tanquam dotem, aut tanquàm dona antenuptialia; quo titulo, & hæc Salomonis Sponsa acquisivisse talia creditur. Ex communi Doctorum sensu (ut toties dixi) Sponsa illa fuit ty- 24. Cant.

 pus

pus MARIÆ, quæ dicitur Sponsa DEI, Sponsa Spiritûs S. specialiter autem collum Sponsæ, est mysterium laudum, & privilegiorum MARIÆ. Nam S. Hier: Ser: de Assumpt: vocat B. Virginem collum Ecclesiæ DEI: en jam primum mysterium, seu argumentum se prodit pro Imm: Ortu ipsius: nam doctissimus & antiquus Nostri Ordin: Theologus Corduba, ex hac suppositione, quòd MARIA sit Ecclesiæ collum, & consequenter, Ecclesiæ Caput CHRISTUS, gratiam contrariam originali peccato, proximè, priùs & nobiliùs, quàm omni alij Creaturæ influere ipsi debuit. Ex hoc (inquam) hujuscemodi infert conclusionem. *Ergo Virgo gloriosa hanc influentiam recepit, quæ dicitur collum corporis mystici; atq; sic non fuit concepta in peccato originali.* Satis benè pro Immaculato Ortu MARIÆ.

Hieron.

MARIA, Collū Ecclesiæ, ideò sine originali.

25. Sed majora adhuc latent sub cortice. Nil impedit, quominùs possit à simili; Conceptio, seu instans primum vitæ MARIÆ, appellari collum, respectivè ad alia instantia: nam sicut per collū à capite & cerebro descendunt venæ, & per illud spirit⁹ subtiliores cæteris membris communicantur; ita accepta à DEO vita, ex primo durationis instanti, ad alia instantia successivè communicatur. *Collum tuum sicut Monilia.* Colli porrò hujus f. Conceptionis MARIÆ Monilia, & ornamenta, non alia censeo, nisi munera gratiarum, & specialiter originalem gratiam collatam illi; quaten⁹ monilia hæc, quæ sic dicuntur (ut advertit Gisler) à muniēdo, quasi munilia, munirent ipsam cōtra originale peccatum, & simul exornarent, quasi nuptialia XENIA, gratiosissimam Sponsam, ad nuptias, quas statim in primo Conceptionis suæ instanti celebrare debuit, cum Sponso suo f. Spiritu S.; non enim decuisset illam nudam & spoliatam monilibus gratiarum, tanti Sponsi connubia inire: imò his XENIIS indubiè à Sponso suo de præsenti, quasi donis nuptialibus donata. & subharrata fuit. Utrumq; accipe ex Gersone, sup: Magnif: Alphab: 83. *Ab instanti suæ Conceptionis initiatum est Matrimonium cum æterno Sponso DEO, per arham fidei, & charitatis & cæterarum virtutum.* Imo Bern: Bust: S. 5. de Nat: p. 7. de muneribus sponsalitijs, quæ DEUS Sponsæ suæ MARIÆ dedit disserens; pretium eorum, & magnitudinem exprimere sufficienter

MARIAE Colli f. Concept: monile, gratia.

Monile, aliàs munile à muniendo.

Gerson.

MARIA Spō. a Spiritûs S. in instanti Cōceptiōs

ter non valens, dixit: *Tam ampla fuit dos ipsius benedictæ Virginis; ut soli DEO cognoscenda servetur.* Et iterùm. *Fecit quoq; illi donationem propter nuptias; quia replevit eam gratiâ, à planta pedis, usq; ad verticem capitis.* Ex quibus verbis collige, nullum membrum, seu instans vitæ MARIÆ extitisse, sine pretioso XENIO gratiæ.

Bust. MARIAE dos nuptialis, sine pretio.

26. Repetere adhuc placeat illud: *Collum tuum sicut monilia.* Origenes censet id dictum esse de collo Sponsæ, ad exprimendam flexibilitatem colli ejus; quatenus Monilia colli, seu torques flexibilia debent esse, ut in circularem formam reduci possint, & cingere collum: per quod juxta Expositores designabatur obedientia Sponsæ: ac si diceret Sponsus ad illam; non riget collum tuum per inobedientiam, renitentiam aliquam, sicut illius, de quo dixit Job: 15. 26. *Concurrit adversum eum* (s. Dominum) *erecto collo.* Hic, quis non videat? quàm concinnè flexibilitas ista colli explicet, quomodo Sponsa MARIA, in collo suo s. in instanti Conceptionis suæ, nullatenùs inobedientiæ manus dederit. Omnes sanè quotquot concipimur, duræ tum statim cervicis sumus; nam in Protoparente Nostro rebelles Creatori; meritò de nobis dicendum illud Isa: 48. 4. *Nervus ferreus, cervix tua.* Unde etiam est, quòd in collo nostro, intelligo (juxta sup: datam explicationem) instans conceptionis, aut nativitatis nostræ, vitam ingressi, non portamus pretiosum monile gratiæ; sed potiùs tanquam latrones morti destinati, funem damnationis nostræ, testimonium furti Adæ; originale videlicet peccatum. Solius MARIÆ est, in collo suo, id est, in primo instanti, quo ingreditur vitam, tali monili gratiæ exornari; in testimonium, quòd nunquam etiam in aliena voluntate fuerit rebellis DEO, sed semper ei subdita, atq; obediens. Favet plurimùm nostræ commentationi Alanus; dum pertractando hunc locum S. Scripturæ: ita scribit. *Ornamentum cervicis, quæ est obedientia, CHRISTUS est: Exornatio ergo, & monile cervicis ejus, id est obedientiæ Virginis, obedientia CHRISTI est. Sed & cervix ejus, id est, obedientia, similis facta est obedientiæ CHRISTI, quæ monile est CHRISTI. Magna ergo in hoc laus MARIÆ, magna ejus gloria: quòd imitatio ejus gloriæ, exæquatur obedien-*

Collum ut monile denotat obedientiam.

Job.

Isai.

MARIA, nunquã DEO rebellis.

Alan.

bedientiæ CHRISTI, quam imitatur ipsa. Ex cujus Doctoris verbis Pintus Ramires de Concept: B. V. Anthol: 20. ad fin. deducit ingeniosè, quòd B.V. MARIA æquè sicut CHRISTUS, in puncto Conceptionis, habuerit voluntatem suam perfectè obedientem DEO: aliàs originalem obedientiam.

27. XENIA Xenijs iterum cumulat Sponsus murenulas monilibus addens, dum dicit: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Hebr: legit. *Cum punctis.* Cui consentiunt Septuag: qui legunt: *Cum stigmatibus, & punctis. Vermiculatas argento* s. Hieron. ut exponit S. Hieron: argenti punctis variatas; adinstar illorum vermium, quorum dorsum variorum colorum puncturis variatum inspicimus. Venustum in his murenulis latere suspicor. Schēma puritatis MARIAnæ, quod habuit in Cōceptione. Argentum juxta Rich: de Somn: Nabuch: ob candorem sui, Symbolum est puritatis. Vermis deindè sit mihi ille, qui de se ipso Psal. apud Psaltem ait: Psal: 21. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo:* s. CHRISTUS JESUS; qui in Passione sua contritus, primum fructum ejus, obtulit pro Matre sua: prout in Persona ejus alloquitur illam S. Bern: Sen: in verba illa Cant: 4. *Vulnerasti Cor meum Soror &c.* id est. *Pro amore tuo carnem sumpsi, & vulneribus primis in Cruce vulnerasti Cor meum. Nam Primogenita Redemptoris sui JESV, fuit B. Virgo.*

28. Dum ergo XENIA Sponsæ MARIÆ donata, vermiculata argento dicuntur, subinnui tacitè videtur, inter omnia aurea gratiarum dona, quæ accepit à DEO Sponsa MARIA, speciale ipsius XENIUM emicuisse, summum nempè candorem & puritatem animæ, in Conceptione; quibus vermiculata seu exornata fuit ex prævisis stigmatibus, puncturis, seu singularibus meritis Passionis Filij sui. Hoc arcanum verborum Sponsi assecutus est, & prodidit sup: cit: Poëta carmine

Murenulæ argento vermiculatæ, typ. Imm: Cōcep.

Circumdans puras pretiosa catenula dextras,
Cur tamen argento, vermiculata tibi est?
Argenti color hic, specie qui candet eburnâ.
Omni Conceptam, te sine labe notat.

Ex hoc ergo tam pretioso, & investigabilis artificij Monili, in collo s. in Conceptione MARIÆ, collige & conclude, Imma-
cula-

culatæ Conceptionis ejus privilegium, meritò dici XENIUM, seu Donum ejus, sine omni defectu & imperfectione. Pro quo consensum plurium Doctorum adduco.

Probatur

Doctoralitèr.

S. Ansel: l. de excell: V. c. 4. contemplando B.V. MARIAM veluti Sponsam Spiritûs S. non vulgarē, sed specialissimā, affirmat ipsam singulari quodam XENIO, seu gratiâ præ omnibus alijs excellentiori, fuisse illi subarhatam: dum sic ait: *Ipse Spiritus S. ipse amor Omnipotentis Patris, & Filij, ipse per quem, & in quo amatur omne, quod benè amatur, ipse inquam, ut benè dicam, corporalitèr venit in eam, singulariq; gratiâ præ omnibus, quæ creata sunt, sive in Cælo, sive in terra, in qua ipse requievit & Reginam, & Imperatricem Cæli & terræ, fecit Sponsam suam.* Quæro: quænam ergo erit hæc singularis gratia, præ omnibus creatis in Cælo, & in terra quæ cessisse in XENIUM huic Sponsæ asseritur, nisi amplior quædam, quàm data fuerat, Angelis in Cælo, & Proparentibus in terra creatis: adeoq; perfectior, justitiâ illorum originali: hoc est (ut alibi dixi) sine variabilitatis defectu. 29.

Parùm ab hoc distat sententia S. Epiphan: quam lego apud Escob. l. 4. de MARIA S. 4. n. 204. in hæc verba. *Invenitur Virgo esse Cælestis Sponsa, & Mater: quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit; dotis vero gratiâ, cælum cum paradiso.* Sed quali paradiso? quærit, & solvit cit: Auth. *Non illo, qui serpenti patuit, sed longè nobiliori. Damasc: orat: 1. de dorm: Paradisum MARIÆ describens ait: Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit.* Paradisus ergo MARIÆ, Animam ejus immunem à peccato originali designat: quod ut singulare privilegium, titulo XENII antenuptialis accepisse MARIA dicitur. 30.

S. Petr: Chrysol: serm: de Annunt: 140. *Pervolat ad Sponsam festinus interpres, ut à DEI Sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum: neq; auferat à Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in utero pignorata, cùm fieret.* Quibus verbis Doctoris, Immac: Conceptionem pulchrè illustrat Salaz. cap. 42. sec: 5.

Probatur Miraculosè.

31. P. Fortunatus Huber in Monolog: Franciscano A. D. 1617. sub 10. Decemb. scribit, in Hispania, in Provincia S. Gabrielis floruisse P. Franciscum de S. Jacobo, qui in sæculo solemnibus nuptiis, & Sponsa Virgine, quam nec intuitus est, relictis, generosâ resolutione Ordinem S. P. Francisci Reformatorum ingressus & professus est: ubi concessas sibi donationes in spirituosis extasibus, Cælestibus revelationibus, prophetico Spiritu, miraculorum gratiâ, & centenis aliis splendoribus insignitus adauxit. Ipso promovente invaluit mos salutandi Hispanis, consuetus: *Laudetur Immac: Conceptio MARIÆ.* Cujus Mysterium cùm totis visceribus satageret confitendum, etiam ab ipsa gloriosissima Mundi Domina speciali dignatione & Xeniis fuit honoratus. Nam cùm in Guandalupensi Conventu coram Mariana statua preces funderet, vocem ex imagine audivit: *Francisce utere tempore, & meæ Immac: Conceptionis mysterium promove.* Nec satis fuit; sed insuper in gratiosa quadam apparitione, Deipara annulum posuit ad cordialem ejus digitum, imposuitq; collo, ipsius metallinum nummum, in quo fuit expressa Imago Immac: Conceptionis, s. Virgo infernalem draconem pede conculcans. Porrò Jordans in Postill: MARIÆ ait. *Virgo gloriosa, ex quo in sua Conceptione singularitèr à Deo honorata est, ideò ejusdem Conceptionis suæ devotos cultores honorat.* Hinc quando istum singularem Conceptionis suæ Cultorem, honorare voluit, non alitèr præstitit, nisi Xenio cum Icone Immacul: Conceptionis; ut per hoc ipsum comprobaret, immaculatæ Conceptionis suæ privilegium, singulare, & gratiosissimum sibi fuisse Xenium.

Hispanorum mos salutandi: Laudetur, Immac: Concept.

MARIA devotum cultorem Immac: Concep: donat annulo & medallio.

Iord.

Probatur Scholasticè.

32. *THEOL:* Nonnullorum insignium Authorum, (inter quos est Bern: de Bust: Marial. P. 1. S. 1. & s. 9.) reperitur non malè fundata opinio, cujus etiam meminit Scotus 3. D. 3. quòd semen, ex quo concipienda erat B. Virgo, fuit specialiter à Deo, adhuc in lumbis Adæ, virtualiter conservatum ab omni infectione,

Semē, ex quo cōcepta MARIA, in lūbis Adæ, ab infectione cōservatū, opinātur aliqui.

ctione, & per omnes generationes, usq; ad illam, sine aliqua labe transmissum; ex quo immaculato semine, ipsa concepta fuit: ut sic deindè ex mundissima carne MARIÆ seu semine, quàm mundissimè incarnaretur Filius DEI. Et quidem hoc non implicat, ceditq; in majorem honorem VERBI incarnati, & Matris ejus: insuper videtur habere aliquod fundamentum in Scriptura: cum dicitur Psal: 88. 5. *Iuravi David servo meo, usq; in æternum præparabo semen tuum, & ædificabo in generationem & generationem Sedem tuam.* Sedes autem hæc, est Mater CHRISTI. De qua iterum: *Sedes tua DEUS in sæculum sæculi.* Huic opinioni clarissime favet illa Revel: S. Birgittæ facta: quam vide sup: n. 21. Et illa verba S. Damiani. s. de assumpt. *Caro Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.* Ex hac pia opinione, tale ad propositum elicio argumentum. Filius DEI incarnandus, ut tantò decentius incarnaretur, donatus fuit à Patre veluti XENIO, Matre quoad carnem sine omni defectu; nam ex semine ab infectione in lumbis Adæ, & posterorum ejus, tam miraculosè conservato. Ergo à fortiori, ex eadem ratione donari debuit Matre, quoad animam sine omni defectu s sine labe. Antecedens est ex supposito non implicante, & non leviter probato. *Consequentia patet.* Cùm majoris dedecoris esset DEO nasci ex Matre maculata in anima, quàm maculata in corpore: DEUS enim infinitè odit peccati maculam, non item corporis.

Psal.

Birg.

Damian.

MARIÆ caro non fuit infecta in Ade, quantò magis anima.

33. *ETHIC.* Politioris Ethicæ, imò Gentium jura sunt, vel saltim receptissima est consuetudo, legationis munere fungentes, XENIIS Principum cohonorari; torques plerumq; aurei, numismatibus, seu Iconibus eorundem Principum insigniti, talibus donantur. Jam supra in initio discursûs innui, VERBUM æternum trabeâ carnis indutum, dici Legatum Magnum, seu Advocatum generis humani; sociamq; Legationis hujus principalem, appellavi B. V. MARIAM: Alibi quoq;, id est *Tit: Imago n. 15. & sequ.* genuinam ipsius SS. TRINITATIS Imaginem, in Concepta MARIA ostendi. Jure ergò quasi Gentium, debebatur tale XENIUM CHRISTO, Mater videlicet immaculatè Concepta; ipsi autem MARIÆ, sine omni defectu seu peccato concipi.

Legati donantur XENIIS Principum.

MARIÆ jus, ut cōci- [illegible]

cipi. Huic valdè favet illud, quod scripsit Pintus Ramires de Concept: Anthol. 2. §. 2. *CHRISTVM sibi hoc beneficio devinxit DEVS, dum MARIAM aliàs non futuram, solùm in ejus ministerium destinat efficaciter, & plenâ Divinæ artis industriâ producit.*

34. *SYMB:* Si ad propositum desideras Emblema; Depinge Cervum, collum redimitum aureo torque, pendulaq; aureâ tabellâ: cui Lemma inscriptum: *Hoc me Cæsar donavit.* vel *Cæsaris sum: noli me tangere.* qualem cervum, post multos annos accepti à quodam Imperatore XENII, ab alio item Imperatore, venatione captum fuisse narrant Historici. Cervus hic, conformiter ad sensum S. Basil. Ambr: Greg: Aug: denotabit aut CHRIstum D. juxta illud Cant: 2. 9. *Similis est dilectus meus, capræ, hinnuloq; cervorum.* Aut ipsam B. V. MARIAM: de qua illud Prov: 5. 19. *Cerva charissima, & gratissimus hinnulus.* interpretantur Gisler, & Escobar. Monile verò aureum collo animalis appensum, significabit vel Matrem, cum originalis puritatis, privilegio, donatam CHRISTO à Patre æterno; vel respectivè ad MARIAM, signabit immunitatem à peccato originali, quâ insignita fuit hæc Cerva DEO charissima: Lemma vero illud inscriptum: *Cæsaris sum: noli me tangere,* pulchrè exprimet: quomodo & cur Sathan non tetigit MARIAM, in ejus Conceptione.

Cervus captus cum monili aureo.

Cant.

Prov.

CHRISTVS, cervus MARIA cerva. Monile: Noli me tangere Symbolū imma. Conc.

35. *POES:* Divinæ Triados pretiosum Virgo Monile,
Purior ex gemmis omnibus una fuit.
Hanc sibi delegit, rerum ter maximus Author,
Ut fieret gazæ, maxima gemma suæ.
A maculæ sejuncta malo, Divinaq; Gemma,
Ter Magni Mater, Ter quoq; pura DEI.

Ioseph. Biezanz in Anag. 113. Agmen.

36. *PROG:* *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.*
ANAG: Divina Gemma ter pura, sejuncta à malo.
Cum pignore sum læctè nata, Diva MARIA.
Tu actu pura, magna MARIA, Monile DEI es.
Amet MARIAM; una aurea, pignus Dilecto.

37. *Probatur* Historicè.

Notissimum est ex veterum Græcorum Historiis, illud Paridis XENIUM, uni ex tribus Deabus, quæ cæteris pulchritudine excelle-

cellę:

cellebat, oblatum: pomum illud aureum erat, è cælo, ut fabulabantur, à Jove demissum: cum inscriptione: *Pulchriori debetur.* Quod deinde XENIUM fuit origo cruentissimi, & diuturni belli inter Græciam & Italiam; quod Trojæ, & Græciæ exitium causavit. Et quis planè ignorat illud Greg: Nicom: Orat: de Virg: obl: elogium MARIÆ? *O pulcherrima pulchritudo, omnium pulchritudinum. O DEI Genitrix, pulchrorum omnium summum ornamentum.* Præterea memini me, *Tit: Facies. n. 31.* idem Paridis Pomum assumpsisse pro Symbolo Privilegij originalis justitiæ, quod hodie cerno in XENIUM donari MARIÆ Immac: Conceptæ: præter ergo ibi dicta, vel etiam ideò quadrare videtur XENIALE illud Pomum, cum XENIO seu Privilegio Imm: Conceptionis MARIÆ: nam pro isto quoque bella hactenùs geruntur; dum diversæ, seu contrariæ opiniones velitaribus concertant inter se argumentis: ad eum modum, sicut olim (ut notat Bern: Bust: P. I. S. 3. Marial:) temporibus S. Hieron: & August: certatum fuit de Assumptione B.V. MARIÆ in Cælum simul cum corpore & anima; antequam unum illorum determinasset Ecclesia.

Pomum Paridis, bellorum erigo.

Greg.

XENIUM seu privilegium Imm: Concept: origo Sacri belli.

38. Verùm bella hæc, & rixæ, bella sunt salutis, pijq; zeli rixæ, damnabiles minimè, quamdiu non typho superbiæ contumacis, sed indagandæ veritatis studio, exercentur cum debita cautela, idq; ob quasdam Sum: Pontificum Bullas oppositam stringentes sententiam. Per hoc quippe cujusq; pietatem, & zelum in Matrem suam, voluit DEUS ad certum tempus exerceri. Ait enim B. Virgo ad S. Birgittam in revel: cit. *Scito, quòd mea Conceptio non omnibus fuit nota: quia placuit DEO, quòd amici mei piè dubitarent de Conceptione mea, ut quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarescceret, in tempore ordinato.* O tempus! ô instans illud desideratissimum in Ecclesia! ô quàm expetibilia hæcce fædera pacis, agentibus partes MARIÆ? utinam ocius abbrevientur preordinatæ istæ hebdomades sacræ!

Birgitt.

De Conceptione Imm: cur quosdam dubitare permittit DEUS.

EPILOGUS.

39. Licuit semper aurum auro addere, & generosi est XENIA XENIIS accumulare: quâ libertate usus est ille Magnus Poloniæ Legatus

 gatus

Poloni Legati apud Cæsarem, dictum: Aurũ auro addo. gatus, de Domo Skarbek, annulo pretioso, thesauris, quos præsentabat ad pompam Imperator, injecto: inquiens: *Aurum, auro addo.* Spectare jam licuit pretiosum, exquisitum, nam sine omni defectu XENIUM, partim Magno Legato CHRISTO ab æterno Patre præparatum, Matrem s. sine labe; partim ipsimet MARIÆ collatum, s. Privilegium Imm: Conceptionis: aurum ergo addamus auro, & XENIA XENIIS. Porrò, quid tam digni, quid tam pretiosi de penu suo proferre poterit paupertas, & nuditas nostra? si (ut supra vidimus) etiam XENIA nostra, ea s. quæ supererogatoriè DEO offerimus, scatent plerumq; defectibus & vilescunt.

40\. S.P.N. Franciscus tria aurea medallia offert CHRISTO. Occurrit menti illud, quòd quadam vice S. P. N. Francisco apparens Salvator, voluerit ab eodem habere aliqua XENIA: & quia Franciscus extremè pauper erat, postulat jubetq; Salvator, ut manu in sinum suum missâ, proferret ex illo tria quædam aurea medallia, mirabilitèr illic inventa: quibus designabantur tria vota religiosa: eaq; à Francisco gratiosè acceptavit, veluti pretiosum XENIUM. Novi ego quosdam liberaliores, & ferventiores in cultu B. Virginis, suis votis Religiosis addere quartum; obligando se ad tuendum usq; ad sanguinem Immac: Conceptionem ejus. O Regina Cæli immaculatè Concepta MARIA! de paupere, & exili animæ meæ penu, vel hoc saltim XENIOLUM depromo: pium videlicet votum tuendi sic immaculatè Conceptionis tuæ honorem; ne despice Domina mancipij tui oblationem. Tu quoq; (bone Lector) fave, si pij & tenerioris cordis es in MARIAM, XENIO meo tuum accumula, & simile concipe precor, & nuncupa votum. Atq; præeunte tibi antiquissimo & gravissimo Authore Petro Cellensi ep: 183. junge Stylum, affectum, & vocem, dicens: *Credo, dico, assero, & iuro, Beatissimam Virginem MARIAM nostram, in æterna prædestinatione singulari Privilegio munitam, nec in sua Conceptione in aliquo violatam: sed semper mansisse & permansisse illibatam.* Quod devotè litando MARIÆ, tandem toto animi præcordiorumq; conatu, exclama mecum.

Votum Authoris. (margin note)

Io! vivat Immaculata SS. DEIparæ Conceptio.

ZA-



ZABULON, sine Tributo, SS. Virgo MARIA, sine labe Concepta.

Beatus Venter, qui te portavit. Luc: 11.
Primo tempore, alleviata est terra Zabulon. Isai: 9.

CUjusdam, quia innominatæ, sanctæ tamen Mulieris, prolata elatæ vocis, de CHRISTO & Matre ejus, laudum speciosa præconia, nedum audientium aures, sed mentes quoq; novis pulsavêre quæstionibus. NN. Si enim fæmina illa, CHRISTUM, DEI Filium esse credidit, ut pluribus placet Doctoribus, cur non opera manuum Domini, tot miracula tunc jam excitantium, dæmones abigentium, commendavit? dicens illud Dan: 3. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Cur non Angelos ac homines illi obsequentes laudavit? cùm bene exclamare potuisset: *Beati Viri, & beati servi tui.* 3. Reg: 10. *Beati omnes qui diligunt te.* Tob: 13. *Beata gens cujus est Dominus.* Sola nè & prima MARIA, ex Utero digna laude? cujus curavit pia hæc fæmina, CHRISTI Filij ejus magnalia recensens, gloriam sublimare? I.

Mulier illa, cur ab Vtero Matris, laudum Christi sumit?

Ita sanè: Sicut enim fructûs boni, nulla potior commendatio est, quàm gleba illa, de qua nascitur; & cuiq; sua Patria, Regio, & Terra Nativitatis suæ, ampla materia, fons, caputq; lau- 2.

Terra seu Patria, initium laudum.

laudum, ut plurimum fieri solet; ita similiter exordium encomiorum CHRISTI, non aliundè convenientiùs desumitur, quàm à præconio Matris ejus Sanctissimæ, Uteroq; ipsius ter-benedicto. *Beatus Venter, qui te portavit.* Luc: 11. 27. *Ipsa enim est Terra*, ut ait Rich: Laur: l. 8 laud: *Quæ dedit fructum suum, benedicta benedictum; sicut terra maledicta in opere Adam, fructus dedit maledictos.* Hæc ergo Terra, Terra est Nativitatis CHRISTI. *De qua natus est JESUS.* Hinc dùm CHRISTUM ab Utero Matris laudat mulier, non ineruditè à Patria quasi, Panegyrim orditur ipsius.

Luc: Richard:

MARIA terra Nativitatis CHRISTI.

3\. Sed quæso humillimè, infinities benedicte Fili MARIÆ; cui assimilabo terræ, cui exæquabo Terram Nativitatis tuæ, Matrem s. tuam dulcissimam? universas enim si circumspicio Terras, Regiones, & Provincias, terras captivitatis aut sub tributo constitutas esse cognosco. Si enim juxta Prophetam Thren: 1. 1. *Princeps Provinciarum facta est sub tributo*, quomodo cæteræ omnes non vectigales? grande autem mihi piaculum esset, asserere Unigenitum DEI, etiam typicè, ex patria tributarium fuisse, & notam inde aliquam contraxisse servitutis. Hæc nihilominùs serió cogitanti, ex quibusdam Prophetæ verbis, spes quædam affulsit, saltim in illa promissionis terra, quam ad mandatum Domini inter duodecim Tribus filiorum Israel, in funiculo hæreditatis diviserat præclarus Dux Josue, tam felicem inveniendi Regionem, quæ nulli tributaria, congruam terræ MARIÆ, (de qua, & in qua natus est JESUS) præseferret Figuram.

Thren.

CHRISTUM non decuit nasci in terra servitutis.

4\. Porrò dum Isaias Propheta in spiritu raptus, tempora & alias circumstantias futuri Messiæ, tanquam præsentia lustraret, unius nonnisi Terræ non servilis nec tributariæ bene meminit: dum ita ait: Isa: 9. 1. *Primo tempore alleviata est Terra Zabulon.* hoc est à tributis libera facta: pauló enim inferiùs, quasi congratulando eidem terræ subdidit: *Sceptrum Exactoris ejus superasti.* Præclara satis ad propositum Nostrum Figura: nam juxta Petr: Comestorem & Nostros Carthagenam, Bern: de Bust: Escobar, infra citandos, Terra illa ZABULON, Typus fuit B. V. MARIÆ Imm: Conceptæ. Et cur? plura sunt; unum tamen præ-

Isai.

Comest. Carthag. Bernard: Escob.

Zabuló, typus MARIÆ.

præcipuum hodie dicam: videlicet; quia sicut Terra illa ZABULON alleviata, id est, sine tributo fuit; ita pariter, cùm nos omnes rei Adamicæ noxæ, durum originalis culpæ, dum concipimur & nascimur, solvimus vectigal; sola hæc benedicta Terra ZABULON, Mater JESU MARIA, jure & privilegio speciali alleviata s. exempta fuit, à tali tributo peccati. Præmittam tamen brevem discursum Moralem. Quàm grave sit tributum peccati? Nunc compendioso rythmo saluto Neo-Conceptam. Propositio.

O Terra DEO perpluta! Non sciens noxæ tributa;
Quæ pendit nostra Babylon; Aveto nova ZABULON!

PARS I.

Quàm grave sit tributum peccati.

5.

NOn tam inquirentis, quàm stupescentis super quadam tributaria, olim autem inclyta Regione vel Civitate, lamentabilem Prophetæ subaudio vocem: *Quomodo* (inquit) *Princeps Provinciarum facta est sub tributo.* Thren: 1. 1. Quoad literam, voluit Propheta, hac lugubri Næniâ parentare pereunti Jerusalem cum terra Israel, & jam sub tributis Gentium gravissimis, qualia (ut notavit ex Hebræo Corn: à lap:) manciplorum erant, constitutæ; unde quasi Epitaphium in ruinis Civitatis & Regionis illius insculpendum, posteris reliquit verba illa: Tropologicè autem, ut advertit Origenes, luxit Propheta captivitatem animæ sub peccato; quæ vectigalis facta diabolo, in singulos sæpè dies, imò in horas, novorum malorum operum & lapsuum, novæq; culpæ, ac pænæ, ei pendit tributum. Præcipuum tamen hic exhiberi arbitror Schemma ruinæ Protoparentis nostri per peccatum: ille etenim, cum Princeps & Caput esset omnium hominum, cum omni libertate, & dominio sui creatus, per consensum in peccatum, in quo & nos omnes consensimus, crudelissimi Tyranni Sathanæ, subjecit se servituti; atq; sic totum simul, genus suum per originale peccatum, quod ad nos devolvitur, tributarium illi reddidit: quod ipsum tributum deinde in nobis, cum fænore quasi crescit, dum ex

Thren. — Origen. — Adam per peccatū, posteros fecit Sathanæ tributarios.

originali fomite, tot personalia peccata inter homines multiplicantur. O duram sub tam crudeli Tyranno, quam incurrimus servitutem! ô crudele & molestissimum peccati tributum, quod miseri peccatores solvimus incessanter! Quis gravitatem tributi hujus debitè pensabit? Pensabo ego eam interim ex duobus.

Probatur Scripturaliter.

6. Prima, ad ponderandam gravitatem tributi peccati, sit, circumstantia, ex commensuratione ad pretium, quo nonnisi persoluto, peccator liberatur à tali servitute, & obligatione hujusmodi tributi: hoc enim, quia magnum, imò inæstimabile esse debuit, evidenter arguit, gravissimam quoq; esse illam servilem peccati obligationem. Quod nam verò illud & quanti ponderis pretium fuerit? perdiscamus à D. Paulo. Hic Corinthijs, gravitatem servitutis, quam homo per peccatum incurrit, explicare satagens, talibus verbis ipsis scribit 1. Cor: 6. 20. *An nescitis quoniam membra vestra, Templum Spiritûs S. qui in vobis est, quem habetis à DEO, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno.* Et quia innominatè adhuc de hoc pretio insinuavit Apostolus, exprimunt illud Patres, quando hunc textum explicant: sufficiat interim Doctor Angelicus; qui in præfata verba Pauli scribens, ait: *Dicitur autem pretium magnum; quia non est corruptibile, sed æternam habens virtutem; cum sit Sangvis ipsius DEI æterni.* Novarin: super eadem verba Pauli similiter scripsit. *Non potuit non esse magnum pretium, cùm magnus ille fuerit, qui emit, fecit se pretium nostrum, qui nos fecit.* Hoc advertit & Innoc: III. pertractando illa verba Prophetæ: *Parvulus datus est nobis, & filius natus est nobis.* Isa: 9. 6. Sic enim fatur, in sermone quodam pro Natali Domini: *Nobis datus est à DEO, ut DEO redderetur à nobis pro debito.*

Peccati tributum, pensatur ex pretio redemptionis.

Cornel.

Pretium redemptionis, quam magnum?

Thom.

Novar.

Isai.

7. Quòd autem tam S. Scriptura quàm Patres, omninò eximiè ponderent & exagerent magnitudinem pretij pro peccato persoluti; inter alia illorum motiva, hæc quoq; duo reperiuntur. Unum, ut per hoc faciliùs concipiamus dignitatem quasi immensam empti seu redempti: f. hominis à peccato justificati.

De-

De quo sic Euseb. Emiss: hom. 3. de Symb. *In trutina Crucis, non aurum vel argentum, non aliquid Angelicum, sed semetipsum passus est Author Salutis appendi, ut homini, qui à statu degeneraverat, naturæ suæ dignitatem, vel ipsa ostenderet pretij magnitudo.* Unde est, quod Gloss: Inter: illa verba Pauli glossando. *Empti enim estis pretio magno:* vult semper meminisse, nos non esse suos, sed DEI & CHRISTI ejus: inquiens: *Non estis vestri, id est, vestræ potestatis, sed DEI, qui vos emit à diabolo.* Subscribit Glossæ S. Chrysost: dum eadem verba Pauli pro præsentaneo contra tentationes amuleto recómendando, inquit sic: hom: 18. *Pulsatur corpus delectatione? vult anima consentire? debet rationalitas ad se redire & dicere: Quid cogitas? quid æstuaris? quo vis ire? Non es tuæ potestatis, sed CHRISTI servus es, qui te redemit pretioso Sanguine suo à diaboli captivitate: & quid iterum captivari vis à diabolo, & ejus potestati subijci?*

Emiss.

Ex redemptionis pretio, collige dignitatem empti.

Gloss.

Chrys.

Amuletum contra tentationes.

8.

Alterum motivum, quod & proposito Nostro directè servit, cur Scriptura & Patres plurimum laborent in explicando pretio redemptionis nostræ; ut scilicet gravitatem debiti seu peccati, tantò luculentiùs cuiq; demonstrent. S. Laur: Justin: c. 3. ait: *Ex pretio erogato pro te, Redemptoris tui agnosce munus, tuaq; prævaricationis pondus.* Thom: à Vill: Nov: Hom: 2. de Adv: *Qualis est culpa, quæ DEI morte vindicatur.* Hinc est, quod omnes Theologi doceant, peccatum includere in se quandam infinitam malitiam in ratione offensæ; licetsi id diversimode intelligant; aliqui tantummodo extrinsecè, f. connotativè ad Personam offensam, quæ est DEUS: pro quorum sententia, ego olim in Schola steteram; alij, præsertim ex Schola D. Thomæ, etiam intrinsecè & entitativè, infinitam quantam malitiam peccato adscribunt: & hi posteriores, ut consequenter loquantur, ex hac infinita malitia peccati concludunt, omninò nec de potentia DEI aliter potuisse redimi hominem à peccato, nisi per Incarnationem & Passionem DEI, seu alicujus Personæ SS. TRINITATIS: ita ut nulla Creatura pura, quantumcunq; per gratiam elevata, potuerit pro offensa illa satisfacere DEO ad æqualitatem: ad hoc enim (ut ipsi putant) requiritur æqualitas inter Personam offensam, & Personam offendentem; id autem repugnat haberi in pura Creatura. Quid-

Iustin.

Villan.

Peccatum habet malitiam infinitam: & ideò infinito pretio redimendum fuit.

9. Quidquid interea sit de hac opinione; quam tamen & ipse non nego, si secundùm fundamenta Scholæ meæ, suppositionibus aliquibus modificetur; satis nunc est ad propositum meum; quòd ex comparatione pretij pro peccato persoluti ad ipsum peccatum, & reciprocè peccati ad illud, atq; simul ex dispensabili necessitate illiusmet & tanti pretij, tantò exidentiùs prodit se gravitas, imò aliquod infinitum onus tributi seu debiti peccati. Quod benè advertit Did: Stell: in c. 18. Luc: dum citata Pauli verba premendo, ita ait. *Hinc colligitur, quanta sit peccati malitia, siquidem ad eam perrogandam oportuit DEUM ipsum in carnem mortalem descendere, passibilemq; fieri. O verè grande malum peccatum est, pro quo talis ultio fit! ò durum peccati tributum, cujus chirographum tam grandi pretio redimi debuit! s. sanguine & morte Filij DEI. De quo meminit Paulus Coloss: 2 4. Delens, quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium; & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.*

Pura creatura, quo sensu non potuit satisfacere DEO, pro peccato.

Did: Stell.

Coloss.

Probatur Figuraliter.

10. Secundò aggravari contingit tributum ex parte duri, inhumani, indiscreti & avari Exactoris. Exactorem tributi peccati, non alium convenientiùs arbitror appellari posse, quàm dæmonem: juxta illud supra ex Propheta citatum. *Sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Madian enim ex sensu S. Aug: & Origenis designat dæmonem. Quàm durùm, quàm insatiabile sit sceptrum dominationis Exactoris istius, in exigendis ab homine tributis peccati, quod præsertim exercet in illos, qui se illi per admissum peccatum in servitutem adscripsêre; id posse pandi pulchram per Figuram, advertit meus S. Antonius Padv: Dom: 6. Epiph: videlicet in illis Exactoribus Ægypti, constitutis à Pharaone super populum DEI, de quibus Exod: 5. 14. *Flagellatiq; sunt, qui praerant operibus filiorum Israel, ab Exactoribus Pharaonis.* Duri satis isti Exactores fuêre; populum enim DEI, per Reges Ægypti in servitutem redactum, nedum intolerabilibus emungendo tributis, ad extremam redegerant inopiam, sed præterea populus, cùm jam ære non sufficeret, corpore solvere cogebatur; ex operibus luti magnas

Tributi peccati, gravis Exactor, dæmon.

August.

Origen.

Ant. Pad.

Exod.

quotidie implendo mensuras: cui nec palea dabatur.

Citatus S. Anton: per populum captivum, intelligit peccatores; per Regem Ægypti, Luciperum Principem tenebrarum; per Exactores ejus, alios dæmones; remq; enarratam ad propositum applicando, sic ait: *Præposuit Filijs Israel Magistros, ut affligerent eos oneribus. Sic diabolus, Christianis nomine tenus, præposuit Magistros operum, id est dæmones, cuilibet vitio deputatos, qui affligunt eos oneribus peccatorum: unde ipsi dicunt gementes, illud Thren: Cervicibus nostris minabantur, & lassis non dabatur requies.* Sed ut crudelem hujus Exactoris geniũ meliùs cognoscas, ulteriora pensiculatiùs perpende verba, atq; simul duram hujus intrusi Tyranni captivitatem, compara cum suavissimo servitutis DEI jugo. 11. *Anton.* Dæmones, à Lucipere exactores deputati cuiq; vitio.

Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut priùs, mandatum fuit Pharaonis, commissum Exactoribus. Grave est, (communiter dicitur) proprijs militare stipendijs, quantò magis proprijs crudeli Tyranno servire impensis. Servitur DEO, penditurq; illi sacrosanctum impletionis mandatorum ipsius tributum, sed non tam de proprio nostro, quàm de ipsius DEI penu; qui non paleâ, sed selecto gratiarum atq; auxiliorum suorum grano, providet tribuenti ut tribuat: *Nam omnis sufficientia nostra ex DEO est.* Insuper & illud ipsum quòd à nobis DEO tribuitur, in se spectatum, quasi palea, quia exiguum satis est. Unde dicitur: Psal: 55. 8. *Pro nihilo salvos facies illos.* Tyrannicus verò Exactor ille Sathanas, etsi interdum nonnullis paleas, nempe divitias, prosperitatesq; mundanas non negat; quid dico non negat? non enim miser, horum est Dominus vel Administer; satis est, quod illis non rapiat; multis tamen, dum per peccata ipsi serviunt, & istæ deficiunt paleæ; siquidem plerumq; liberiùs indulgentes peccatis, videmus quomodò divitias, famam, vires corporis consumunt: cujus clarum exemplum in illo filio prodigo, qui cum meretricibus dissipaverat substantiam suam. Luc: 15. 30. Paleam tales ab Exactore & Tyranno suo Sathana non accipiunt, imò suam perdunt; tributum tamen ei pretiosissimum largiuntur, animam videlicet suam, & jus ad vitam æternam, (quæ duo per peccatum amittunt) impendendo. 12. Tributum pẽdere DEO, suave est & facilè: non item Sathanæ. *Psal:* Dæmon, peccatoribus, etiam paleam negat, imò rapit. *Luc.*

13. Aggravari iterum tributum illud Pharaonis contigit: dictum enim populo. *Complete opus vestrum quotidie*. Molestissimum solet esse subditis quotidianum tributum; talibus enim vectigale esse videtur, etiam quòd respirent & vivant: quantò magis si non in dies, nec in horas, sed in momenta quoq; Exactor nova & nova sine respirio imponat, & instantaneè exigat urgenter tributa. Et talem exactorem violentum noveris esse dæmonem: nulla ei sunt satis obsequia; & cùm totas in famulatum ejus vires exprompseris, nec minimam partem cultûs, qui sibi debebatur attigisse putabit, omnem dignitate suâ inferiorem observantiam existimabit. Jam aliquando etiam filiorum, filiarumq; sanguinem ab hominibus extorsit in tributum, Psal: 105. 35. *Immolaverunt filios & filias suas dæmoniis & effuderunt sanguinem innocentem. Sanguinem filiorum & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Nec tamen hucusq; Exactoris hujus quievit abyssalis penè avaritia & fames perdendarum animarum.

Tributa continua, molestissima.

Dæmon insatiabilis exactor.

Psal.

14. O quàm infinitè infinities dispar genius Tyranni hujus, à munificentia & pietate amabilissimi & hæreditarii Regis nostri, Domini DEI! Unius ille filij ab Abraham immmolandi expostulaverat sanguinem, & adhuc solâ promptâ voluntate Abrahæ contentus fuit; ille verò nec tot filiorum filiarumq; sanguine exsaturari potest: Isti, uno scypho aquæ frigidæ in nomine ipsius collato, satisfit. Matt: 10. 42. *Quicunq; potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Ille verò Helvo animarum, ut dicit Job 40. 18. *Absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd Jordanis influat in os ejus:* id est, nullâ enormitate, nullâ multitudine peccatorum, ad quæ inducit hominem, quem semel per peccatum captivum cæpit contentus, semper ad enormiora flagitia perpetranda inducit, incitat, expostulat, & vix non cogit, ut committantur: De quo S. Hier: in Jer: c. 16. *Quidquid peccamus, quidquid die ac nocte facimus, & malorum operum perpetramus, imperium est dæmonum; qui nunquam nobis dant requiem, sed semper impellunt delictis augere delicta, & cumulum facere peccatorum.* Sed concludat

DEUS Exactor discretissimus.

Matt.

Iob.

Hieron.

Dæmon de die & nocte auget in peccatore malû.

dat ille, qui nobis ad initium insinuavit & aperuit Figuram, nempe S. Antonius: hic loco cit: dictis jam supra, subjungit talia: *Babylonij, id est dæmones, hominem quem captivum ducunt, cervici ejus gravia onera imponunt, & tanquam bovem vel asinum alligato ad collum fune minando trahunt, & lasso nunquam requiem dant, dum de peccato in peccatum pertrahunt.* Rem ex Historia illustro. Anton.

Probatur

Historicè.

15. Legisse me memini, quòd alicubi Regionum, Princeps an Magistratus, exstructo non sine magnis sumptibus ponte, super fluvium grandiorem, constituerit pædagium a transeuntibus per solvendum; non tamen indiscriminatim, sed ab illis nonnisi, qui aliquo defectu corporis laborassent, v. g. à claudis, mancis, cæcis, calvis, herniosis, &c. factum est, ut transeunte quodam claudo, qui simul calvus, & fortè monoculus erat, quos tamen defectus duos, ne multum pretij penderet, partim pileo, partim capillis occultare conabatur; sed dum & claudiratis pædagium expostulanti Exactori solvere, vi etiam reniteretur, in lite & rixis decidente ex capite pileo, deprehensus pluribus laborare defectibus, multiplex, quia singulare à quolibet, pædagium contribuere Exactori debuit.

Pons tributarius, pro claudis, cæcis, &c.

16. Juxta Gloss: Ord: in 2. Machab: 12. 13. Pons significat prohibitionem transitûs ad vitia: id est, observantiam mandatorum DEI: hunc si claudicans in utramq; partem, i. servire volens simul & DEO & Baal, nempe Sathanæ, transis, hoc est mandata DEI violans transgrederis, illicò Exactoris Sathanæ incurris manus, ejusq; mancipium per peccatum factus, in omnibus tuis nedum membris corporis, sed etiam in potentijs animæ, utpotè læsis per primum peccatum, multiplex pædagium solvis; dum in ipsis sine ulla requie servire Sathanæ, & ulterioribus peccatis, necessitate quadam compelleris. Laborat enim læsus tuus intellectus, cæcitate ad æterna, ad spiritualia; similiter & voluntas tua in eligendis ipsis aberrat; non minus & memoria; dum nihil repræsentat, nisi ea, quæ carnis sunt, & illicia ad peccatum. Laborant oculi, fallacis formæ facti prædo-

Peccator claudicat.

Vid: latius Tit: Homo n. 10. 11. 12.

Peccator servit Sathanæ omnibus potentijs & membris.

dones; laborant aures, canales facti obscænorum verborum: laborat lingua, facta fistula dæmonis: laborant manus torpidæ ad bonum, explicatæ ad malum, rapinæ, ultionis &c: laborant pedes veloces & alati ad flagitia, plumbei ad opera pietatis. Ecce jam tibi (pie Lector) patent duæ circumstantiæ, aggravati super peccatores tributi peccati: plures præterea aliæ reperiuntur, sed de ipsis nunc agere non vacat. Vide hic ô peccator, ô miser tributarie, imo mancipium tam crudelis Tyranni & immitis Exactoris Sathanæ, deplorandam servitutem tuam, cui libere vinctas dedisti manus: Cur non excutis tam miseræ servitutis jugum, cùm bene possis; cur tardas? cur hæres? expansis ulnis, & patulo sinu expectat te, modo pæniteas, amantissimus tuæ salutis, ac legitimus, & ex asse Hæres ac Dominus tuus, Creator DEUS: accurre sine mora pænitens; redde DEO tributum dilectionis, & servitute Sathanæ emancipatus, in libertatem filiorum DEI, quæ est in CHRISTO JESU, adsciscêre.

Peccatoris cohortatio.

P A R S. II

SS. MARIA, sine tributo originali.

17. SOlimeus ille Rex, simulq; Vates, dum miris præsagisq; futurorum frueretur in spiritu visionibus, inter plura alia, vidisse se annuntiat quosdam tres Principes, cæteris omnibus excellentiores; nam cunctos in jubilo prævenientes, & chorum psallentium atq; gratias canentium ducentes; inter quos præcipuus cernebantur Principes terræ Zabulon. De quo sic ait: Ps. 67. 29. *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum*, horum nomina infra exprimendo, iterum ait: *Principes Juda, Principes Zabulon, Principes Nephtali*. Porrò nil implicat, quin isti tres Principes, in sensu mystico, denotare possint tres status rationalis Creaturæ, quam DEUS cum gratia sua quasi prævenit, creando eam in illa: in quo ipso præveniunt nos, qui creamur sine gratia; hinc meritò, inde quoq; prævenientes appellari possunt.

Psal.

Tres status rationalis Creaturæ in typo.

18. Sensum meum non modicè juvare potest commentarium D. Bernardi in hunc locum (ap: Blanc: hic) qui per dictos tres

Prin-

Principes, significari vult tres status s. confitentium, continentium, & contemplativorum. Hinc ego suffultus istâ doctrinâ Melliflui, Principem Juda, qui est (juxta eundem) status confitentium, appellabo Protoparentes nostros; confessi enim sunt & non negaverunt coram DEO peccatum suum: *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi, & comedi.* dixit Adam. Et Eva deceptam se esse, fassa est. *Serpens decepit me.* Gen: 3. 13. Principes autem Nephtali, sunt typus contēplativorum s. Angelorum DEUM limpidiùs cognoscentium: conjunguntur isti Principes psallentibus; utraq; enim condita tùm natura, obligabatur laudare DEUM, gratias agendo, quòd præventa fuerit ab illo, creante ipsam in gratia. Sed nihilominùs (ut communiter dicitur) in medio virtus, Princeps terræ ZABULON, terræ, continentium, nempe SS. V. MARIA, nedum in medio psallentium, sed præterea in medio illorum Principum, naturam s. Angelicam & humanam primò conditam, chorum ducit, deprædicans in laudibus, specialis præventionis suæ à DEO, dum primò crearetur, privilegium. *ZABULON* (inquit Bern:) *continentium.* Non erat profectò de terra ZABULON, seu de numero continentium, tam Adam, quàm Eva; quia postea non continuerunt se à vetito pomo: neq; etiam Angelus; quia saltim, utpote æquè peccabilis creatus, potuit se non continere à peccato: ut in multis illorum brevi contigit. Sola ZABULON B. V. MARIA, continentium de terra, quia impeccabilitatis privilegio, statim in instanti Conceptionis suæ, à DEO præventa, jubilat & exaltat DEUM in medio, & plùs cæteris, pro tantæ dignationis præventione. Quo supposito terræ hujus ZABULON privilegio, in vanum est cogitare illam aliquàndo fuisse subjectam tributo peccati. cæterùm ampliùs, pro more meo probare id conabor.

Gen.

MARIA in medio trium Principum psallens de imm: Cōcep:

MARIA Zabulon, quia impeccabilis.

Probatur

Scripturaliter.

19. Pro jure immunitatis hujus benedictæ terræ B. V. MARIÆ à tributo originalis peccati, duo omni exceptione majora, præcipuorum inter Prophetas, testimonia depromo ex S. Scriptura. Primum locum sibi vendicat Moyses, utpote populi Israelitici Dux, simulq; Propheta: qui in benedictione, quam dabat, bre-

Zabulon, specialis benedictio.

vi moriturus, tribui ZABULON, terræq; ac possessionibus ejus in futurum, talia vaticinando fatus esse scribitur. Deut: 33. 18. *Lætare ZABVLON in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis.* Tabernacula, juxta Ven: Bedam sup: Gen: 12. significant militantem Ecclesiam: Exitus verò, quid convenientius signare poterit, quàm initium cujusq; hominis seu conceptionem; per quam veluti per portam homo egreditur in hanc vitam. ZABULON, juxta jam dicta, & adhuc dicenda, ipsa est B. Virgo MARIA; Issachar frater ZABULON, nos sumus, quotquot sub lege communi concipimur & nascimur: nec enim Dignissima DEI Mater atq; Regina Cæli, dedignatur nos agnoscere fratres suos: idem quippe ipsi genius & pietas in nos, quæ & Filio; qui dixit: Matt: 12. 50. *Qui fecerit voluntatem Patris mei - - ipse frater meus, & soror mea est.* Issachar, cùm ipsi benediceret Jacob, audivit: *Issachar asinus fortis, cubans inter terminos.* Gen: 49. 14. Non tamen fortis iste lætatur in exitu, uti lætari jubetur ZABULON; sed nisi primùm in tabernaculis: nec mirum; nam fuit subjectus tributis: ait de ipso Jacob. *Factus est serviens tributis:* quod de ZABULON non dicitur.

Deut. — Ibid. — Issachar typus peccatorum. — Matth. — Gen.

20. Quid simile in ipso significato cogitare liceat; nos universi, quasi Issachar, in exitu nostro ad vitam, s. in Conceptione aut Nativitate, lætari utiq; non possumus; nam veluti asini egredimur in vitam, onusti sarcinâ reatûs Adæ; cubamus utiq; vel cubavimus in uteris Matrum nostrarum, inter terminos conceptionis & nativitatis nostræ, sed non in meridie gratiæ: lætamur modo primùm in tabernaculis, dum Ecclesiæ militanti per gratiam Baptismi aggregamur: nec mirum; fuimus enim ante, cum Issachar, servientes tributo originalis peccati. Sola terra benedicta, sola ZABULON, B. V. MARIA, quæ non ut Issachar, inter terminos culpæ, sed in meridie semper, ubi & Sponsus suus cubavit, gratiæ: ut dicitur Cant: 1. 6. *Ubi cubes in meridie:* sola inquam in exitu suo, in portis vitæ suæ s. in Conceptione & Nativitate sua; prout interpretatur Escob: l. 4. Sec: 2. n. 70. illa verba Psalmistæ: *Diligit Dominus portas Sion.* Psal: 86. 2. Sola (iterum dico) ZABULON MARIA lætari jubetur: *Lætare* (inquit) *Zabulon in exitu tuo.* Ex quo ipso intelli-

Asini portantes sarcinam Adæ: nos omnes. — Cant: — Psalt. — MARIAE porta Conceptionis DEO dilecta.

telligere licet à contrario, causam lætitiæ specialis non aliam ipsi subesse, nisi quia non fuit unquam serviens tributo peccati. Hæc pro immunitate ZABULON s. MARIÆ, typicè testatus est Dux Propheta.

21. Succedit Prophetæ Duci, Rex Propheta; dum cujusdam terræ benedictæ in spiritu præsagus, ipsius privilegia enumerat; inter quæ præcipuum ponit illud, quòd nunquam captiva, consequenter neq; sub tributis, fuerit. Sic enim ait Psal: 84. 1. *Benedixisti terram tuam, avertisti captivitatem Jacob.* Hugo Card: per hanc terram intelligit B. V. MARIAM. Et rectè. Quænam etenim terra, post latam maledictionem à DEO, poterit dici dare fructum suum, nisi aliunde sumat semen: atq; sic fructus terræ, non sunt integrè fructus illius; sunt enim in parte fructus seminis aliunde participati. Sola talis terra, est B. V. MARIA; quæ quia nunquam maledicta, dedit fructum propriè suum; dum nullo concurrente Patre, Virgo & Mater, ex solis suis virgineis sanguinibus genuit dulcissimum Filium JESUM. Quando ergo terram hanc, appellat David benedictam, loquitur de benedictione divinæ gratiæ animam sanctificantis.

Psal.

CHRISTUS, solius terræ MARIAE fructus. cur?

22. Cæterùm ne quis putet Davidem loqui de benedictione sanctificationis post contractum peccatum originale; explicat se ille, subnectendo rursùs aliud privilegium ipsius terræ, huic omninò connexum: nimirum præservationem à captivitate communi peccati. *Avertisti* (inquit) *captivitatem Jacob.* Quod felici ingenij indagine deprehendit in verbis Prophetæ Joan: Carthag: de Arcan: MARIÆ l. 1. hom: 3. sic inquiens: *Non dixit Propheta* Abstulisti captivitatem: *quasi illam jam incurrisset, sed* Avertisti; *ut palàm significaret, originalis peccati servitutem propulsasse; & B. Virginem prohibitam seu impeditam fuisse, ne in illam incideret. Unde notanter loquens in eodem Psalmo de sanctificatione aliorum, non dicit.* Avertisti captivitatem. *sed* Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum. *Quo loquendi genere non inobscurè docuit David, hoc fuisse discrimen inter sanctificationem Virginis & aliorum; quòd illius præservativa, horum sanativa fuerit.* In ore ergo duorum Prophetarum simulq; Principum Moysis s. & Davidis, stet hoc verbum, quòd terra no-

MARIA terra extra captivitatem Sathanæ.

Carthag.

stra ZABULON, B. V. MARIA, nunquam fuerit in captivitate Sathanæ, neq; sub tributo peccati.

Probatur **Figuraliter.**

23. Ex ipso hujus Discursûs Titulo, terra ZABULON, jus quoddam præscriptionis sibi vendicare videtur, ut in præsenti serviat MARIÆ pro Figura; atq; immunitatem ipsius ab originalis peccati tributo typicè demonstret & declaret. Et meritò; si enim Etymum, situs, & privilegia nonnulla illius Terræ ZABULON seriosiùs perpendantur, omnia tacitè de immunitate B.V. MARIÆ ab originali peccato testantur. Quantùm ad Etymum ZABULON; penè quot linguarum versiones, tot mysteria, simulq; suffragia immac: Ortûs MARIÆ. Nonnullas versiones reperio apud Sylvam Alleg: quarum duas nonnisi premo, & ad propositum meum non nimis violenter flecto. Primam illam, quæ est S. Ambr: de benef: Patriar: 5. Ubi ille sic interpretatur ZABULON: *Zabulon, quasi liberans à nocturnis:* Convenientia interpretationis desumpta fuit inde, quia ZABULON terra, Portus quasi marinus erat, & propterea fortè (ut moris est) Pharum seu Turrim luminosam, contra pericula navium in mari, habebat. Atq; sic Nomen ZABULON, jam primò loquitur Imm: Conceptionem MARIÆ, mysticæ nostræ ZABULON: indicans quasi, quomodo in ea nihil fuit tenebrarum & noctis peccati, sed totum in possessione lucis. Audiamus S. Hieron: in illud Isa: 9. *Deduxisti eos in nube diei. Nubem (ait) levem, debemus S. MARIAM accipere. Pulchrè dixit: Diei; nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.*

Zabulon, typus Immac: Concept:

Zabulon etymum, stat pro Immac: Concept.

MARIA luminosa semper.

Hieron:

24. Rursùs ZABULON interpretatur, *Habitaculum fortitudinis, aut pulchritudinis. Et sic quoq; accepta vox illa, benè sonat immaculatum Ortum MARIÆ:* Ipsa etenim, verè fuit habitaculum fortitudinis; nam ab æterno destinata in Domum, in qua requiesceret ille, qui de se olìm dixerat Gen: 46. 3. *Ego sum fortissimus DEUS.* Huic porrò Habitaculo fortitudinis & illud aliud debet esse omninò connominale *Habitaculum s. pulchritudinis*, id est puritatis sine omni labe. Utrumq; enim ad ornamentum Habitaculi tanti Hospitis, ipsa etiam decentia exigebat: Et hæc ipsa

Gen.

MARIA habitaculum pulchritudinis, ob puritatem originalem.

ratio

ratio Habitaculi DEI, quàm benè militet pro immunitate MARIÆ à peccato originali, & puritate ipsius in sua Conceptione, advertit Potho Presbyter, coætaneus Ruperti, dum Ser: I. de Sapient: domo, ita ait: *Verè magna Domus, pulchra & altissima Domus, septiformis Spiritus in eadem domo plenariè habitat & quietissimè, nunquam ibi passus est offensam alicujus culpæ.* Potho.

25. Quantùm deinde ad Situm Terræ ZABULON; *ZABVLON* (inquit benedicens Jacob) *in littore maris habitabit, & in statione navium usq; ad Sydonem pertinget:* quod ipsum, juxta D. Ambr: significat securitatem: *Spectans* (inquit S. Doctor) *securus aliorum naufragia.* Portus iste securitatis, quo gaudebat ZABULON, ex situ ipso, quia habitatio ipsius in littore, liquidò per typum ostendit, quantæ securitatis ab omni peccato in Conceptione sua, fuerit ZABULON nostra, B. V. MARIA: jam enim tum in littore fuit, hoc est in eo statu gratiæ, imò ab illo initium vitæ suæ ordiebatur, ad quem cæteri mortalium per multas ætates, labores, & subinde iterata naufragia, pertingunt. Ait enim S. Greg: *Gratia, quæ aliis fuit finis & terminus, Virgini fuit initium & fundamentum.* Hinc illud aliud sequitur. *ZABVLON securè aliorum naufragia spectans.* Sola enim B. V. MARIA, in primo statim creationis suæ puncto, in portu gratiarum constituta, ex portu illo cunctorum filiorum Adæ, propter originale peccatum naufragia, securè spectavit: ipsa nunquam naufraga. De hoc ultimo dicto, si plura scire cupis (bone Lector) vide Tit: *Navis sine naufragio.* sup.

Ambr. MARIA concepta in portu securitatis. Greg. MARIA gratiæ initium habuit, ubi alij terminũ habuerunt.

26. Jam tandem Privilegia terræ ZABULON revideamus: quorum duo in S. Scriptura reperio; unum in novo, alterum in veteri Testamento. Ex novo testamento illud habeo, quòd Terra ZABULON, fuerit dilectissima & privilegiata habitatio CHRISTI Domini; adeò, ut ultimatè, relictâ Nazareth, habitaverit in ZABULON. *Secessit* (narrat Matthæus 4. 13.) *in Galilæam: & relictâ Civitate Nazareth, venit & habitavit in Capharnaum, maritima in finibus ZABVLON:* Et fortè ideo dilecta fuit CHRISTO (qui ad mundum venerat illuminandum) habitatio illa in ZABULON; quia inde primùm illuxit Orbi in umbra mortis sedenti, lucis radius; radius (inquam) illius Stellæ. de qua Num: 24. 17. *Ori-*

CHRISTVS libenter habitavit in Zabulon. Matt. Num.

etur Stella ex Jacob, id eſt, juxta interpretationem Vn: Bedæ, B. V. MARIA. Radius Stellæ hujus quis? niſi CHRISTUS JESUS. Ait enim S. Damian. *Ipſa ex ſe emiſit radium illum, qui penetrat uſq; ad cordis ſecreta.* Illuxit ergo primùm radius iſte in ZABULON; quia ibi primùm lumen prædicationis ſpargere incepit CHRISTUS. De quo ipſo antiquam Propheriam ſubjunxit ibidem Evangeliſta. *Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Terra ZABULON, & terra Nephtali . . . populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Et ex hac ratione ZABULON, aliqui interpretantur, *Locum lucis.* Itaq; ſi prædicatio CHRISTI lux, CHRISTUS radius, & Stella MARIA: Stellis autem benè novimus concreatum fuiſſe lumen hoc, quod defacto habent; inferre hinc licet, MARIÆ fuiſſe concreatam gratiam, ipſamq; ſemper fuiſſe habitaculum lucis: & ideo perdilecta Filio DEI ad inhabitandum ſeu incarnandum ſe in illa, fuit ZABULON noſtra, B. V. MARIA.

Damian.

CHRISTUS primò prædicavit in Zabulon.

MARIA Stella, Stellæ radius, CHRISTUS.

MARIAE concreata gratia, ſicut lumen ſtellis

27. Alterum Privilegium obtinuiſſe ZABULON, ſ. quòd ſpecialiter alleviata ſeu immunis eſſet à communibus tributis, lego apud Iſaiam Prophetam ſup: cit: *Primo tempore alleviata eſt terra ZABULON:* In quonam alleviata? explicat Propheta, quòd in tributo; dum eam paulò inferiùs ſic alloquitur. *Sceptrum exactoris ejus ſuperaſti.* Septuag: legunt illa priora verba, ſic: *Bibe primum ZABULON.* Iſte locus Prophetæ quàm venuſtè elucidet Myſterium Imm: Conceptionis, brevi intelliges ex placitis Doctorum. Ex ſenſu meo multa audere nolo; acu ſaltim (uti dicitur) pro exiguitate ingenij, tangam myſterium in illis verbis. *Primo tempore alleviata eſt Terra ZABULON*, abſconditum. Dum enim dicitur, primò alleviata eſſe à tributo originali, noſtra ZABULON MARIA, ex hoc non inobſcurè argui poteſt, quòd non communi cæteris, imo etiam aliquibus, conceſſo modo, ſed primo, id eſt, excellentiſſimo liberata ſit ſeu redempta B. V. MARIA à tributo illius peccati: & hic non alius perfectior cogitari poterit, quàm præſervativa liberatio ſeu redemptio. Ait enim Doctor Subtilis 3. d. 3. q. 1. *Excellentius eſt beneficium, ſervare à malo, quàm dimittere cadere in malum, & ab eo poſtea liberare.* Quale beneficium etiam conceſſum Angelis aſſe-

Iſai.

Perfectiſſimus modus liberandi à peccato, eſt præſervatio ab illo.

Scot.

asseruit S. Bern: sup: 2. Cant: inquiens: *CHRISTVS etiam redemit Angelos, ipsos præservando.* Quod tantò magis, Reginæ Angelorum attribuisse S. Doctorem credendum est. Bernar.

Ultimò tandem, dulciter mihi sapit illud *Bibe primùm ZABVLON*: desumptum ex versione Septuag: supra. Annales Ecclesiæ primitivæ referunt, quòd sub persecutione Tyrannorum contra Catholicos, ut faciliùs illi dignoscerentur, ad publicos fontes ponebantur Idola; nec cuiquam licuit haurire aquam, nisi primùm soluisset Idolo tributum, seu homagium adorationis. *Primùm Zabulon bibe.* Universi nos filij Adæ, bibimus quidem de Fonte, imò de mari meritorum Passionis CHRISTI, dum aquâ Baptismi & gratiâ ex illo fonte haustâ refecti, imo convivificati fuimus; sed non primùm: priùs enim solvimus tributum, adorantes quasi Sathanam, facti rei originalis culpæ; quod proportionaliter & respectivè ad alios dicendum, de æquivalentibus Baptismo remedijs, contra originale usitatis in lege naturæ & scripta veteri. Sola nostra ZABULON MARIA, de hoc gratiarum, meritorum Passionis Filij sui primùm bibit; non enim ante vel post unquam, litando Sathanæ, ex primis & præcipuis meritis CHRISTI, specialiter ad hoc, in illis æternis præscientijs destinatis, hausit originalem gratiam. De quo latiùs jam habuisti sub alijs Titulis. 28.

Idola ad fontes ponebantur, cur?

MARIA primo bibit, de fonte Passionis Christi.

Probatur

Doctoraliter.

Propter magis firmandam elucidationem Figuræ, quam immediatè proposui, primò apponendi videntur Doctores illi, qui sub hac allegoria tractarunt de B. V. MARIA, & interpretati sunt locum illum Isaiæ: Commendatissimus est in laudibus MARIÆ Petrus Comestor, Gallus, Ecclesiæ Tricensis Presbyter, per excellentiam dictus *Magister historiæ Scholasticæ.* 29.

Iste ergo Author, locum illum Prophetæ sic de B. V. MARIA explicat. *Primo tempore alleviata est terra ZABVLON s. Beata Virgo: quia fuit in Utero sanctificata; ideò Nativitas ejus celebratur.* Ex quo ipso Ant: Escobar de Conc: Sect: 4. n. 109. hanc infert consequentiam. *Ergo quia sine labe concepta, ideo celebratur quoq; ejus Conceptio.* Subjungitq; statim cautelam, de isto 30.

Petro

Petro Comestore; quòd ipse aliquando Virginem Conceptam in peccato, licet postea sanctificatam asseruerit; sententiam tamen postea mutavit, peretudito ejus extante libello; cujus meminit Thrithem: & Posseu. Atq; sic, dum sacrificatam dicit esse in Utero MARIAM, ex ipsius proprio sensu explicandus est, id dixisse de sanctificatione præservativa, à tributo peccati.

31. In eundem planè sensum cum explicatione sua coincidit, Noster doctissimus Carthagena l. 1. de Arcan: MARIÆ hom: 6. Ubi propositis verbis Prophetæ. *Alleviata est terra Zabulon, & terra Nephtali, & novissimè aggravata est via maris:* sic ait: *Per hanc terram mysticè intelligo B. Virginem, ortam ex tribu Juda & Sacerdotali Nephtali Civitate, nulli tributo subjectam; quæ primo illo tempore, id est, primo illo instanti Conceptionis suæ, alleviata fuit, dum à pondere peccati originalis communi lege supprimenda, singulari DEI gratiâ præservata fuit.* Sequentia etiam verba: *Aggravata est via maris:* rectè eidem argumento inserviunt, si Tertulliani translationem sequamur, legentis. *Impedita est via maris:* id est; *DEUS torrentem peccati originalis in MARIAM fluentem, Divinæ suæ gratiæ obice interposito, ne illam contingeret, impedivit.*

32. Tertius antiquus in Ordine Nostro Author Bern: de Busto, juvare non modicùm videtur Thematis Nostri Titulum, & rationes adductas; quando in Marial: 1. P. S. 9. de Annunt: applicans B. Virgini benedictiones illas, quas duodecim filiis suis, aliàs tribubus, moriens Jacob reliquerat, asserit & probat, quòd benedictionem Zabulon, in summo habuerit B. Virgo MARIA. Spinellus de DEIpara c. 7. n. 14. *Universa terra Ægypti, Pharaoni tributum persolvebat, exceptâ terrâ Sacerdotali, quæ immunis ab ea conditione fuit: ita quamvis reliqui homines originalem noxam contrahentes, dæmoni quodammodo tributum pendant, excipitur Virgo Sanctissima, veluti terra peculiaris Summi Sacerdotis CHRISTI, quæ immunis ab omni tributo fuit, propter Sacerdotem CHRISTUM ex ea gignendum.*

33. S. Thomas à Vill: Nov: Ser: 1. de Assumpt: liberam ab omni tributo fuisse MARIAM, his fatetur verbis: *Nihil unquam*

Sancto-

ctorum speciali privilegio concessum est, quod non à principio vitæ cumulatiùs præfulgeat in MARIA. Ecce castellum fortissimum, ecce turrim inexpugnabilem, quæ nunquam diabolo præstitit tributum aut fidem.

Huc omninò spectare debent omnes illæ Authoritates, in quibus B. Virgo MARIA appellatur Terra benedicta, aut Terra immaculata; quas, quia longum esset recensere, & valdè obviæ habentur in Authoribus, unam solummodò, sed magnæ authoritatis, quia ex Cathedra Crucis prolatam appono. Asserit Salaz: Escob: in alijs gravibus Authoribus se legisse de S. Andrea Apostolo; quòd ille affixus Cruci, quasi extremum legatum suum, fidelibus circumstantibus de MARIÆ præservatione, sententiam tradens, sic fatus fuerit: *Sicut primus Adamus formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta; ita secundus formatus est ex terra Virgine, nunquam maledicta.* 34.

S. Andreæ, ex Cruce testimonium de Immac: Concept.

Probatur

Miraculosè.

Post non pauca, in præcedentibus Discursibus (quibus tamen multò plura legere est in probatis Authoribus) recensita miracula, ad confirmandam piam opinionem de Immac: Conceptione MARIÆ, visum est ultimò uti, summo illo miraculo, quo olim usus fuit S. Aug: 20. de Civ: c. 5. contra illos, qui in fide Catholica negant facta esse miracula, inquiens: *Si ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis grande miraculum sufficit, quòd totus penè terrarum Orbis sine miraculis credidit.* Contingit enim aliquando, quòd oppositæ sententiæ assertores, cùm ipsi pro sua sententia nec unicum miraculum adducant, negent illa miracula, quæ in favorem nostræ sententiæ, ex fide dignis relationibus, producimus. Hoc ergo ab ipsis saltim habeatur pro summo miraculo: consensus videlicet totius planè Ecclesiæ pro nostra opinione, paucis exceptis ex Schola nobis opposita; de quorum adhuc medio, doctissimi etiam Professores, ad nostram sententiam tutandam transierunt; idq; ex mente etiam sui Doctoris. 35.

August.

Miraculum summum, quod?

Enimverò hanc opinionem tenent, Summus Pontifex cum Cardinalibus & Curia Romana, dum annuatim in Divino Of- 36.

ficio canunt illud. *Glorioſæ Virg: MARIÆ Conceptionem digniſſimam recolimus.* Idipſum confitentur omnes Epiſcopi, Abbates, Ordines, Religiones, S. Benedicti, Canonici Regulares, Ordo Eremitarum, S. Auguſtini, Ordo Carmelitarum, Servitarum; etiam ex Almo Ordine S. Dominici aliqui, ſed præcipui. Id Societas JESU; & ſpecialiter, tam numeroſus atq; latepatenter per plagas mundi ſparſus, Ordo Minorum. Id devotiſſimè ſentiunt Principes, Reges, Imperatores, quotquot ſunt Catholici; atq; votis ſuis publicis toties confirmavêre. Id docent, docereq; obligant doctorandos, planè omnes Orthodoxæ Univerſitates Academicæ. His tam numeroſis myriadibus Orthodoxorum, accedunt quoq; agmina innumerabilia; partim Judæorum, qui juxta relationem quandam apud Bern: Buſt: S. 9. dicunt Matrem Meſſiæ debere eſſe ſine peccato originali: partim etiam omnium Mahometanorum, Arabum & ſimilium, in tribus partibus Orbis, & per magnam partem Europæ, multiplicatorum; qui omnes ex inſtituto ſui Pſeudo-Prophetæ aſſerunt, quòd nec CHRISTUM nec MARIAM tetigit ſathanas: in quo tam zeloſi reperiuntur, præſertim illi, qui limatioris ingenij ſunt, ut etiam rationibus nonnulli certaverint pro MARIÆ immunitate à tributo originalis peccati. Dignum eſt relatu, quod contigiſſe Romæ narrat cit: Bern: Buſt: S. 6. Nepos cujusdam Orientalis Soltani, exiſtens Romæ in domo Cardinalis Prænestini, inter alia argumenta, quibus Mahometanus iſte, certavit tum pro hac immunitate MARIÆ, etiam hoc fuit: Plùs (inquit) DEUS dilexit Matrem ſuam, & circa eam plura fecit, quàm Pater meus circa me. Sed Pater meus fecit me liberum, quantùm potuit, in die nativitatis meæ. Ergo &c. Hæc ille. En quantus totius planè Orbis conſenſus, pro immunitate MARIÆ, à tributo peccati originalis! numquid ergô non acceptandus pro ſummo, ſeu pro miraculo miraculorum.

Conceptionem Immac: omnes ſtat' tuentur.

Judæi favent Imm: Conceptioni; etiam Arabes.

Conceptionem MARIæ Mahometanus argumentis tuetur.

Probatur Scholaſticè.

37. *THEOL:* Juſta ſolutio cujuslibet tributi, præſupponere debet obligationem ſeu debitum ad ſolvendum, in Perſona ſolventis: ſed B.V. MARIA non habuit debitum ſeu obligationem.

Debiti ſolutio, ſupponit obligationem.

nem contrahendi peccatum originale. Ergò hoc tributum defacto non soluit. Ergo fuit sine tributo. Major certa. Minor in Schola tutantium Immac: Conceptionem, est communissima: licetsi aliqui id asserant de debito tantùm proximo, alij verò etiam de remoto. Sed quoniam opposita Sententia æquali facilitate, quâ negat Conclusionem, negaret quoq; & Minorem; nec locus hic est controversiæ; quæ alias operosissimè agitatur inter Scholasticos; & quàm amplè satis, inter alios, tractavit Salazar, Tract: de Conceptione: ideo aliud formo argumentum. CHRISTUS D. Matt: 17. 24. dixit, quòd tributum non exigitur à filijs proprijs, sed ab alienis. Ergo multominùs ex sensu CHRISTI D. exigitur à Matre ipsius propria. Ergo dato, non concesso, quòd MARIA qualecunq; debitum contraxisset ex Adamo, incurrendi originale peccatum, adhuc DEUS non exigebat ab illa, seu exigi non permisit hoc tributum: imputando s. ei peccatum originale.

Tributum filij non solvunt: multo minus Mater. Matt.

JURID: Lex Cornelia juncta Glossæ. Cùm Imperator, *donat Imperatrici privilegia, quæ ipse Princeps de lege habet:* ubi Glossa ait: *Augusta habet omnia privilegia, quæ habet fiscus, ut ad vectigalia non teneatur.* Cùm ergo B. V. MARIA, communi voce dicatur, & sit Regina, Imperatrix Universarum creaturarum: jura profectò violas, quisquis illam ad solvendum commune alijs tributum originalis peccati, vel opinando, pertrahere conaris. 38.

Tributũ non solvit Regina, itaq; nec MARIA.

SYMBOL: Alludendo ad illam Historiam seu Quæstionem, CHRISTO à Pharisæis, tentantibus illum de tributo Cæsari solvendo, propositam: Genium bonum depinge, tenentem manu aureum nummum, cum impressa Imagine SS. TRINITATIS; eoq; situ & formâ, ut quasi interrogare videatur: *Cujus est hæc Imago?* deinde pro Lemmate, appone illa verba CHRISTI: *Reddite - - quæ sunt DEI, DEO.* Nummus ille aureus denotabit B. V. MARIAM: hanc enim S. Anselmus vocat: *Numisma census;* quæ dum in æternis illis prævisionibus cuderetur, seu destinaretur in Matrem Filij DEI, ut tantò dignior ex illa officina prodiret, insignita fuit Imagine vivâ S. TRINITATIS: de quo latè egi sup: Tit: *Imago sine nævo.* Adeoq;, si MARIA semper Imago DEI fuit, nec unquam Stygij Dominatoris imagi- 39.

ginem in se recepit, non ipsi, sed DEO, illud quod DEI erat, in tributum & dominium cessisse in primo instanti creationis suæ, per hoc Symbolum denotabitur.

40. *POES:* Exigit à cunctis Stygius fatale tributum
Primum; quô toto fecit in orbe jugum.
Unica, quæ JESUM genui, ZABULON pia TERRA
Alleviata, jugum nescio, calce tero:
Concepta sine labe meo, partuq; stupendo:
Vos libertati libera restituo.

41. *PROG: Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.*
ANAG: MARIA à manè, in partu, vectigal DEO sum;
En Adam agricola it, seminat purum Væ:
En MARIA pura, docta, à lege tua immunis.
I Adam, ne oneres MARIAM guttâ, culpâ, vi.

Probatur Historicè.

42. Theophilus Marianus art: 30 scribit de quodam plusquam inhumano tributi genere, quod Saxonibus bello subjugatis, Rex quidam Daniæ imposuerat: videlicet, ut contribuerent aliquot millia capitum humanorum, totidem millia manuum, totidem pedum, ac deniq; cordium; quod contribuendi genus, quantâ strage & carnificinâ populi constitit, facilè quisq; prudens conijcere poterit. Immanis sanè crudelitas talia exigentis; si tamen amor CHRISTI & pietas in Matrem suam perpendatur, longè hic pietate suâ, crudelitatem Tyranni illius superavit. Accepit ille, iste dedit: imò ampliùs quid tribuit CHRISTUS MARIÆ, ut ipsa à communi peccati debito & tributo eximeretur; obtulit etenim venerandum caput suum, spinarum aculeis, profundè usq; ad cerebrum terebrandum, pedes & manus dirè obtusis clavis ad perforandum; deliciosissimum cor suum lanceæ dilaniandum objecit; imo totum corpus suum & singula membra ejus, in lanienam crudelem exposuit; ut sic ex prævisis Passionis suæ meritis, Mater sua, tam infami nunquam subijceretur tributo, quæ aliàs tam insigni privilegio, nullo modo gaudere potuisset. Quod expressè fatetur Ansel: l. 2. Cur DEUS homo, c. 10. inquiens: *Indiguit B. Virgo Redemptione & CHRI-*

Tributum Saxonicum, de humanis cordibus, manibus, pedibus.

CHRISTUS omnia membra exposuit ut MARIA immac: conciperetur.

Ansel:

CHRISTI Passione, non propter peccatum, quod infuerit, sed propter peccatum, quod infuisset, nisi ipsemet ex speciali privilegio eam praeservasset. MARIA, redemptionē quomodo indiguit.

EPILOGUS, etiam operis.

43. Adeste jam cuncti tributarij, eoq; ipso in libertatem filiorum DEI adsciti, devoti cultores Immac: Conceptionis MARIÆ, adeste inquam. Terra utiq; vestra est MARIA, vobis germinans, vobisq; specialiter fructificans, & refugij tutissimum asylum. Si tantum litri pendidit CHRISTUS, dum pependit in Cruce, ut hæc benedicta nostra Terra, à communi originalis culpæ eximeretur tributo; quantò magis, nobis tributarijs mancipijs MARIÆ, & vilibus Colonis terræ hujus, studiosiùs nedum votis sed calamo & voce adlaborandum conandumq; est, contra duriores originalis tributi ab illa Exactores; visis præcipuè tam liquido jure & testimonijs exemptionis ejus. Ergo jam cantemus Canticum Domini in Terra nostra.

44. Dicant illi, qui huic tributo peccati & servituti alienæ, hanc Terram aliquando subjectam fuisse contendunt: dicant (inquam) illud Psal: 136. 5. *Quomodo cantabimus Canticum Domini, in terra aliena:* deplorandum enim illud punctum Conceptionis MARIÆ, ob casum ipsius in peccatum etsi instantaneum, luctûs potiùs secundùm illos, & non lætitiæ suggere deberet ipsis materiam. Nobis verò alia mens & sensus, teneriora (gloriari nedum liceat, sed expediat quoq; in honorem MARIÆ & Filij ejus) præcordia, mollioresq; fibræ cordium præ pietate in illam: nobis terra hæc, nostra specialiter est, qui nunquam alienæ dominationis eam fuisse profitemur. Cantemus ergo in Terra & de Terra nostra, Canticum Domini, quia alleviata est Terra ZABULON, & facta est sine tributo, & confractum est in ipsa sceptrum Exactoris hujus tributi s. sathanæ, cunctos alios posteros Adæ, peccati originalis reatu sibi subjugantis.

Psal. MARIAE Canticū, cui cantare licet

MARIA, terra aliena, quibus?

45. Tibi ergo primùm, æviternæ & augustissimæ Majestatis DEUS, nos vilissimæ licet creaturæ tuæ, pulvis & cinis, imò nihilum in

Joel.

conſpectu tuo, ſervi tamen & mancipia dilectæ tuæ Matris MARIÆ, cantamus hodie Canticum gratiarum, ob immenſam bonitatem tuam; quia juxta illud Joël: 2. 18. *Zelo zelatus es Terram tuam* ſ. B. V. MARIAM; tantæ tamq; excellentis, ſuper omnem puram creaturam, Immunitatis à peccato, donando ipſam privilegio. Tibi autem ô benedicta Terra ZABULON, ego quantuscunq; & exiliſſimus agelli tui & glebæ tuæ aureæ, hoc eſt, immac: Conceptionis Tuæ colonus & cultor, quia tanti Myſterij hactenus neſcivi decantare Canticum, illudq; dignè elucidare & prædicare, quod voti mei erat; his aliquot in laudem tuam conſcriptis diſcurſibus, abecedarius tuus fieri exambio; Alphabetum hoc concludendo, illud cùm dignè non poſſim, ſaltim quà demiſſiſſimâ ſubmiſſione Tibi præſento: Tu quæ Sapientiſſima, his literis animam & ſpiritum infunde, Alphabetum pro Sapientia Tua iterum atq; iterum diſpone; & ut in alia millia millium Titulorum & laudum Immaculatæ Conceptionis Tuæ, hæ Alphabetales concreſcant literæ, illis qui puriori cordis, & excultioris in laudibus tuis ingenij ſunt, novos conceptus, ad concinnanda ex ipſis nova Conceptionis Tuæ Immaculatæ Cantica, inſtilla. Et quia (ut dixi ſupra) Terra noſtra es, fructus tuus nobis debetur: JESVM itaq; benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende: ut qui nunc læti & gaudentes in recolendo Immaculatæ Conceptionis Tuæ Privilegio, DEO gratiarum, Tibi verò laudum, perſolvimus Cantica: etiam in beata illa Terra & Patria Cæleſti, pijſſimis Tuis apud DEVM interventionibus, juncti Cæleſtium Spirituum Choris, ſpeciale quoq; Honori Immac: Conceptionis Tuæ, intonare mereamur Canticum,

Votum Authoris, opus dedicantis.

MARIAE fructus, debetur cultoribus Immac: Cōceptionis.

Io! vivat Sanctiſſimæ DEIparæ, Immaculata Conceptio.

DEO Vni & Trino laus, B. Virgini Immaculatè Conceptæ, Sanctisq; præcipuè his, quos Tutelares, interceſſores, & coadjutores conſcribendo huic opuſculo me accingendo aſſumpſeram, gratiarum actio. Totum autem quidquid hic ſcripſi, reverenter & pleniſſimè judicio S. Romano Catholicæ Eccleſiæ ſubijcio: ea omnia quæ non ſcribenda cenſuerit illa, pro non ſcriptis, jam pro tunc, habere volo.



INDEX

INDEX
Præcipuorum Locorum Sacræ Scripturæ.
Litera A. significat Arborem. B. Balsamum. C. Columbam. & similiter.

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

Cap: Vers.

Joel.

1. 1. *Audite hoc senes & auribus percipite universi habitatores terræ &c.* sub lit: A. num: 11.

2. 3. *Erat quasi hortus voluptatis.* sub lit: H. num: 26.

Amos.

6. 1. *Væ qui opulenti estis in Sion.* sub lit: E. num: 9.

2. 13. *Sicut stridet plaustrum onustum fæno* sub lit. G. num: 31.

Habacuc.

1. 8. *Leviores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis.* sub l. M. n. 15

Aggæus.

2. 19. *Ponite corda vestra ex die ista &c* sub lit: V num 21.

Matthæus.

5. 34. *Ego autem vobis dico: non iurare omnino, neq; per cælum, quia Thronus Dei est* sub: lit: T. num: 33.

7. 15. *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces* sub lit: M num: 15.

8. 29. *Venisti ante tempus torquere nos.* sub lit: E. num: 13.

15. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia. &c.* sub lit: L. num: 7.

17. 24. *Tributum non exigitur à Filijs pro prijs sed ab alienis.* sub l. Z n. 36

20. 8. *Ite & vos in vineam meam.* sub lit. G. num: 17.

24 37. *Erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes &c.* sub lit: E. num: 12.

26. 7. *Accessit ad eum mulier habens alabastrum.* sub lit: T. num: 9.

Marcus.

6. 52. *Non enim intellexerunt de panibus.* sub lit: S. num: 23.

Cap: Vers.

Lucas.

1. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in Te &c.* sub: lit: D. num: 22.

1. 48. *Ecce enim ex hoc beatam &c.* sub l. V. n. 26.

3. 38. *Adam qui fuit Dei.* sub lit: H. n. 18

6. 25. *Væ vobis qui saturati estis væ vobis qui ridetis.* sub lit: E num: 9.

6. 39. *Numquid cæcus potest cæcum ducere! nonne ambo &c.* sub lit: D. num: 9

7. 38. *Osculabatur pedes eius &c.* sub lit: T. num: 9.

22. 25. *Reges gentium dominantur eorum &c.* sub lit: X num: 1.

Joannes.

1. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater &c* sub lit: B. num: 8.

1. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti &c.* sub lit: I. num: 22.

1. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* sub lit: T. num: 29.

3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium &c* sub lit: B num: 17.

6. 50. *Hic est panis de cælo descendens.* sub lit: G. num: 2.

17. 9. *Rogo pro eis, quos dedisti mihi.* sub lit: X num: 5.

10. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* sub lit: B. num: 8

14. 6. *Ego sum via, veritas, & vita.* sub lit: A. num: 2.

14. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo* sub lit: C. num: 29.

15. 4. *Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso, &c. Sic nec vos &c.* sub lit: E. n. 8. V. num: 9.

21. 7. *Ille discipulus quem diligebat IESVS.* sub lit: T. num: 12.

15.

Cap. Verf.
15. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne.* sub lit: M. num: 9. 28
17. 15. *Aquæ, quas vidisti populi sunt.* sub lit: C. num: 15. & sub lit: M. n. 10
21. 1. *Vidi cælum novum, & terram novam* sub. lit: H. num: 37.

Cap. Verf.
Esdræ 4.
5. 26. *Ex omnibus plasmatis pecoribus providisti tibi ovem unam.* sub lit: O. n. 3.
7. 48. *Si enim tu peccasti, non est factus solius tuus casus, sed & noster, qui ex te advenimus* sub: lit: A. num: 7.

INDEX
ET REPERTORIUM
Rerum notabilium.

Prior numerus folium; alter marginalem designat.

A.

Agoni-

CHRISTUS.

Cogi-

M.

MARIA.

Maria

MARIÆ CONCEPTIO.

Opus

P.

Pecca-

T.

V.

X.

Z.



INDEX REDUCTORIUS.

Ad Materias Morales pro Concionibus Dominic: post Pentecosten.

Ad Lectorem.

ADverte, qui uti velis hâc opellâ meâ pro commodo tuo & utilitate animarum, hic tantùm insinuari tibi materiam pro exordio sermonis; nam pro opportunitate & dexteritate ingenij, facilè eam dilatare poteris: solummodò attende, quatenùs statuas propositionem moralem illam, quam tibi ibidem subministro; atq; sic invento juxta citationem Tituli & numerorum loco, jam habebis totam Concionem & benè probatam materiam; idq; tripliciter; videlicet per S. Scripturam, per Figuram, & per Historiam, aut per quid æquivalens. Suscipe grato animo promptum erga Te affectum Authoris; atq; coràm DEO *ipsi benè precare.*

DOminica 1. post Pentec: *Eadem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Omnia, sicut fecit DEUS propter nos in pondere & mensura, ut ait Sapiens. c. 9. ita quoq; à nobis vult sibi præstari & proximo nostro, sub pondere & mensura: id est, vult ut sint perfecta opera nostra, quæ illi offerimus. Sed quàm longè aliter contingit! nostra enim quæ illi offerimus, non solent esse ad pondus & mensuram coagitatam; fiunt enim cum magnis defectibus. Ergo scrutabor causas, ob quas Xenia nostra seu opera bona contingit esse cum defectu aliquo? *Vid. Tit.* XENIUM. *à n. 5. usq; 16.* *Luc. 6.*

Dominica 2. post Pent: *Uxorem duxi non possum venire.* Vide quantùm difficultant in via salutis, innatæ nobis concupiscentiæ, quamvis in via licitis: quid putas, in illicitis? quæ etenim veluti punctivæ urticæ adurunt, stimulant continuò ad malum animas nostras & corpora. Sed inquiramus; cur nam aliqui plùs cæteris adurantur istis concupiscentiis. *Vide Tit.* HORTUS *à num. 4. usq; ad 17.* *Luc. 14.*

Dominica 3. post Pent: *Inveni ovem perditam.* Extra dubium est apud Doctores, per hanc deperditam & errantem ovem, significari peccatorem: iste enim dum peccat, multos errores committit. *Vid. Tit.* OVIS. *n. 4.* *Luc. 15.*

n. 4. Sed maximus ille ipsius est error, dum errat ab utero; hoc, est dum post Baptismum deliberatè peccat. *Vid: ibid: à num: 5. usq; ad 17.*

Luc: 5. Dominica 4 post Pentecost: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* Rectè equidem S. Dyonisius Areopagita de Divinis nominibus c. 3. S. Petrum Apostolum nominavit culmen Theologorum: ecce enim sat tempestivè & necdum Apostolus factus, subtiliter theologizat, dum incompossibilitatem Dei cum peccato in eadem anima docet, & his exprimit verbis, quantùm Deus horreat & fugiat peccatum in anima. *Vide Tit:* Thronus *à num. 5. ad 16.*

Matt: 5. Dominica 5. *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum & Pharisæorum.* Purissimus & perfectissimus in se Deus, etiam in creaturis suis libenter videt puriora & pulchriora; præsertim quoad gratiam: quam veluti pretiosum Balsamum infudit animabus nostris: & omninò desiderat, ut nedum abundet in nobis, sed præterea sit purissima & sine admixtione omnis mali. hinc videamus pretium ipsius, ut illud æstimemus. *Vide Tit.* Balsamum *à num: 5. ad 14*

Marc: 8. Dominica 6 *Manducaverunt & saturati sunt.* O quantum discrimen inter epulas, quibus Deus servos suos inescat, & inter fercula, quibus dæmon peccatores infarcit! Illi ecce suaviter manducant, manducando saturantur, saturatisq; ad voluntatem, manducanda superabundant: hi autem continuò fel amarissimum comedunt, vorant incessanter, & tamen famem patiuntur ut canes. Dicam ergo ampliùs de felle isto, & amaritudine peccatorum. *Vid Tit:* Columba *à num: 6. ad 16.*

Matt: 7. Dominica 7 *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Hæc arbor benè denotat hominem: cur nam? *Vide Tit.* Arbor. *num: 6.* Sed miseræ huic arbori, nedum timendum ab igne, si non faciat fructus bonorum operum quando vivit; sed etiam multa sustinenda sunt ipsi in vita à verme; hoc est propter fomitem innatum peccati. *De quo vide ibid. à num. 8. ad 17.*

Luc: 16. Dominica 8. *Quid faciam.* Vox hæc quasi desperabundi, est communis gravissimorum peccatorum, & plerumq; reæ conscientiæ; quæ jam sine consilio manere sibi videtur, dum omnem creaturam contra se tumultuantem & clamantem advertit. De his tumultibus reæ conscientiæ. *Vide Tit.* Quies. *à num: 5. ad 16.*

Luc: 19. Dominica 9. *Non relinquent lapidem super lapidem.* Ruina hæc Civitatis Jerusalem, nedum fuit prædictio venturorum malorum super illam civitatem, & figura illorum malorum quæ defactò subit anima, dum in peccatum labitur, sed benè quoq; typus esse poterit, ruinæ illius generalis, per quam in paradiso cecidit tota domus nostra. *De quo vide Tit:* Domus *à num: 4. ad 16.*

Domi-

Dominica 10. *Descendit hic iustificatus in domum suam.* Dolenda res est, videre unam navem onerariam & pretiosis mercibus locupletem, jam jam in ipso portu naufragantem, aliam verò levem & vacuam feliciter pertingentem. Defacto Pharisæus ille fuit quasi Navis oneraria, tot operum bonorum plena, & ecce mergitur; non enim descendit justificatus, sicut ille Publicanus: Vt ergo à simili naufragio cautiores simus, loquamur de naufragio meritorum, quod incurrit anima per peccatum. *Vide Tit:* Navis. *à num:* 4. *ad* 15. *Luc:* 18.

Dominica 11. *Et loquebatur rectè.* O felicem linguam! salvifico attactu Redemptoris sanatam tàm perfectè, ut ampliùs non aliter, nisi rectè loqueretur. Non parùm enim importat tàm propriæ, quàm alienæ saluti, semper rectè loqui: siquidem multorum loquella, verba, consortia, sunt valdè pestifera, inficientia, obfuscantia innocentium conscientiarum specula. *Vide Tit:* Speculum. *à num:* 5. *ad* 17. *Marc:* 7.

Dominica 12. *Beati oculi, qui hæc vident.* Sicut apud Philosophos actus specificantur ab objectis, ita video apud Sacros Theologos, etiam ipsæ potentiæ beatificantur ab illis: dum hodie beati dicuntur oculi isti, qui Beatum Beatorum, scilicet Salvatorem viderunt. hinc à contrario maledicti oculi erunt, qui objecta incitantia ad malum intuentur: per hoc enim veluti spinâ lancinantur corda hominum propter concupiscentias illicitas. *Vid: Tit.* Rosa. *à num:* 5. *ad* 15. *Luc:* 10.

Dominica 13. *Occurrerunt ei decem leprosi.* Extra omne dubium est, hosce leprosos fuisse typum peccatricis conscientiæ; nam quod est facies corpori, hoc conscientiæ, anima. *Vide Tit:* Facies. *num:* 5. Atq; sic, ut nulla turpior faciei macula quàm lepra, ita nulla fedior turpitudo conscientiæ, quàm peccatum; idq; ob rugas, quas propterea contrahit, homo. *Vid: ibid: usq; ad num:* 16. *Luc:* 17.

Dominica 14. *Nonne anima plùs est, quàm esca.* Confundunt hæc verba Salvatoris deliros illos mundanosq; homines, qui toti voluptatibus, carni, & ventri dediti, nunquàm vel rarò cogitant pensantq; pretium animæ rationalis, ejusq; dignitatem, præsertim quoad innocentiam, primumq; statum gratiæ: nihil ergò justius est, quàm ut hodie loquamur de conservatione hujus pretiosæ gratiæ in anima, primum præcipuè cavendo peccatum. *Vid: Tit:* Prima. *à num:* 5. *usq; ad* 16. *Matt:* 6.

Dominica 15. *Noli flere.* O quam plurimæ cum ista Vidua super mortuos funduntur lachrymæ & inutiliter, imò utinam aliquando non peccaminosè! quam laudabilius longè & cum merito plorandum esset super illos, qui in vivo corpore cadavera, seu mortuas per peccatum portant animas, & hoc propter luctuosissimum triplex væ, quod incurrit anima, dum moritur per peccatum. *Vide Tit:* Eva. *à num:* 5. *ad* 17. *Luc:* 7.

Luc. 14. Dominica 16. *Et ecce homo hydropicus.* Dionisyus Carthusianus docet, ex hac præcipuè ratione hydropicum istum fuisse figuram peccatoris; quia sicut hydropicus semper sitit, pariter & homo peccatis serviens, quantumcunq; peccet, semper tamen æstuat ad malum: estq; anima ipsius veluti salsissimũ mare. *Vid:* Tit: Mare. *à num:* 4. *ad* 16.

Matth. 22. Dominica 17. *Diliges Dominum Deum tuum.* En hodie init & celebrat homo fœdera amicitiæ per mutuam dilectionem cum Creatore suo: per quam amicitiam transformatur veluti homo in Deum, & Deus in hominem; vulgò enim dicitur: Amicus alter ego: quæ amicitia tamdiu inter illos durat, quamdiù homo conservat in se similitudinem Dei & imaginem ipsius illimem & illæsam: de qua imagine, & de modo Conservationis ejus. *Vid:* Tit. Imago. *à num:* 4. *ad* 14.

Matth. 19. Dominica 18. *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum.* Satis evidenter ex hodierni Evangelii historia colligere licet, quomodo peccata non tantùm animæ sed corpori quoq; noceant, infirmando illud, debilitando, corrigando, & aliis replendo miseriis: non enim sine mysterio paralytico huic, dimittuntur priùs peccata, quàm morbus ab illo pellatur; plerumq; autem id verificatur de libidine, quæ quantùm simul animæ & corpori noceat. *Vid.* Tit: Facies. *à num:* 6. *ad* 9.

Matth. 22. Dominica 19. *Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in Villam suam.* Non mireris (bone Lector) hosce ingratissimos & nequissimos servos in tam enormia proruisse crimina; divites enim & abundantes in omnibus, non pauperes erant; quorum unus etiam villam possessionis suæ habebat. *abierunt (inquit) alius in villam suam.* Nam abundantia bonorum temporalium plerumq; fit causa multiplicium peccatorum. *Vid:* Tit: Granum. *à num.* 5. *ad* 18.

Joann. 4. Dominica 20. *Descende priusquàm moriatur filius meus.* O quanta in aula & Curia hujus Regis turbatio, curæ & sollicitudines, dum de vita corporis filii agitur! En ipse Rex obviam currit Salvatori, submissè pauperem licet, & pannosum hominem, deprecatur. Vtinam vel in parte saltim tales adhiberentur curæ, quando agitur de periculo animæ! plerumq; enim anima multorum, fit veluti vinea devastata, devindemiata, exterminata; & non est qui consideret eam, nec qui desolationi ipsius succurrat. ideò nos protunc videamus mala & causas desolationis istius. *Vid:* Tit. Vinea *à num:* 5. *ad* 15.

Matth. 18. Dominica 21. *Voluit ponere rationem cum servis suis.* Deus, non utiq; (ut ait S. Hier:) judicat bis inidipsum. Vtinam ergo saperemus & ne ille nobiscum ponat rationes, quas hodie legitur voluisse facere cum servis suis, nos ipsi tempestivè hujuscemodi rationes scilicet examina con-

scien-

scientiæ nobiscum instituamus. Neglectus enim examinis conscientiæ causa fit multorum peccatorum. *Vid: Tit.* GRANUM. *à num: 8. ad 13.*

Dominica 22. *Licet dare censum Cæsari, an non?* O nimium scrupulos; Pharisæos de solutione Cæsarei tributi! duriori enim manebant ipsi sub exactore, nam sub dæmone; & mancipia facti peccati tot litra solvebant, quot patrabant peccata, nec tamen hæc curabant. O miseros! o infelices! quorum infelicitatis ne consortes fiamus, nunc nobis perpendere placeat, quàm grave sit tributum peccati. *Vid. Tit:* ZABULON *à num: 5. ad 16.* *Matth: 22.*

Dominica 23. *Domine, filia mea modo defuncta est.* Miram & insuetam aliàs promptitudinem suam ostendit hodie Salvator ad succurrendum innocenti puellæ; statim enim surgens sequebatur & ibat cum discipulis suis. Unde colligere licet, quàm valdè sit ipsi pergrata prima innocentia; sicut è contrario anima illa, quæ primò se resolvit ad peccatum, est illi veluti prostituta mulier. *Vid: Tit:* PRIMA *num: 8. 9. & 10.* *Mat: 9.*

Dominica ultima. *Et luna non dabit lumen suum.* Quæ in illa ultima die evenient visibiliter ac terribiliter, eadem vel similia, nunc frequenter fiunt invisibiliter & lamentabiliter. Luna enim, est anima nostra, quæ toties non dat lumen suum seu eclipsatur, quoties in illa per peccatum obscuratur lumen gratiæ: cujus luctuosæ Eclipsis, quæ nam sint causæ? videamus. *Vid: Tit:* LUNA *à num: 4. ad 14.*

PROTESTATIO AUTHORIS.

QUoniam emanavit Decretum S. D. N. URBANI VIII. 1631. Die 5. Iulij. Ne admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & ea quæ cadunt super Personam; bene tamen ea, quæ cadunt super mores & opinionem cum protestatione in principio, quod illis nulla adsit auctoritas ab Ecclesiâ Romana, sed fides tantùm sit penes Authorem. Ego pariter ut filius genuinus S. Matris Ecclesiæ protestor, si quæ in tali materia refero, ea me velle habere non majoris certitudinis, præterquam vult S. Mater Ecclesiâ Romano Catholica: cujus judicio & authoritati, me meumq; præsens opusculum plenissimè subjicio.

AD

Legenda aliter, quæ effugerunt vigilantiam typo incumbentium; ſic lege.

f. folium. n. numerum deſignat.

CRyſi pus l. Chryſippus, f. 14. n. 26. ſimiltudinem l. ſimilitudinem, f. 16. n. 30. In margine. Pigmentaturus l. Pigmentarius, f. 22. n. 2. iſtanti l. inſtanti, f. 37. n. 31. excruiat l. excruciat, f. 43. n. 5. In marg: Incompoſſijlitas l. Incompoſſibilitas, f. 74. n. 21. Regina l. Regna, f. 81. n. 33. genuinos l. genuinas, f. 81. n. 33. etemim l. etenim, f. 84. n. 6. Natham l. Nathan, f. 93. n. 21. malectionis l. maledictionis, f. 96. n. 30. arbitratu l. arbitratus, f. 126 n. 5. venuſtiſſimus l. vetuſtiſſimus, f. 189. n. 1. Eccesia l. Eccleſia f. 123. n. 36. I marg: Granarum l. Granarium, f. 125. n. 3. Neocepta l. Neoconcepta f. 138. n. 26. concupitus l. concubitus, f. 150. n. 9. ſapientia l. in ſapientia f. 165. n. 37. Edem l. Eden, f. 161. n. 30. venonoſis l. venenoſis, f. 193. n. 8. In marg: indebiles l. indelebiles, f. 176. n. 14. In marg: Obſervantæ l. Obſervatæ, f. 199. n. 16. Noviluvio l. Novilunio, f. 201. n. 20. ad confrigenda l. ad confringenda, f. 204. n. 27. arbitor l. arbitror, f. 224. n. 28. In marg: alterioris l. altioris, f. 288. n. 30. contino l. continuò, f. 216. n. 13. fructosè l. fructuosè, f. 237. n. 13. In marg: faclle l. facile, f. 248. n. 33. imitaio l. imitatio, f. 266. n. 27. Vatiniana l. Vaticiniana, f. 273. n. 1. acepit l. accepit, f. 322. n. 13. tempeſtavè l. tempeſtivè, f. 322. n. 29. caſtitais l. caſtitatis, f. 350. n. 24. admiranda l. admirando, f. 368. n. 22. Idephonſi l. Ildephonſi, f. 370. n. 25. quano l. quanto, f. 374. n. 33. illa l. illo, f. 64. n. 5. peſſimijs l. peſſimis, 67. n. 10. In marg: in furorem l. favorem, f. 119. n. 28. acceptibile l. acceptabile, f. 409. n. 16. paricidarum l. patricidarum, f. 228. n. 37. aninima l. anima, f. 233. n. 5. ſpirituali l. ſpirituale, f. 234. n. 8. diventitis l. divenditis, f. 238. n. 14. benedictonis l. benedictionis, f. 388. n. 18. ſubharrata l, ſubarrhata, f. 414. n. 25. Luc: 8. l. Matt: 8. f. 88. n. 13. Eccl: 37. l. 32. f. 71. n. 17. Cant: 1. l. Cant: 2. f. 113. n. 18. Iſai 85. l. 65. f. 133. n. 17 primogenita l. primitiva, f. 149. n. 7. Eccl: 24. l. Prov: 24. Matt: 7. l: Ezechiel: 16. f. 152. n. 13. In marg: In MARIÆ, Imm: Conc: ſignum Maternitatis DEI, l. In MARIA, Imm: Conc: ſignum Maternitas DEI, f. 269. n. 33. ſuggere, l. ſuggerere, f. 445. n. 44.



